V. Cl.

HENRICI MEIBOMII

Poetæ & Historici

OPVSCVLA HISTORICA VARIA

Res Germanicas concernentia

Partim antehac, nunc autem multo auctiora: partim numquam, & è manuscripto primum

edita ab

HENRICO MEIBOMIO Nepote.

Opusculorum indicem sequens pagina exhibet.

HELMESTADI

Typis & sumtibus HENNINGI MULLERI

ACADEMIAE IULIAE TYPOGR.

ANNO CIϽ IϽ C LX.

Indiculus Opuſculorum quæ hoc volumine continentur.

LECTORI BENEVOLO
S. D.
HENRICUS MEIBOMIUS Nepos.

VT superiori seculo cum literæ, tum omnis bona doctrina, rediviva vi ac restibili quadam fæcunditate in antiquum decus repullulascere cæperunt: ita etiam Historia caput suum extulit. Et eruta tum quidem sunt è situ & tenebris veteris ævi monumenta plurima, inventique Viri sagaces & industrii, qui, veritatis amore ducti, conclamatam jam mediæ ætatis historiam restituere sunt aggressi. Circa finem ejusdem & initium hujus, quod jam agitamus, avus quoque meus, *HENRICUS MEIBOMIUS*, Celsiss. Ducum Brunsv. & Lyneb. benevolentia in eorundẽ celeberrima Academia publicus historiarum & Poëtices Professor, ex eodem mustaceo laureolam quærere instituit: cum *FREHERI*, *GOLDASTI*, *REINECCII* (at quantæ animæ!) partim favore suo excitassent, partim exemplo præivissent. Sunt autem plura ejus scripta historici argumenti; quorum catalogum parens meus, *IOANNES HENRICUS MEIBOMIUS*, cum Polyhistore clarissimo & in Academiâ Iuliâ Eloquentiæ P.P. *CHRISTOPHORO SCHRADERO* communicavit, qui Chronico Marienthalensi avi mei præfigi & edi fecit, unde illud huc etiam curabimus transferri. Duplicis autẽ scripta illa ferè ordinis sunt. Ad primam classem pertinent integri scriptores, vel ab ipso primũ è MSto editi, vel recensiti & notis illustrati. Alteram constituunt lucubrati-

ones, mole quidem non adeo magnæ, de rebus tamen ſæpe graviſſimis, vel maxime controverſis, vel ima in antiquitate ſepultis. Et priorum quidem jam ſecuri, quæ poſterioris ſunt generis, Tibi, Lector Benevole, damus ſaltim plæraque: aliàs edituri & reliqua, ubi commodum fuerit & publico viſum expedire. Horum autem quædam antehac jam fuerunt edita, poſterioribus tamen curis plurimum aucta nunc prodeunt, ut, *Commentarii de Irmenſula Saxonica, de Pagis, de Bardevico, Bulla aurea Andronici Imp. Hiſtoria de Henrico Leone, Vindiciæ Billingianæ &c.* Sola illa pro *D. Ottone IV. Apologia* deterius habuit fatum. Mors enim auctoris ſuperveniens curas in eâ poſteriores intercepit. Cætera vero, ut *Chronicon Stederburgenſe, Ius inveſtituræ Epiſcopalis, Diploma Thaßilonis, Erectio Ducatus Brunſvicenſis*: Orationes item geminæ, de *urbe Helmſtadio* & *Academiâ Iuliâ* nunc primum omnium lucem vident. Illam tamen de *Academiâ Iuliâ* orationem ante biennium edidit Helmſtadii V. Cl. & de ſacra Antiquitate probe meritus IOACH. HILDEBRANDVS. Cum tamen inciderit in exemplar aliquod, ex dicentis ore exceptum, hanc potius, quam nunc publico, diſſertationem, repetita lectione interpolatam malim pro genuino avi ſcripto agnoſci. Alius enim ephemerarum diſſertatiuncularum, quæ ad delectandos vel erudiendos auditores varios ſententiolis vibrantibus pinguntur: alius eorum monumentorum color eſt, quæ æternitati deſtinantur. Major ultimis debetur & lima

& cul-

& cultus, genus exquisititius dicendi, madidorumque & natantium verborum sequestratio. Habetque sæpe suas Veneres aliquid in oratione prolatum, quod in scripto videatur vernile quid sapere, &, ut Græci dicunt, *μικροχαρὲς*. Hæc monere Te debui nescius ne esses.

De cætero probatura se Tibi hæc opuscula spero tum varietate, tum jucunditate, tum sæpenumero rerũ gravitate. Quod si nonnihil occurrat, (neque enim adeo suffenus meis sum, ut extra erroris aleam posita hæc scripta velim) quod aliter se habete, vel novis productis monumentis, vel accuratiore indagine, à Semonibus hujus ævi sit demonstratum, sciant velim omnes, neminem esse tam circumspectum; cujus non diligentia aliquando excidat sibi, minusque mirum esse, memoriam aliquarum rerum excidere, quam omnium constare. Nobis hic aliquid interpolare religio: sed nec ipsa loca indicare animus est. Ipse avus ante obitum suum, more magnorum virorum & fiduciam magnarum rerum habentium, sibi ipsi quædam detrahere & sententiam mutare non erubuit. Qui ab hac mortalitatis lege se eximios putant, næ illi tenent, quod ignorant hodie omnes. Quod si etiam circa dicendi genus occurrant nonnulla, quæ apud teneras & delicatas aures cinerem quæritant, sciant non omnem docendi rationem mellitos verborum globulos admittere: fieri etiam vix posse, ut, qui omnia barbari ævi sterquilinia excusserit, ejus dictio non aliquid tra-

hat limi. Ipse in omnibus suis scriptis unicum scopum habuit veritatem, ad cujus aras, ut omnes historicos decet, sacramentum dixit. Huic asserendæ pleraque medii ævi monumenta pervolutavit, recentiorumque tradita contulit cum vetustis, quantum homini nec maximi nec nullius ingenii licuit; industriæ profecto laude singulari. Qui enim talia sine maximo labore præstari potuisse existimat, næ ille iniquus alienæ operæ æstimator nescit quomodo hæc sacra sibi constent. Adeoque mirum non est, si sæpe contra communes ac receptas opiniones, contra *Crantzium* aliosque, (quos, ut compendi rem faciant, legunt, omnemque historiæ veritatem ad eos exigunt, qui nimis hodie frequentes in speciem tantum laborant, & tamen historici audire volunt) pluribus disputavit. Neque enim, qui veteres illos, unde cæteri, sæpe mala fide, hauserunt, duces sequitur, ei semper ad minutos hos satrapas est abeundum, ut eorum judicium vel exquirat vel secum concilicet. Non tali auxilio, nec consultoribus istis
Tempus eget.

Quin imò qui ex his solis sapiunt, non magis de veritate historiæ judicare possunt, quàm de arcanis naturæ disputare, qui exile magistelli alicujus monogrammon brumali horâ perlegerunt. Magnus autem animus ac suæ spontis longè aliter ac vulgi factio in studiis instituit, quæ gerit. Equidem censendi mihi munus non sumo, qui censuram non gero, hoc tamen asseverare possum,

ſum, jamdudum eſſe, quod ſe hæc ſcripta probant plurimis. Sanè iteratam auctamque editionem deſiderarunt *Mallincrotii*, *Barthii*, *Boxhornii*, & qui ſolus hodie ſuperſtes primo loco nominari debuerat, ὁ θαυμάσιος *Conringius*, cum in omni ſtudiorum genere facile princeps, tùm in media antiquitate ſine exemplo verſatus. Etvero quiſquis penitus arbiter harum rerum eſt, niſi livor glaucoma objiciat, vix aliter judicabit. Nos certe gratiam nonnullam à doctis hominibus inituros nos ſperamus, dum ea ad communem fructum partim è tenebris & caligine in aſpectum lucemque educimus: partim παλιγγενῆ vel potius νεογενῆ ſiſtimus. Nam *& quodam pacto ſocietatem laudis affectare creditur, qui aliena bene dicta primus enunciat*, ut Symmachus loquitur. Abundè ſanè mihi ſatisfactum arbitrabor, ſi animum de republ. literariâ bene merendi cupidum agnoveris.

Quod ipſam editionem attinet, operam dedi, ut accurate omnia imprimerentur. Quandoquidem vero ipſe maximam partim ab editione abeſſe coactus fui, ut omnia tamen bene ſe haberent, operam dedit Cl.V. *Valentinus Henricus Voglerus*, cum artis Medicæ, tùm totius ἐγκυκλοπαιδείας peritiſſimus: cui ego quidem eo nomine omnia maxima minima debeo. Vale, L.B. & favore Tuo ſtimulum adde & calcar, ut quemadmodum nunc quæ ab Avo, ita dehinc etiam, quæ à Parente ad nos pervenerunt ἀνέκδοτα erudito cum orbe communicemus.

INDEX EORUM QUÆ CL.V. HENRICUS MEIBOMIUS VEL EDIDIT VEL EDITIONI PARAVIT.

I.

IN FOLIO.

Opera aliorum, primum edita & notis illustrata.

Gobelini Personæ Cosmodromium, cum Appendice & Notis Francofurti 1599.

Levoldi Norrhovii Origines Marcanæ cum Notis. Hanoviæ 1613.

VVidechindus Monachus. Accessere Rhosvvitæ Panegyricus; Historia archiepiscopatus Magdeburgensis gemina; Tres decades Diplomatum & Donationum Ottonis M. Imperatoris; Chronicon monasterii Corbeiensis; Translatio S. Viti & Iustini Martyrum in novam Corbeiam, deque ejusdem monasterii fundatione. Francofurti. Anno 1621.

Chronicon Brunsvicense Henrici Büntingi. Magdeburgi. 1620.

Reineri Reineccii Historiæ Iuliæ pars tertia. Helmstadii 1597.

IN QVARTO.

Iohannis Niemii vita Iohannis Papæ XXII. Francof. 1620.

Hermanni de Lerbeke Chronicon Schauvvenburgense. Francofurti. 1620.

Anonymi Chronicon Mindense. Ibid. 1620.

Iustini Lippiflorium. Ibid. 1620.

Henrici Aquilonopolitani Chronicon Lippiense. Ejusd. primordia Vrbis Lubecensis. Ibid.

Gerhardi Præpositi Stederburgensis vita Henrici Leonis. Helmstadii 1614.

Aurea bulla Andronici Imperatoris cum Notis. Helmst.1614.

Sigismundi Iulii Mynsingeri à Frundek poëmata. Helmst.1619.

Reinerus Reineccius de Saxonum originibus. Helmst.1620.

IN DVODECIMO.

Ioh Sleidanus de IV. Monarchiis.

Festus Rufus.

Opera

SERENISSIMO CELSISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO DOMINO

AVGVSTO

DVCI BRVNSVICENSIVM ET LUNEBVRGENSIUM

VERI ET PERFECTI PRINCIPIS PROTOTYPO

PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

Felicitatem!

QUæ Avus meus, *Henricus Meibomius*, Serenissimis Principibus Brunsvicensibus & Luneburgensibus annuentibus suscepit, faventibus exegit, imperantibus edidit, ea nunc, veluti renata, *Tibi*, *Celsissimæ Domus Principi Seniori*, Refero, Do, Dico, Dedico: pro meæ quidem voluntatis sensu, lubens, meritoque: sed pro V. S. respectu, timidè. Olim in Africa nemo meditabatur aliquid facere, nisi præfatus Afri-

)o(cam:

cam: ita nihil in Illuſtri Veſtrâ *Iulia* imprimendum credidi, niſi à Veſtro *Auguſto Nomine* auſpicaretur: temeritatis hoc ipſo declinaturus opinionem, quod tanto Principi tam exiguum offeram munuſculum. Sed nec fraudi mihi fore confido, quod aliena nunc exhibeam non mea. Quadantenus enim mea quoque ſunt, quæ per manus ab Avo mihi tradita. Et vero quis proprijs ſemper muneribus Deorum limina ſalutavit? Alienæ quoque induſtriæ dona licite de tholis pendent, ſi ſua conſtet animo pietas. Nec Tibi, *Sereniſſime Princeps*, diſplicebit, ſi Avitis donis *Te* nepos adoret.

Equidem hic latiſſimus ſe aperiret campus digrediendi in *Ser. T.* laudes, ſed ego, quibus eas exprimam verba non invenio, cum accurate potius, quam concinne loqui velim. Major enim Virtus Tua eſt, quam ut à mediocriter erudito poſſit celebrari: Virilior, quám ut ea ſibi afferri deſideret, quæ, in immerentes quoque, adulatio congerit. *Ipſa ſibi præmium eſt.* Dicerem Te *eruditorum principem & principum eruditiſſimum*: ſed eruditionem in Principe commendare, injuria Regiarum Virtutum fuerit. Eſſe Te verum *Herculem Muſagetem, patronum ſtudiorum Opt. Max.* Nihil verius: ſed quæ *T. Celſitud.* tribueret ipſa veritas, adulatio ijs jam

com-

communia fecit, qui omnes bonas artes in exilium agunt. Esse Te *Patriæ patrem, & securitatem publicam dare populo.* Divina profecto res, & in nummis Principum laudis argumentum. Sed sordescit nomen, ex quo ijs datum, qui unam cervicem habere cives suos vellent. Esse Te *è Regio stemmate primam inter Principes Imperii Germanici columnam.* Sed hanc laudem ij sibi vindicent, qui nihil aliud quo commendentur habent, quàm se esse Principes. In Te autem omnes non tam suspiciunt genus alto à stemmate Regum, quam Te in illo. Dicerem denique, quod huic rei proprium est, ideo me hunc librum *T. Ser.* humillime offerre, quod (præterquam quod liber hic aut in Guelphicis heroibus deprædicandis, aut in vestrarum regionum antiquitatibus enucleandis totus est) eo me adigant tot in Parentem Avumque à Celsissima Domo Brunsv. & Luneburg. Principum, tot à *Seren. T.* in me congesta beneficia. Facerem certe, nisi facerent hoc erga eos plerique, quibus cum nulla beneficiorum gratia junguntur, sed quibus omnia ideo se debere, dicunt, quod aliqua debere cupiant. Vides *Serenißime & Celsißime Princeps*, eò me redactum, ut plurima, quæ commemorari vere possent, necessario dissimulanda sint, ne & in vir-

tutes

tutes Tuas peccem, & ad adulationem accedere videatur ingenuitas mea. Interim quod omnes de *T. Celſ.* profitentur id velut reſiliens & repercuſſa vox fideliter referam: *Abundare in Te* (quod de Gratiano dicebat Auſonius) *ea bonitatis & virtutis exempla, quæ ſequi cupiat ventura poſteritas, & ſi rerum natura pateretur adſcribi ſibi voluiſſet antiquitas:* Fore, ut, collatis cum Tuis aliorum Principum rebus geſtis, illi juviſſe remp. Tu ſervaſſe: illi defendiſſe pietatem, Tu conſtituiſſe: illi humana quædam, Tu divina & immortalitatis opera patraſſe videaris. DEUM veneror, ut illum Heroicarum omnium virtutum in uno corpore cinnum diutiſſime conſervare velit, Imperio Germanico, Civibus, Bonis denique omnibus, &, quibus propitium magis Tuum numen eſt, Eruditis! Dabam Lugduni Batavorum. Anno MDCLX. Kalendis Octobris.

T. Ser.

humillimus ſervus

HENR. MEIBOMIUS.

LECTORI

II.

Opera aliorum quæ supersunt edenda.

Leovoldi Northovii Catalogus Archiepiscoporum Coloniensium.
Anonymi Chronicon Magdeburgense.
Henrici VVolteri Chronicon Bremense.
Erdvvini Erdmanni Chronicon Osnabrugense.
Io. Schiphovveri Chronicon Archicomitum Oldenburgensium.
Anonymi Chronicon Rastedense.
Anonymorum aliquot Chronica minuta monasteriorum Hujesburgensis, S. Michaëlis in Hildesheim, in Lothen diœcesis Mindensis inde Lemgoviam translati.
Chronicon Ecclesiæ Hamelensis, per Iohannem de Polda ecclesiæ Seniorem.
Chronicon Stederburgense.
Anonymi narratio de Alberto Episcopo Halberstadense XIX. Duce Bruns. & Lüneb.
Chronicon Gandersheimense. &c.
Henrici Roslæ Nienburgensis ad Visurgim Herlingsberga. Poëmation, ante annos quadrintos scriptum, quod Iohannes Henricus Henrici F. Meibomius cum Notis propediem evulgabit.
Chronicon Montis Sereni, Cœnobij in diœcesi Magdeburgensi.

III.

Opera ab ipsomet H. MEIBOMIO edita.

IN QVARTO.

Chronicon Riddageshusanum. Helmstadij 1620.
Apologia pro Ottone IV. Imperat. Helmst. 1624.
Irmensula Saxonica. Helmst. 1612.
Vindiciæ Billinganæ. Helmst. 1615.
De utriusque Saxoniæ pagis. Helmst. 1610.
Historia Bardovvici. Helmst. 1613.
Dissertatio super jure quodam antiquato Cæsarum Germanicorum in decedentium majorum Prælatorum bona. Helmst. 1612.
Guelfus Redivivus. Helmst. 1614.
Adversus ICtos quosdam demonstratio, Saxoniam habuisse Duces ante Hermannum Billingium.

Genealogia Duc. Brunſvicenſium carmine reddita.
Chronicon VValbeccenſe. Helmſt. 1619.
De Henrico Leone oratio metrica. Helmſt. 1597.
De origine, dignitate & officio Cancellariorum Academicorum. Helmſt. 1612.
Centonum Virgilianorum tomi duo: alter auctorum veterum, alter Henrici Meibomii.
Agalmata Deo incarnato & virtuti imperiolæ conſecrata. Helmſtad. 1597.
Chronicon Marienthalenſe. editum poſt mortem auctoris 1651.

IN OCTAVO.

Parodiæ Horatianæ.
Anacreontica.
Sylvula piarum meditationum, item Flores verni & auctumnales, ſive poemata ſacra.

IV.
Opera propria adhuc edenda.

Chronicon Monaſterii Bergenſis ad Albim.
Chronicon Monaſterii S. Laurentii prope Schöningam.
Chronicon Germ. Monaſterii Regii Lutterenſis.
Chronicon Germ. Monaſterii Ammenslebienſis.
Bericht von der Compterei zu Süpplinburg.
Thaſſilonis Agilolfingi Diploma cum Notis.
De jure inveſtituræ Epiſcopalis, diſcurſus.
Oratio de origine Helmſtadii.
Poemata ſelectiora.
Diplomatum & Fundationum farrago ampliſſima.
Chronica des Jungfräulichen Klosters unser lieben Frawen Berge vor Helmſtädt.
Chronica des Christlichen Gotteshauses und Jungfräulichen Klosters Marienborn / im Ertzstifft Magdeburg gelegen.

HER-

HERMANNUS CONRINGIUS S. P. D.

HENRICO JOAN. HENRICI F. HENRICI N. MEIBOMIO,

Juveni virtute & doctrina eximio summæque exspectationis.

MAgno diffusoque ingenio erat quem nomine refers Avus tuus, Præstantissime Meibomi, & judicio acri ac limato. Valebat enim cum pangendi carminis, Heroici præsertim, ubere quadam & prompta facilitate, tum peritia antiquitatis Germanicæ insigni, Saxonicarum rerum & quidem cumprimis viciniæ omnis planè incomparabili. Simul in communi vita erat commodus, jucundus, nemini non acceptus, adhoc domus suæ curator diligens. Talem sanè illum deprehendi in hac Iulia jam ante quadraginta propemodum annos, & ego; cum ille jam admodum senex esset, ego autem vix ephebus: ejus vim poëticam verò & historicam quæ posteritati reliquit scripta complura omne in ævum commendant, quamvis sola illa quæ ipsemet in vulgus publicavit spectemus, nec in doctrinæ testimonium ea quæ nondum lucem videre adferantur. Eo fa-

ctum ſanè, ut ſæpenumero doluerim, imò graviter ſim indignatus, cum multa editu dignisſima Avi monumenta in ſcriniis deliteſcere, tum quæ ſunt edita, illa jam dudum huc illuc ita diſtracta eſſe, ut nulla eorũ in librarijs tabernis exempla reperire ſit. Nec fecere non idem mecum, quotquot ſaltim inſpexerunt operum Avi indicem, qui nono hinc anno patris tui, V. item Clarisſimi & Medici χαριεςάτε cura, Marienthalenſi Chronico additus, & nunc abs Te iterum productus eſt: quamvis non omnia in eo ſint recenſita, qualis utique eſt Chronologia *ſive Annotatio temporis & ſeries rerum in Chronico Hieroſolymitano deſcriptarum: quam illi chronico anno ſeculi ſuperioris octuageſimo quarto ſubjungi fecit Reinerus Reineccius, ſummus ſeculo illo polyhiſtor & æternum Academiæ hujus Iuliæ decus. Vehementer ſcilicet incenſum eſt deſiderium operum Avi omniũ catalogo iſtoc, in animis cum intelligentium rem poëticam, tum præcipue eorum, qui didicere medij temporis, hoc eſt ejus quod fere a Carolo Magno incipit, Germanicas res ex obſcuris latebis erutas, ſuo pretio æſtimare. Quod qui non posſunt, illos nec idoneos Imperij Germanici ejusque partium magnis negotijs curandis, nec multum liberalis ingenij eſſe, equidem pronunciare haud dubito.*

Ita

Ita ſcilicet res ſeſe habet, Eximie Meibomi: plurimos videas in populo etiam noſtro quos nulla capit hiſtoria; multos qui faſtidiunt Germanica omnia, illa maximè obſoletiora & quaſi caſſa, impenſe nihilominus ſtudentes hiſtorijs priſcis ſed Romanarum Græcarumque gentium. Quis illos autem Hiſtoriæ omnis contemptores dixerit, liberali ingenio natos? quis gerendis magnis rebus pares? Quam longe aliter componere, ſaltim otium, ſi quod ſibi ſupereſt, ſoleant animi vere ingenui, quamque illi ſoleant omnia hiſtoriæ genera, quandocunq; licet, ſectari, id nemini temere eſt ignotum. Nec eſt qui ignoret, quanta ad prudentiam gerendæ reipublicæ, ſive parandam ſive exercendam, vis ſit Hiſtoriæ; illam ſcilicet hac ſine haberi non poſſe. Itaque illud quidem hominum genus, tanquam alienum ab ingenua mente, & ſervilis ordinis, ſive eos honorum ſive opum ſive voluptatum cupido, ſive deniq; iners otiũ mancipes effecerit, nõ eſt quod alii morentur: quibus ſane

De meliore luto finxit præcordia Titan.

Videntur autem mihi, ceu modo dixi, nec illi ſatis ingenuo præditi animo (de Germanis noſtris nunc loquor, nõ alterius terræ hominibus) qui ita peregrinis intenti ſunt, ut priſcas patriæ res negligant, vel elatis quaſi naribus ſuſpendant. Non ſane in hoc ipſo ad

exemplum Græcorum Romanorumve, quos fortassis admirantur potius, sese componunt: ut qui suarum gentiũ antiquissima quavis ad minutias usque olim inquisiverint. Cum id Græci nondum agere instituissent ab Ægyptijs sapientibus judicati sunt pueri. Quod illorum judicium ipsemet Solon & Plato, sapientiæ nomine Græcorum inter primos clari, non dubitaverunt posteritati ita memorare, ut haud obscurum sit, simul etiam illud assensu suo approbasse. Et vero patriæ antiquitatis ignorantia, ejus certe cognoscendæ negligentia, arguit profecto puerilis animi angustias, saltim in ijs qui doctrinæ laudem æmulantur. Quis sane ingenio ad masculam vim erecto non desideret, præter ea quæ rerum nostrarum quasi oculis exposita sunt, vetusta etiam quæq; majorũ scire, sive prospera sive adversa fuerint? Delectat utique permultum etiam horum cognitio: atque adeo vel sola illa quæ hinc capitur svavis voluptas, idonea est quemvis ad hanc operam allicere. Agere vero hoc ipsum & pietas quædam jubet, quam majoribus debemus postgeniti: ut nempe quoad licet memoriam illorum ab oblivione vindicemus, & præclare gesta grato semper animo circumferamus. Ecquis equidem non impium facinus censuerit, supine contemnere majores, & cum

possis

possis nulla eos reverentia prosequi ? Pulcrum inprimis videtur, *dicebat Plinius*, non pati occidere quibus æternitas debetur*: quidni ergo sit impium memoriam illorum occidere pati, quorum oportet reddere sempiternam ? Nihil vero ab ingenuo animo impietate alienius est : nec potest aut solet ille temere quidquam omittere, unde mens innoxia voluptate perfunditur. Ut non indoctum igitur dixerim illum omnem, qui antiquitatum nostrarum nihil didicit, si alia sapiat ; non tamen vere liberalis & vere ingenuæ doctrinæ est peritus, nec in majores quidem satis est sanctus. Multo minus vero talis aliquis undequaque aptus est, sive totius Imperij, sive quarumlibet ejus civitatum reipublicæ, prudenter feliciterque administrandæ. Ita nimirum est comparatum. Caput ac principium consiliorum in civitate quavis omnium post ipsammet regendi artem est, nosse rem illam quæ in deliberationem venit, præcipue quidem qualis illa in præsens est, ex parte tamen etiam qualis illa olim sese habuerit. Et vero is demum plene rem novit, qui etiam antiquum ejus statum haud ignorat. Quo quis sane magis tenet priscam quoque rei conditionem, quemadmodum scilicet illa vel ceperit, vel mutaverit, vel conservata sit, eo aptior est eum ad id, ut probe*

aliquid

aliquid de re ista etiam in futurum constituat, tum ad id ut sententiā suam alijs persuadeat, ijs certe qui aliquam antiqui status habent notitiam. Quamvis igitur interdum, etiamsi vetera ignores, dare consilium rectum possis, semper tamen non poteris, imo semper rectius poteris, si & antiquissima quævis haud lateant. Hoc ipsum inter alia illud est, Præstantissime Meibomi, quod me judice cum cæteris rebuspublicis, tum nostris etiam his Saxonicis plurimum damni hactenus attulit; quod nimirum nonnulli eorum qui clavum tenent vetera quævis rerum nostrarum nimis parum comperta habeant, tantum præsentium curiosi, cum videri tamen velint jura publica agitare, quorum bona pars consuetudine h.e. lege non scripta constat, adeoq; non nisi repetita retro memoria intelligi potest. Igitur doctissime Meibomi, non equidem ego diffiteor, ad civilem prudentiam ipsam, sive universalem regenda civitatis artem, comparandam, longe utilius esse, versari in Græca Romanaque veteri historia quam in antiquis nostrorum rebus. Idque quoniam illa sic tradita sit, ceu fieri par est, non eventis duntaxat exquisite narratis, sed & causis omnium additis: quod genus historiæ aptum deniq; est parandæ philosophiæ civili: nostra autem monumenta antiqua per-

quam

quam rudia ſint, fere cujusmodi apud Romanos olim Annales quos maximos vocavere, aut qualia Cato Pictor & Piſo, ad modum Pherecidis Hellanici & Acuſilæ in Græcis, condiderunt. Juvat tamen permultum hiſtoria illa antiqua veterum Saxoniæ ſaltim rerum, ad regendas ipſas res regionis hujus, eo ipſo quo narrat quemadmodum illa, quorum hodieque paſſim uſus eſt, vel quæ obſervari jam deſierunt, antiquitus fuerint conſtituta. Nec vero, etſi univerſa quæ hiſtoria illa comprehendit haud perinde ad publicum alicuius civitatis noſtræ ſtatum faciant, omnium ratio eadem eſt: cum etiam illa quaſi privata ſaltim ex parte in publicum proſint, vel ſi non proſint æque in publicum, ſuum tamen hiſce aut illis noſtræ terræ privatum commodum præbeant. Qua conditione Græcorum etiam Romanorumque hiſtoriam ſuperat noſtra. Quam enim illius multum, omnino nihil, aut publice ad civilem prudentiam ipſam, aut privatim conducit! Quam illius multum torquet potius lectoris animum quam inſtruit! Enimvero perquam multa ejus ne Grammaticis quidem, ſive Græcis ſive Romanis, ad Oratorum Poëtarumque ſcripta rectius intelligenda proſunt: pleraque crucem novam

 quaſi

quasi fingunt illis, cæteroquin in omni vita inutilia. Qualia etiam amabo magnam partem sunt, quæ ex Historia Græca aut Romana, Grammatici tanto supercilio captant, & accepta jactitant! Vt nimirum dicant

Nutricem Anchisæ, nomen patriamque novercæ
Archemori; dicant, quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.

Vel vero uti narrent, utra manus Veneris vulnerata sit à Diomede, *quòd Zopyrionem Grammaticum quæsivit olim orator Maximus. Aut qualia Didymum Grammaticum agitasse scribit Seneca*: de Æneæ matre vera, libdinosior an ebriosior Anacreon vixerit, an Sappho publica fuerit. *Aut qualibus Tiberius Cæsar Grammaticos exercuit. Nisi vehementer sane fallor, in rem magis est, scrutari isthæc nostra; quamvis & ipsa non magni interdum sint usus, illorum vero similiumq; peritia Litteraturæ & Philologiæ titulis superbiat. Non nego equidem & illorum esse suum aliquem usum, saltim ad rectius intelli-*

genda

genda veterum ſcripta: eoque nec cum Seneca horum peritiam dixerim plane ſupervacuam: *ceu multa alia* neceſſaria *quidem vitæ non ſunt, non propterea tamen omnino inutilia. Quemadmodum nec illud Senecæ admitti poteſt:* Plus ſcire velle quam ſit ſatis, intemperantiæ genus eſt. *Is tamen quem præbent illa uſum, reapſe perquam exiguus eſt. Quam ſcilicet jactura levis eſt, quantula inſcitia, ſi veterum ſcripta omnia non exacte intelligas! Bene S. Auguſtinus de litteratoribus:* Noſtros familiares graviter miſerari ſoleo, qui ſi non reſponderint, quid vocata ſit mater Euryali, accuſantur inſcitiæ. *Sed & de quammultis eorum recte etiam Seneca:* Iſta liberalium artium conſectatio, moleſtos, verboſos, intempeſtivos, ſibi placentes, facit, & ideo non diſcentes neceſſaria, quia ſupervacua didicerunt. *Vt igitur interſit quodammodo iſthac ſcire: in vita tamen noſtra uſum præſtat, quantum arbitror, patria illa & pene domeſtica haud ignorare. In hiſce ergo eruderandis quum feliciter laboraverit Avus Tuus, Elegantiſsime Meibomi, præclare profecto de*

republica totaque adeo Saxonia ille meritus est. Nec vero isto in studiorum genere cuiquam ille secundus fuit: plerosque superavit, & longo post sese intervallo reliquit. Ne Crantzium quidem, Fabricium, Reineccium, Albinum, Chytraum, Letznerum, Spangenbergium, Büntingum, principes hujus ordinis, excipio. Valuit enim non industria minus quam limato judicio: quorum hoc vel illud merito in omnibus aliis desideres. Hinc non piè tantum fecisti, edens in lucem praclara hac Avi monumenta, sed simul Saxoniam omnem insigni affecisti beneficio. Nec sanè dubites, rem non Principibus duntaxat, interque eos illi verè AVGVSTO & incomparabili doctrina aestimatori, sed omnibus promiscue intelligentibus gratissimam Te praestitisse; idque à sera etiam agnitum iri posteritate. Perge vero in praclaro illo instituto, ô bone, & jam proxime publicato quoque, sive per partes, sive uno volumine, varios Avi de Monasteriis vicinis, sive jam tum editos, sive hactenus delitescentes libellos. Imo novam curato editionem etiam reliquorum, saltim historici generis, Avi operum; cum & illorum pleraque jam tum in bibliopoliis nusquam

quam

quam compareant, haud exiguo in publicum damno. Ad easdem vero curas vocant Te etiam Parentis Tui, Summi & Philologi pariter & Medici, longè doctissima illa scripta, quibus rem Medicam omnem & Litteraturæ studia egregiè excoluit; idque itidem cum ob scriptorum illorum propriam utilitatem, tum ejus quam Parenti debes pietatis nomine. Quid? quod pietatis vinculum ad hæc edenda magis etiam Te adstringat: quantum videlicet Parens Avo propinquior est Tibi, Tuque huic majorem debes gratitudinem. Nec verò Tu vel Patri augustius & constantius erexeris monumentum; vel melius de humano genere mereare; vel denique studia tua Medica, quibus paterno Te exemplo addixisti, rectius nunc quidem excolueris. Cumprimis sane ex re fuerit editio præclari illius operis, quo scriptorum Artis Medicæ historiam Parens persecutus est: quippe quod indubie erit aliquando variæ ipsius doctrinæ monumentum ære omni perennius, & maximo rei Medicæ commodo. Cedet vero omnis hæc opera etiam Tibi in perpetuam laudem, & tanquam viam præparabit ad famam propriis brevi laboribus paran-

dam. Vetant enim ingenii præclaræ dotes, & ingens ille proficiendi ardor, jamque tum hac ætate comparata eruditio etiam abs Te quidquam niſi magnum exſpectare, nihil certe quod ſit infra Avi Patrisque illuſtria exempla. Vale Helmeſtadii in Acad. Julia VIII. Kal. Novembr. Anno CIↃ IↃ C LX.

Ad juvenem edecumatissimum, non modo omnigenæ scientiæ studiosum, verum *Rara quoq; & multiplici eruditione præfulgidum*

DN. HENRICUM MEIBOMIUM, I. H. F. H. N.

quum Opuscula Avi sui conjunctim ederet.

QVi dedit exemplum virtutis, creditur esse
Præ multis factus de meliore luto.
Proximus est illi, præclara exempla parentum
Qui scit constanter cum ratione sequi.
At tu, MEIBOMI, splendens genitoris avique
Exemplis, longè splendidiora facis.
Macte animo juvenis, qui primo flore juventæ
Conjungis patriæ lumina tanta faci.
Macte iterum, patriis exemplis ipse carere
Quod valeas, oriens lucida stella *Tui*.
Sentit avus, plausumque tibi nunc destinat alto
De cœlo, interitus libera scripta videns.
Dignus avo vivas: major genitore: resurgat
Per *Te* victurus cum *Patre*, magnus *Avus*.

Scribebam Groningæ Frisiorum. prid. Kal. Mart. qui erat bisextus CIϽ IϽ CLX.

Martinus Schoockius Log. & Phys. Prof.
Ord. in Acad. Gron. & Ommel.

IRMEN-

IRMINSVLA SAXONICA,

HOC EST

Ejus nominis IDOLI, ſive NVMINIS TVTELARIS, apud antiquiſſimos SAXONES paganos culti,

Et à KAROLO M. Auguſto per occaſionem belli Saxonici deſtructi,

luculenta & accurata deſcriptio.

Auctore

HENRICO MEIBOMIO.

Reverendissimis, nobilissimis, reverendis, & clarissimis Dominis,

Dn. ARNOLDO, Præposito, Dn. HEIDENRICHO, Decano, Dn. FRIDERICO, Scholastico, & toti CAPITULO cathedralis ecclesiæ

HILDESHEIMENSIS,

Dominis suis gratiosis, S. D.

IRminsulam, veteris Saxoniæ, verum Deum ignorantis, commune & tutelare numen, sive Idolum potiùs, mitto ad vos, Patres augustissimi. Quid? dicitis, tunc illam ad nos, & nunc demum, quam ab annis plus minus octingentis habemus in loco publico, conspicuo, sacro? Novi & vidi *antiquissimum hoc sine dubio universæ Saxoniæ monumentum:* vidi, inquam, & suspexi. Nescio enim quâ occultâ dulcedine animos ingenuos adficiant istæ quales quales antiquitatis ultimæ apud nos superstites reliquiæ. Certè non abs re dixit Nicephorus Callistus lib. 1. *Quicquid vetustate commendatur, id venerabile esse necesse est.* Et Hegesippus lib. 3. cap. 18. *Dulce est inter majorum versari habitacula, & vete-*

rum dicta factaque recensere memoria, atque eorum inhærere gratiæ. Ad vos redeo, Patres spectatissimi, habetis quidem Irminsulam, sive ut nos hodie loquimur, Armensulam, verùm qualem ego nunc ad vos mitto, nunquam vidistis antea, ita nempe, pictam & fictam, ut, (confidenter hoc dico) nec

—— —— Parrhasius aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Solers, nunc hominem ponere nunc Deum,

meliùs eam repræsentare potuerint. Sanè quantum in me fuit, pro eâ exornanda illustrandâque excussi omnia vetustatis nostræ adyta, sacraria & penetralia: diligenterque & cum curâ auctores inter se contuli, neque temerè recentibus quantumvis magni nominis famæque viris, fidem adhibui: imo conjecturas eorum aberrantes, frigidas & jejunas assertiones, vel potius dormitantes oscitationes, non semel notavi, reprehendi: eo duntaxat fini, ut quod Plinius in præfatione historiæ naturalis habet, *obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem redderem*, id est, ut Irminsulam, quasi ab oblivione vindicatam, apertaque in luce positam, non vobis tantum, Patres religiosissimi, sed toti Germaniæ facerem quàm notissimam. Neque soli, ut opinor, Irminsulæ lucem

cem fœneratus ſum, verùm in hoc commentario paſſim per oblatam occaſionem ea admiſcui & adſperſi, quæ ad hiſtoriam communis patriæ illuſtrandam non parum conducere poterunt. Dicam quod res eſt, & cur id nolim? ſæpe mihi bilem movent ævi noſtri hiſtoriographi, qui plerumque quicquid vel apud Crancium, vel alium quempiam ejus ævi & claſſis ſcriptorem inveniunt, id ſtatim cartis illinunt, proque indubitato lectori obtrudunt, nullâ inſtitutâ prius diſcrepantium auctorum collatione: non inveſtigatâ antiquitate ſuperiori, deguſtatisque fontibus è quibus Cranciani rivuli promanarunt: non inſpectis Pontificum max. bullis, Cæſarum diplomatis, Epiſcoporum principumque politicorum literis & inſtrumentis. Quæ omnia hic, tum induſtriè & ſine faſtidio inveſtigari, tum cogitatè accurateque adhiberi debent. Veritatem enim, ut Terentiani verbis utar,

Dumos inter & aſpera
Scrupoſis ſequimur vadis.
Fronte exile negocium,
Et dignum pueris putes:
Aggreſſus labor arduus,
Nec tractabile pondus eſt.

 Ego

Ego quod alibi conatus ſum diligenter, in Irminſulâ etiam cum ſtudio volui experiri. Quicquid id eſt operæ & laboris, Patres auguſtiſſimi, patroni gratioſi, vobis dico, conſecro. Et quibus rectius & meliori jure? Veſtra eſt res mancipi Irminſula, auctoritate magiſtratus ſupremi: per vos hoſpitibus, quotquot eam peregrè advenientes adſpiciunt, ſuſpiciunt, etſi muta, quotidie inculcat memoriam inæſtimabilis beneficij, quo Deus opt. maximus vniverſam adfecit Saxoniam, miniſterio Karoli M. ab horribilibus fœdæ gentilitatis tenebris clementer liberatam. Suſcipite igitur æquis animis vivam & præſentem divini muneris teſtem, novis nunc demum non tam coloribus pigmentiſque, quàm hiſtoricâ deſcriptione haut inamœnà ſuperbientem, meiſque in illuſtrandâ patriâ, ejuſque antiquitatibus eruendis honeſtiſſimis conatibus ex animo favete. Helmæſtadij ex academiâ Iulia, Kalend. Martij, anno MDCXII, qui eſt ſupra octingenteſimum quadrageſimus ab initio belli Saxonici, & deſtructione fani Eresbergenſis.

HENRICUS MEIBOMIVS.

EK-

ΕΚΤΥΠΟΝ IRMINSVLÆ.



Lectori S.

EN tibi, candide Lector, simulacrum IRMENSVLÆ qualis hodie ante presbyterium in summo templo Hildesheimensi conspicitur. Habet in longitudine pedes plus-minus undecim: circumferentia proximè basin est duorum cubitorum. Basis ipsa constat è rudi lapide sive topho: columna est marmorea, coloris spadicei. Cingula, quibus ambitur, sunt ex aurichalco, inaurata duo, medium & superius, sicut & interstitium, quod est inter hoc & coronam: quæ & ipsa inaurata, nec minus circulus cupreus ei incumbens, inscriptos habens tres versus heroicos, sicut meminimus infra cap. 8. Totum opus incingitur cancellis ferreis dentatis, ne quam patiatur injuriam. Audi & hoc lector, inspectâ editione Adonis Viennensis Parisiensi, prioribus longè emendatiore, deprehendo ibi legi ADVRMENSVL, quæ enunciatio convenit cum hodierna, quâ ARMENSVL vocatur. Primi scriptores rerum Francicarum, in vocabulis nostratibus multas coacervarunt vocales, unde pronunciatio horridior, simul & scriptio, Sic Reginoni HERIDIVICVM, quem HARDVICVM dicere debuisset, & VVILENEBVRG, quod simpliciter VVEILBVRG, dicitur, appellare placuit. Sic Ditmaro Merspurgensi VVIRINHARIVS scribitur, quem VVERNERVM rectius dixisset. Hæc monere te volui, nescius ne esses.

Vale.

JOAN-

IOANNI HENRICO MEIBOMIO, DOCTISSIMO & humaniſſimo iuveni,

S. D.

JOAN. CASELIVS.

IN pluribus tui diligendi cauſsis, IOANNES HENRICE MEIBOMI, & omnium prima, hac eſt, & cum primis neceſſaria, quòd CL. V. HENRICVS MEIBOMIVS, pater tuus, me tibi primo natu filio, primùm hunc ſolem adſpicienti συνεπιμελητὴν, de more delegit, cum tuo nomine nomen tuum Salvatori daremus. Etenim ille notitiam noſtram, quæ inter nos è communibus litteris & collegij principijs recentior eſſet, novo certioreque vinculo confirmatam, migrare in arctiorem amicitiam tum voluit. Sedulo enim & conſtanter hoc agunt viri boni, ut quæ ſemel ex virtute, aut non falſa virtutis opinione coaluerit benevolentia, omni ratione & perpetuis ſtudijs creſcat & ſtabiliatur. Hoc vero etiam animo, & ipſemet fui ab initio, in quo cum laudata pertinacia perſeveraverim, à me deſciſcere hac ætate nunquam potero: ac profectò ita ſentio, nihil eſſe privatim iucundius, nihil publicè ſalutarius tali bonorum conſpiratione, quos ſapientiæ ſtudia potiſſimum devinxerint: de quo & ſapientum monumenta & divina oracula nos paſſim erudiunt. Verum ego de te ad tè principio huius epiſtolæ potiſſimum loqui volebam, & inſtitueram, quod rectè à me fieri, vos quoque cenſeatis. A puero autem me ingenio & modeſtia tibi porro devinxiſti: modeſtiam probaſti nobis probitate morum, ingenium diſcendi deſiderio & profectu in litteris: neque ego deſideravi in

te meï observantiam, tu quoque facilè ex omnibus signis amorem in te meum, à paterno secundum perspexeris. Cura autem singularis erga te, neque à me requiri potuit, quæ etiam supervacanea videri poterat, cum & pater moderaretur studiis tuis, & ipse cupidè magnoque studio audieris doctissimos in omnibus partibus studiorum sapientiæ, qui veritatem, non opiniones, sectarentur. Nec pœnitebit te eius operæ, quam singularem & multam dedisti CORNELIO MARTINO nostro. Etsi autem præceptis & cohortatione ad te mea tibi nunquam opus fuit, tamen collaudavi te sæpius, quod esse pro illis potuit, & debuit, & fuisse suspicor: neque hodie alia re opus est, nisi, ut non incognitam vobis benevolentiam, non tam tibi, quam aliis aperiam: ad quam rem hanc mihi sumpsi occasionem, quod pater tuus mihi his diebus, suam de Irmensula *lucubrationem legendam misit, quam propediem publici iuris facturus videretur, depromptam ex historia Germaniæ Saxonica, non novam, nisi dicas plures historias. Plures enim ille libros, alios in lucem editos, alios in bibliothecis hactenus latentes, multis annis, longo difficiliq; labore evolvit, non tam, ut de maiorum idololatricis cultibus erudiremur, quàm gauderemus, & DEO benignissimo gratias ageremus, qui in Germania, abolitis impiis ritibus, lucem cælestis veritatis ante aliquot secula accendisset, qua in hunc diem quoque fruimur. Ab annis iam pluribus laudem promeretur pater tuus ea arte: quæ ipsi laurum & nomen absque invidia peperit, qui & iuventuti poëtas interpretaretur, & ipse veterum scriptis paria pangeret. Magnum illud est, & sapiente viro dignum, docere minores rationem vitæ hominum, & eos simul moribus, & consiliis instruere: quod pollicentur & præstant prisci primi perelegantes scriptores, quos sive vates sive poëtas dixerunt: qui scilicet essent pro sapientibus, vel sapientes ipsi: hoc olim quoque ad patrem tuum me scripsisse recordor, singulari tum honore ab imper. RVDOLPHO II. affectum: tu quoq; illa aliquando legeris: non novum, sed à pluribus viris doctis non minus luculentè traditum. Eiusdem artis erat secundum*

offici-

officium, ut præclara scriberet, de rebus eximiis, & virtute præstantes præmio laudum liberaliter afficeret. Sed carminum nominatim recensionem instituere nihil attinet; neque hic fieri possit aut debeat: quantum iure tribuat Mynsingerorum familiæ inter familiares proximè celebratum fuit. Illud autem & ipse si non cultis versibus, at oratione, soluta numeris, sæpe neque prorsus negligenter secutus fui. Poëtarum sanè est sapientiorum, ut Siculus ille cecinit: ὑμνεῖν ἀθανάτους, ὑμνεῖν ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν, & hoc unumquemque decet, qui nomen suum in bonis scriptoribus haberi velit. Alterum verò etiam meretur laudem, nec illâ minorem, neque priori adversariam, postquam historiæ quoque studio se immersit altius, non solum ut doceret publicè, sed etiam CL. Reineccii successor, eruta è tenebris multa publicaret. Docere res gestas omnium seculorum & gentium, & interpretari, ut historiæ finem percipiant auditores, sive ad se emendandos, sive ad depromenda consilia vel suis, vel aliis, vel patriæ, (nam qui neutrum spectet, ut verborum imbres effundat, non docet tamen) magnum profectò est, tum quod non cuiusvis, tùm quod nihil in vita utilius. An enim facile, habere in memoria temporum quasi omnia momenta, & universi orbis terrarum situm? & ostendere, quæ cui usui sint? Hæc qui noverit, quæ principio & ante lectionem vel sub ipsam scire necesse est, sibi vel ipse interpres erit, illius generis rerum omnium: etsi neq; alterum negem, qui magistrum audit, eum magna felicitate plurimum proficere, etiam brevi: quod regum & fortunatorum filiis ex usu est: quo bono nisi utantur, neque forte unquam, nedum sub iuventam in tot tantarumque rerum cognitionem penetrent, quorum non paucos novimus, de multis, magnis, & abstrusis rebus, quam eruditissimè differentes, quarum unaquæque certum hominem postulare videatur. Sed de historiæ interpretatione hic disserere, plus loci non est, quàm de altero, quod prius obiter attigi. Sed neq; dicam de scriptione historiæ: quid enim? qui non doctum, sed prædicatum collegæ labores, sive tantum probatum, veniam, ut alii cognoscant, quid super hoc instituto sentiam ipse, sive quid sentiendum sit, discant minores. Si enim paternas

laudes ad filium persequi instituam, non erit nemo, qui hoc carpat: neq; velim apud vos in suspicionem venire: neque videri venisse apud quemvis alium. Illud autem scribendi genus, quo in obscuro latentia in apertum proferuntur, esse arbitror, qui improbet, neminem: nec fieri potest, nisi quis ignorare quamplurima velit, novisse singulare quidquam nolit. Nosse autem cum alia remotissimorum & saeculorum & populorum, jucundum sit, tum domestica & patria in conspectu habere, jucundissimum est, etiamsi fructus altius non accedat, qui in capiendis consiliis eminet maximus, dum vicina cum vicinis comparamus, proxima à proximis potius petimus, quàm ex altero, sive saeculo, sive orbe. Praeclare mereri tum de patria, tum de aliis existimandus est, qui haec investigat, colligit, & nobiscum communicat, quamvis incredibili labore, & nunquam interquiescente opera. Multa vero etiam, praeter hoc accuratum opusculum, ante haec edidit, huc facientia, pater tuus, & quidem pridem, notas ad Sleidani de quatuor monarchijs librum, non mihi tantùm aut paucis solum probatas, sed acceptas passim gentium ab omnibus historiae studiosis, ut exempla toties operarum industria multiplicata, etiamnum desiderentur: accessere postea cosmodromium Gobelini Personae, & chronicon Riddagshusanum: ipse etiam edidit praeterea utilem & necessariam lucubrationem historicam, qua erudiretur collegium quoddam iurisconsultorum in superiori Germania, cum non satis de negotijs edocti, nec omnibus explicatis & cognitis, tulisse viderentur sententiam, quae tamen absq; veritate antegressa historia, in universum nulla est: sed & alia nobis ostendit, quae in memoria nunc non habeo: his etiam diebus iam typis expressa, legenda mihi misit, quorum notitia cumprimis usum amene sacris initiati: multa penes se habet plus etiam, quam inchoata, quae publicari quàm primum omnes velimus, & familiares flagitant: duas autem decades scriptorum, non publicatorum hactenus, prope diem in lucem proferet. Hanc autem ego laudem HENRICO MEIBOMIO patri tuo nemini invidens, optimis ex animo favens, ultro tribuo. Fecit enim plus quam ego in me non suscipiam, nedum persequar:

initio

initio conquirere tam varia monumenta magnæ curæ est, majoris legere, maxima divinare inter legendum, de singulis sæpe litteris, ecquæ nam, quid sibi denique velint: difficilius atq; laboriosius, conferre inter se omnia, existimare de singulis, repudiare inepta & falsa. Inde autem plurimum emergit boni, nempe veritas, quæ prima virtutum historiæ est. Certè enim, dum multa deprehenduntur & notantur falsa, vel verum ipsum apprehendimus, vel quod maximè verisimile: cujus rei penes prudentem lectorem utplurimum censura relinquitur. Eam rationem in hoc quoq; monumento secutum video, quam velim, ipsum porro, & alios, historiæ studio, eo fine incumbentes, sequi. Multum certè accedat lucis veritati historiæ, etiam nova lux affulgeat gravissimis deliberationibus. Namq; etiam in iis, qui mea ætate res gestas mandavere litteris, non uno loco aberravere: neq; de iis loquor, qui vel caussis serviendum duxere, vel hominibus: hi namq; perperam in historicis censeantur: sed qui cum studerent omnia verissimè perscribere, ut sese haberent, ipsi rei omnibus satisfacere non potuerunt, etiam in perpetua accuratissima investigatione, sive in Italia, sive in Gallia, sive in Germania, sive in Belgio, aut ubicunq; in orbe nostro scripserint: sive enim ego certos, sive unum notem atq; alterum. Quod autem neque minuta negligit, quæ fortè contemnant aliqui, idem quoq; in laude scribendi prudentiæ pono, à doctissimo quoq; Romanorum Varrone frequentatum singulari studio: minutias dictionum haud negligendas ratus. Originibus enim perspectis, res etiam ipsæ intelliguntur certius. Ego cum præter ea, quæ ante dixi, & hoc consilium probem, expecto, ut plura ejus generis, & pridem cœpta, in publicum proferat, quibus illustretur historia, & academia Iulia. Namq; magna veraq; laus est cujusq; academiarum, si quisq;, in quo præstat maximè, non interpellato altero, sed collegæ, ubi queat, aliquid opis ferat. Illud qui faciat, quantam potest, symbolam ad tranquillitatem vitæ hominum, veluti ad epulum maximæ panegyreos, debitam confert. Hoc pro argumento habeam doctrinæ & virtutis eximiæ, & perpetuæ concordiæ inter academias: cujus etiam sententiæ

esse universos collegas minimè dubito: hanc etiam ad te epistolam, libenter leget pater tuus, meæ in te benevolentiæ certo indicio: potius ut tibi de initio sapientiæ & virtutis spatio gratuler, quam ut te cohorter; etsi quoq; equo currenti aliquando calcaria addimus: timidior interdum ipse sum, qui perperam currentes teneam, interdum lentior, illis volantibus frænum injiciens. Cum autem, JOAN. HENRICE MEIBOMI, Græcas & latinas litteras ab adolescentia perdidiceris, nulla etiam neglecta parte studij sapientiæ, ipse te in omnibus confirmabis, quod in promptu habes, & perficies, quod tibi erit perpetuum. Hoc namque nemini nostrum intermittendum, quoad spiritum ducimus. In altero studio nobilissimo & saluti hominum necessario, magistros rectissimè audies & tutissimè, & disciplinarum, quæ in vita hominum usum habent, summæ atq; lectissimæ, tantum tribues & diligentiæ, & temporis, quantis omnino opus est, quod iuveni summi ingenij, & bona valetudine prædito, non usq; adeo erit difficile, quàm necessarium: quorum hoc asseverat ipse magistrorum vestrorum princeps, in operum vestibulo, ubi non dissimulat artem esse longam, ut ipsemet loquitur. Sed neq; hæc ego te doceo, in quibus tibi constes in perpetuum, velim, omni studio sectantem & arctissimè amplexantem porro in omnibus, vera & perfecta, quoad ejus fieri potest, uti facis à prima adolescentia. E veritate namq; emergunt, sive exoriuntur, & justa & recta & salutaria unicuiq;, & generi mortalium: atque hæc est immutabilis εἱμαρμένη, ut à primo summoque patre ab æterno initio sancita est. Vale. Helmstad, in acad. Iul. IV. Id. Mart.

CIↃ IↃ CXII

CA-

CAPUT PRIMUM.

DE IRMINSULA, IDOLO *Saxonum primo.*

IN *Idolis* maiorum nostrorum, quæ *Karolus Francorum rex*, nomine & re Magnus, Saxoniam cum exercitu ingressus, passim invenit, princeps fuit IRMENSULA, sive ut Georgius Fabricius Origin. Saxonicar. lib. 2. & 4. *Irminsulum*, numen gentis tutelare & commune.

Ab antiquis rerum Germanicarum Scriptoribus vocabulum hoc non uno eodemque modo enunciatur. Annales Francici Fuldenses, & diversi ab hjs Adelmo auctore, ad annum Christi 772. habent *Irminsul.* Hos sequuntur Ditmarus Mersburgensis lib. 2. Aimoinus de gestis Francor. lib. 4. cap. 69. Lambertus Schafnaburgensis, Hermannus Contractus, Conradus Vrsbergensis, Ioannes Stadvveg in Chron. MS. omnes ad annum 772.

Modicè variant, Adamus Bremensis, qui in historiâ Ecclesiastica lib. 1. cap. 6. primæ editionis *Irmindsul* appellat: Albertus Stadensis, & Caspar Barthius Adversar. l. 4. c. 7. qui *Erminsul:* & auctor vitæ Karoli M. à Pithœo editus, qui *Ermensul:* cum quo facit Joannes Trithemius de origine Francorum.

Alij in initio vocis aspirationem habent: ex quibus Regino *Hermansaul:* Sigebertus Gemblacensis *Hormensul:* VVernerus Rolevincius de laudibus antiquæ Saxon. parte 2. cap. 3. *Hermesuel:* Auctor MS. de vitâ Karoli M. lib. 1. cap. 14. & lib. 3. cap. 8. Lupoldus de Babenberg lib. de zelo veterum Germanor.

manor. Principum cap. 14. & Chronicon Belgicum magnum *Hermensul.*

Chronicon Saxonicum vernacula lingua perscriptum, & Moguntiæ anno 1492. excusum, ab omnibus discedens habet *Armensul*, quam enunciationem, dum etiam hodie retinent veteris Saxoniæ incolæ, approbare videntur.

Vocabulum *Irminsul* ex duabus dictionibus compositum esse nemo inficias ibit: de utraque controvertitur. Posteriorem nonnulli designare volunt *cippum*, sive *columnam*, quam Saxones Süls sive Suel: superiores Germani Saul / sive Seul appellant, ut *Irminsula* sit idem, quod cippus, sive columna, *Irmo* sive *Irmino* idolo sustinendo deserviens.

Alij ex Sül faciunt Sal sive Saal quod *aulam* significat sive *basilicam*, ut *Irminsula* sit deastri illius aula sive basilica. Hujus sententiæ auctor est Aventinus annal. Bojor. lib. 1. & 4. suffragantur Dresserus millenario 5. Spangenbergius Chron. Saxon. cap. 73.

CAPVT II.

De sede & domicilio Irminsulæ.

IDoli hujus templum sive basilica (Græci εἰδωλεῖον vocant, Prudentius Apotheosi *Idolium*, quemadmodum & Sulpitius Severus, ut pluribus docet Caspar Barthius Adverf. lib. 4. cap. 7.) fuit in veteri Saxonia, quæ hodie Westphalia. Non tamen ad ripam *Visurgis* ut Ado Viennensis autumat: neque ad fontem vel fl. *Lippiæ*, ut Ernestus Brotufius Hist. Anhald. lib. 1. cap. 14. Marcus VVagnerus in vita Karoli M. & Ioan. Lampadius in Mellificio Histor. opinantur: nec etiam ad *Ruram* fl. ut Letznerus in Hist. Karoli M. cap. 21. adfirmat: nec ad arcem *Driburgum* dioecesis Paderbornensis, ut vult Tilemannus Frisius Speculo de Monetis lib. 3. cap. 1. & 8. Sed in ripa *Dimele* fl.

Locum

Locum istum Annales Francici, Leo Papa Romanus in bulla, quam suo loco exhibemus, Aimoinus, Herm. Contractus, Auctor vitæ Karoli à Pithoeo editus, Poëta anonymus à Reineccio evulgatus, Alb. Stadensis, Henricus de Hervordia, Ioan. Trithemius, Paulus Æmylius lib. 11. & alij, *Eresburg* appellant: Gobelinus Cosmodromio ætate 6. cap. 38. Crancius Saxon. lib. 2. cap. 9. Munsterus Cosmogr. lib. 3. cap. 33. scribunt *Eresberg*.

Ægil monachus, scriptor vitæ S. Sturmionis, Abbatis Fuldensis, Widechindus Corbeiensis lib. 2. Regino lib. 2. Sigebertus Gemblacensis ad annum 772 & 941. Auctor vitæ Karoli Magni MS. lib. 3. cap. 8. & 9. cum aspiratione scribunt *Heresburg*: quos in historiâ Ottonis M. secutus Vrsbergensis, præter caussam à Fabritio inscitiæ accusatur. Fragmentum Annalium Francicorum editum ab Henrico Canisio habet *Heresberg*.

Orthographiam istam credo ex more ætatis mediæ profluxisse. Nam familiare erat scriptoribus uti aspiratione in initio, in medio & fine. Testis Aventinus annalium lib. 1. in nomenclaturâ operi præfixâ, ubi ejus verba: *H. aspiratio crebrior majoribus nostris, præcipuè superioribus Germanis. Vsi sunt in principio, medio, fine. L. quoq; aspirarunt, & duriuscule è gutture pronunciarunt: Celtæ ch. esse crediderunt.* Hæc ille. Dabo exempla: Annales Francici Fuldenses ad annum 775. nominant pagum *Liedbechi*: hunc Poëta anonymus vocat *Hlidbeki*. Regino ad annum 784. habet *Hostualos*, qui in vitâ Karoli M. *Ostuali*. Annales Fuldenses & Regino ad fluvium *Obacrum* (intelligunt *Ocram* nostratem) nominant locum quendam *Horheim*, qui in vitâ Karoli M. *Oraim*, hodie *Orem* sub præfectura Statemensi: Annales Francici scribunt *VVaharna*: Poëta anonymus *VVarna*. Sed ista obiter.

Io. Aventinus Annal. Bojor. lib. 4. nunc *Hareburgium*, nunc *Haroburgium* vocat: Ioannes Beccherer Chronico Turingico imperite *Erichsburgum*, quæ arx est Ducatus Brunsvicensis in districtu Calenbergio: & æque inepte Pomarius in Chron. Magd. *Ertzberg*.

Dithmarus Merseburgensis lib. 1. habet *Merseburg*: quem sequuntur Gepidanus cœnobita Sangallensis in Annalibus rerum Alemannicarum, Continuator Reginonis & Rolevincius: qui tamen etiam *Ariburgum* vocat, ex quo Hamelmannus perperam *Arnsburgum* facit. Chronicon Saxonicum vetus habet *Marsburg*. Chronicon Rithmicum ante annos 340. exaratum, scribit *Mersberg*, quæ appellatio hodieque durat, ut dicemus infra.

Est & hæc vox è duabus dictionibus composita: quarum posterior similiter in enunciatione variat. Quidam respicientes ad montem ipsum, scribunt *Eresberg*: alij ab arce, sive propugnaculo monti imposito, quod Germanis à Græca voce πύργος, burgum, fecerunt *Eresburg*, & per aspirationem *Heresburg*.

Gobelinus, loco antea citato, nomen *Eresberg* (eam orthographiam nos deinceps retinebimus) natum vult à religione, quod illuc è totâ gente Saxonicâ cotidie sacrificandi, oracula petendi, votique solvendi caussâ multi confluerent: ut *Eresbergum* idem sit, quod *mons venerationis*, qualis olim in *Silesiâ* fuit mons *Silensis*, à quo tota regio denominata est: eruditi *Sabothum*, vulgus hodie den Zottenberg/ appellat: de quo vide Ditmarum Merspurgium lib. 7. & Commentariolum nostrum de Pagis Saxonicis.

Idem tamen Gobelinus aliam adfert notionem, ac *Heresbergum* ab *Herâ*, quæ Græcis ἥρα, Latiné Iuno, dictum meminit. Cultam autem à priscis Saxonibus *Heram*, persuasumque fuisse vulgo, dæmonium istud, illis diebus, qui inter festum

festum Nativitatis filij Dei, & diem Epiphaniæ intercedunt, per aërem volitare, siquidem apud gentiles aër Iunoni cesserit: conferre etiam se invocantibus omnium rerum temporalium abundantiam, idem ex relatu seniorum affirmat. Repetit ista Crancius, sed ut auctorem dissimulet, quod ipsi familiare. Meminit etiam Christophorus Encelius in Chronico veteris *Marchiæ*. Locum ipsum dabimus mox cap. 5.

Merspergi appellationem idem Gobelinus recentiorem affirmat, vel *εὐφωνίας* caussâ, ad sonum inhonestiorem evitandum introductam: vel quòd Mars bellipotens *καὶ ὁπλοχαρής*, quem Saxones militiam & grave Martis opus cotidiè & non infeliciter exercentes, venerentur, sub nomine *Irmi*, vel *Irmini*, significari creditus sit.

Crancius in Saxoniâ loco supra citato, nescio qua de caussa, montem *Eresberg* à castro, sive propugnaculo *Mersburg* distinguit. Idem præter rem disputat, an Mersburgum, sive Eresbergum, fuerit in veteri Saxonia, vel ad *Salam* Thuringiæ fluvium, ubi hodieque urbs Episcopalis Mersburgum, (nomen, non à *Marso* prisco isto Heroë Teutonico: neque à *Merovvigo* Francorum rege: verùm *à loco depresso* sortita, ut Petrus Albinus habet progymnasmat. historiæ Saxon. pag. 70.) cùm Chronicon Saxonicum vetus disertè rem definiat his verbis: *Hæc erat forma Idoli Martis Marsburgi, quod Karolus M. destruxit in VVestvaliâ.* Accusat idem Crancius præter meritum scriptores Gallicos, perturbatè rem explicantes, imò omnia confundentes. Certe annales satis plani, & si quid hîc dubij, ex solo Widechindo monacho tolli potest. Is enim bellum civile, quod Otto M. Cæsar cum fratre *Dancmaro* (Ditmarus lib. 1. vocat *Tammonem*, quod idem esse alibi monuimus) gessit, describens, deque eodem Eresbergo loquens, non in *Thuringiâ* sed in *VVestvaliâ* bellatum ostendit. Meminit enim villæ *Stela*, qui locus hodieque superest è regione

Werdena monasterij Imperialis ordinis Benedictini. Meminit præsidij *Badiliki* Albertus Stadensis ad annum 938. *Bathiliki* (Rosuita poëtria & monialis *Gandersheimensis* in panegyrico de gestis Ottonis M. per errorem *Badulinum* nominat) quod hodie *Bellick* dicitur, infra Ruden opidum ad *Ruram* fluvium: Henricus II. Imp. *curtim* vocat in privilegio Gandersheimensi ad annum 1009. Crancius Saxoniæ lib. 3. cap. 15. toto cœlo errans ex *Badilico Bardevvicum* facit, quem errorem non errasset, neque Spangenbergium & Buntingum in eundem pertraxisset, si Reginonem, vel Vrspergensem inspexisset. In hoc propugnaculo captus est *Henricus Rixosus*, Aucupis F. Ottonis M. Imp. frater germanus, adolescens, ab hoste non principis, sed mancipij more tractatus. Præterea scribit Widechindus, & ex eo repetit Gobelinus, *Dancmarum* perduellem cæsum esse *Eresbergi* in templo *San. Petrino*, olim à Leone Papa ejus nominis III. consecrato. De consecratione templi & in veteri quidem Saxonia prolixe rem totam narrat Henricus de Hervordia ad annum Karoli M. 4. Christi 805. *Item perlatum est*, inquit, *ad Imperatorem, Sanguinem Domini in Mantua civitate fuisse repertum: misitq; ad Papam, ut hujus rei veritatem perquireret. Qui nacta occasione exeundi, primo in Lombardiam, quasi pro dicta inquisitione progressus est, indeq; subito arrepto itinere ad Imperatorem venit ad Karisiam, villam juxta Remis; & Natale Domini secum celebravit. Deinde Aquisgranum Papam Imperator perduxit, & post in Saxoniam antiquam, ibi Capellam in Bergkerken prope Mindam consecravit. Campanula quædam, quam reliquit, etiam nunc videtur ibidem. Capellam etiam S. Petri in Eresberg, quæ nunc Mersberg dicitur, consecravit.* Reliquit etiam Leo privilegium loco consecrato, sed id infra cap. 5. dabimus. Nullibi etiam legitur, Leonem Papam ad Salam Thuringicum penetrasse. Padibornæ autem cum Karolo fuisse scribunt Annales Fuldenses, ad annum 799. Repetunt

Auctor vitæ Karoli M. à Pithoeo editus, Regino lib. 2. & Marianus Scotus: nec retinet Crancius Metrop. lib. 1. cap. 2. Quas vero præterea ecclesias in Saxonia consecrarit Leo Pontifex, commemorat Theodoricus Niemius, primo Verdensis ad Alarim, deinde Cameracensis ad Scaldim in Belgio Episcopus, lib. de Iure & privilegijs Imperij: & post eum Rolevincius Saxoniæ antiquæ parte 2. cap. 9. in quibus ille expresse templum in monte Martis inculcat, quod hic præterit. Neque loco hoc scrupulum injicere cuiquam debet, quod *Mersburgum ad Salam* fluvium habuerit templum Sancto Petro consecratum, eique adjunctum Collegium monachorum familiæ Benedictinæ, quod idem de castro *Eresbergo* scribitur. Nam *Salanum* illud cœnobium longe post, tempore nimirum Henrici IV anno 1091. ab ejusdem loci Episcopo *VVernero* fundatum, & ab *Adelgoto* archiantistite Magdeburgio, filio *VVerneri Veltbemij*, ex *Gisela, VViperti Balsamiæ & Gaterslebij Dijnastæ* sobole, consecratum est, referente Ernesto Brotufio Chron. Merseb. lib. 2. cap. 17. & Casp. Bruschio in descript. Salæ fl. MS. Sed de Eresbergensis templi inauguratione nos infra plura.

CAPUT III.

Fani Eresbergensis & Irminsulæ descriptio.

IN *Eresbergo* (quod Annales Fuldenses, Regino, Aimoinus, Gobelinus & alij *castrum*: Poëta ἀνώνυμος, auctor vitæ Karoli, Ægil in vita S. Sturmionis, *castellum*: Widechindus & Ditmarus *urbem*, Auctor vitæ Karoli M. manuscriptus *civitatem*, nominant) fuit fanum, sive delubrum, religione augustum, magnitudine ingens, structurâ operosum, splendore magnificum, divitijs inclytum. Rolevincius de eo sic: *Multa dicun-*

dicuntur de fortitudine istius loci, deq; structurâ & columnarum pulcritudine, atq; decore illius fani.

In ipso templo columnæ marmoreæ impositum erat

——————Simulacrum, quod vocitabant
Irminsul, cujus factura, simulq; columna
Non operis parvi fuerat, parviq; decoris.

ut Poëta in vitâ Karoli.

Hoc simulacrum sive idolum ita describit Crancius Saxon. lib. 2. cap. 9. *Erat armati toto corpore effigies, cujus in dexterâ signum militare (nostri vexillum vocant) præferens rosam: cujus breve momentum & facilis ortus & interitus, ita eventus præliorum. In sinistra libram expandit, dubiam pugnantium sortem, facilè huc illuc inclinantem: pectus inerme ursum præferebat, interritum bellatorum animum insinuans. In clypeo leo, qui bestiis imperitat, invictum ad fortia facta impetum monstrat: floribus consito campo in quo stabat, quod nihil iucundius solet videri fortibus, quam in acie virtutem ostendere.* Repetit Munsterus totidem verbis Cosmograph. lib. 3. cap. 433.

Georgius Fabricius Originum Saxon. lib. 6. brevius his verbis depingit: *Imago statuæ erat vir armis terribilis, & gladio accinctus: in galeâ stabat gallus loco coni: in thorace expressus ursus: in clypeo leo. Manu dextera ferebat vexillum, cum insigni rosæ rubeæ: in sinistra lancem æquilibrem, quæ item in clypeo spectabatur.*

Idem Originum lib. 2. hanc habet descriptionem: *In eâ statuâ hominis armati imago erat, cuius galeæ gallus insidebat: thoraci insculptus ursus: clypeo de humeris dependenti leo: dextera vexillum tenebat cum insigni rosa agrestis, sinistra lancem æqualem.* Hæc tam Crancius, quam Fabricius, ex Chronico veteri Saxonico Moguntiæ excuso, ubi tamen tum descriptio, tum explicatio prolixior.

Wer-

VVernerus Rolevincius antiquæ Saxoniæ parte 2. c. 3. sic depingit: *Erant in statuâ Hermensuel quatuor imagines, scilicet, Martis, Mercurij, Herculis & Apollinis, sed tamen à Marte tanquam principaliore denominabatur locus. Hoc erat vastissimum Idolum totius Saxoniæ.*

Adamus Bremensis historiæ ecclesiasticæ lib. 1. cap. 6. scribit simpliciter, fuisse *truncum ligni non parvæ magnitudinis erectum in altum sub divo.* Quæ verba repetit Vrsbergensis paginâ 193. & ex eo Ioannes Boëmus Aubanus de moribus gentium lib. 3. cap. 13. Beatus Rhenanus rerum German. lib. 2. *columnam ligneam sub divo positam* appellat: Hulder. Mutius lib. 12. *ingentis magnitudinis arboris truncum in aperto campo erectum.* Et sane apud priscos Deorum effigies non affabre semper tornatas & expolitas, vel ex Lucano liquet Pharsal. lib. 3.

——— ——— ——— Simulachraque mœsta Deorum
Arte carent, cæsisq; extant informia truncis.

Sed de idolo Eresbergensi Chronicum Saxonicum vetus addit, idoli effigiem in reliquis etiam Saxonum templis depingi solitam.

CAPVT IIII.

De sacerdotibus ejus loci, & sacrorum more.

QUæ apud Eresbergum sacrorum fuerit religio, qui ritus, quæ ceremoniæ, propter supinam turpemque mediæ ætatis scriptorum negligentiam, *qui* (ut doctissimus vir Ioachimus Camerarius commentario ad Chronolog. Nicephori præclarè scribit) *quasi posteri tum præsentes essent, atque omnes, æque ut ipsi, quæ exponerent, explorata haberent, ita nihil explicatè, nihil distinctè retulerunt,* pauca admodum commemorare licebit. Hoc enim, partim ex incolarum quasi per manus traditis relatio-

relationibus, partim ex veterum schedarum fragmentis solummodo constat, sacerdotes utriusque sexus magno numero templo adfuisse: ex quibus fœminæ sortibus divinatorijs ad oracula excudenda, abdita atque abstrusa eruenda, susceptorumque negociorum exitus prænoscendos: viri sacrificijs hostijsque offerendis vacabant. Sed nec hi à politicis negocijs abstinebant, imo se illis maximè ingerebant, quod tamen, nec principes ipsi, neque populus ægrè ferebat: cum persuasum haberent, quicquid agerent, tanquam supremi numinis ministri & hierophantæ, id nunquam felici secundoque eventu cariturum. Erat tum temporis Saxonia omnis divisa in *pagos*, incolæ Gowen nuncupabant: pagi verò singuli suos habebant præsides, quos Gowgraven / hoc est districtus istius judices dicebant: hi omnes à sacerdotum Eresbergianorum collegio consuetudine inveteratâ constituebantur. Similiter mystæ illi designabant judices agrarios, qui annuatim statis diebus iudicia rusticana sub dio exercentes, controversias inter agricolas de nemoribus, agris, pascuis, hortis, fontibus, rivisque decidebant. Iudicia autem illa vocabantur Godinck, quasi Gowdinck. Woldemarus Marchio Brandeburgensis, Landesbergius & Lusatiensis in literis anni 1310. *Vt videlicet cives, qui in villa VVobeke resident, à conventu populi in Scheningo, quod vulgo dicitur* Godinck, *pariter & judiciis liberi penitus sint & soluti.* Dinck enim, sive Tinck veteribus Saxonibus erat *judicium.* Hinc Lautdinck / Holtdinck / Grewedinck Wichmannus Archiepiscopus Magdeburgensis in literis ad annnum 1191. *in placito, quod* Lautdinck *vocatur.* Balduinus de Wenden miles ad annum 1315. *In judicio quod* Grevedinck *dicitur* Ludgerus de Garsenbüttel miles ad annum 1332. *In judicio quod* Holtdinck *dicitur.* Satis & hoc constat, istum judicandi morem in *cis Veserana Saxoniâ*, & cum primis istis in locis, ubi postea dynastiæ *Göttinga, Northemia, Catelnburgia Lutterbergia*

bergia floruere, frequentatum: horumque tractuum iudices rusticanos auctoritatem suam à collegio Eresbergensi accepisse. Erant autem, ut rem persequamur, hujusmodi iudices certo loco sedecim, omnes honestis nati familijs, vitæque & famæ inculpatæ. Qui natu maximus inter collegas, *Gravius*, (Paulo Diacono lib. 5. cap. 36. atque alijs *Gravio*) quasi primarius judex; minimus *Frono*, id est, minister; reliqui Freyerichter/ hoc est, liberi judices, indigitabantur. Hujusmodi collegium iurisdictionem habebat in familias septuaginta duas, & simul in singularum fundos & possessiones, eamque quoties opus exercebant. Singulis annis bis, mensibus nimirum Aprili & Octobri, tam judex primarius, quàm minister, quos diximus, Eresbergum ibant, ibique duos cereos & numos novem offerebant, eo fini, ut numine tutelari placato uterentur, rerumque suarum successu secundiore gauderent. Si quis ex sedecim-viris illis isto anno vivis excessisset, id collegio sacerdotum indicabant, aliumque substitui rogabant. Is ex septuaginta duobus istis familijs, in quas iurisdictionem habebant prædicti, à sacerdotibus Eresbergensibus eligebatur, sic tamen, ut legati in consilium adhiberentur. Qui domum reversi, adjunctis sibi ex collegio alijs duobus, sub dio ante ædes designati septies sonorâ voce electionem novi iudicis populo denunciabant: & hæc erat ejus inauguratio. Iidem sacerdotes, quoties præliandum erat, statuam sui deastri columnæ detractam in aciem ferre, & à pugnâ captivos, quique ex suis segniter rem gessissent, vinctos verberatosque pœnis atque etiam ultimo supplicio afficere & mactare solebant. In universum enim apud Germanos olim nostros *non* erat *regibus*, ut Tacitus ait lib. de Mor. Germ. cap. 7. *infinita aut libera potestas. ——neque animadvertere, neque vincire, neque verberare nisi Sacerdotibus permissum.* Et ante Tacitum Strabo de Celtarum sacerdotibus fœminis dixerat,

eas per castra captivis occurrere strictis gladijs, & ad craterem aneum trahere, & in sublime elevatis guttur incidere, atq; ex sanguine postmodum vaticinari. Meminit etiam hujus rei vetus cantilena, in quâ regis cujusdam Saxonici filius propter infelix prælium sacerdoti se mactandum tradi miserabilibus conqueritur modis:

Sol ich nun in Gottes fronen Hende/
In meinen aller besten Tagen/
Geben werden vnd sterben so elende/
Das muß ich wol höchlich klagen.
Wen mir das Glücke fulget hette/
Des Streites einen guten Ende/
Dorffte ich nicht leisten diese wette/
Netzen mit Blut die hire wende.

Hic notandæ locutiones & verba hodie rara vel desita. Frone ministrum denotat, quod jam diximus. Gottes Frone est minister Dei, sive sacerdos, in cujus manus se mactandus incidisse queritur. Wette leisten antiquis Saxonibus erat satisfacere pro delicto: luere supplicium culpæ debitum. Vnde hodie judices rerum criminalium pronunciant, Er ist dem Keyser eine Wette schüldig. At Hire majoribus nostris idem quod sacrum, sine dubio ab ἱερὸς Græco. In epitaphio Henrici ultimi Comitis Wernigerodensis,

Do was de Hire sünte Erasmi vire.

hoc est, Erant tum feriæ divo Erasmo sacræ. Postremò sunt, qui scribant, antiquos Saxones, & cumprimis militares homines, certis iisdemque solemnibus & festivis diebus, armis indutos, aut etiam cataphractos, gladijsque accinctos, dextra verò cestus ferreos vibrantes, alternis circa Idolum patrium obequitare, interdum equis descendentes in genua procumbere, cernuos preces suas demurmurare, opemq; hoc modo præsentem, & in bello secundam fortunam efflagitare solitos.

solitos. Quæ res frequentata abijt in consuetudinem, ut etiam ex locis procul dissitis peregrini subinde advenirent auxilium petitum, devotionem suam numini tutelari anathematis strenisque ostendentes.

CAPUT V.

Quem Deum Irminsula repræsentarit, & cuius memoriæ sit erecta.

Cujus honori, vel memoriæ Irminsula erecta sit, aut quemnam ex veteribus Deastrum retulerit,

Historici certant, & adhuc sub iudice lis est.

Adamus Bremensis *Irmindsulam* Saxonibus patriâ linguâ idem esse vult, quod Latinis *universalis columna quasi sustinens omnia* Repetit totidem verbis Vrsbergensis pagina 193. Ad illam sententiam alludit Crancius in Saxoniâ loco sæpedicto: *Irmensul interpretantur nonnulli statuam publicam: Conjici permittitur dictam* Jdermansuel, *quasi commune profugium & asylum omnium, & Martem communem, qui in prælio diu vagatur incertus, diu dubius, quò ponat victoriam.* Hæc Crancius, cujus sententiæ subscribit Antonius Corvinus Theologus, & auctor notarum ad Conradum Vrspergensem paginâ 172: meminit Sebastianus Munsterus lib. 3. Cosmographiæ cap. 433. Huldricus Mutius lib. 12. Quòd verò Crancius *Martem communem* vocat, id cum Græcis & Latinis convenit: illis enim appellatione frequenti *ἄρης κοινός*: Videatur Cicero Philippicâ 11. Livius lib. 7. & 8.

Gobelinus, loco allegato, opinatur Irminsulam fuisse *statuam Mercurij*, quem affirmat à Saxonibus cultum: non tamen cum Romanis *Mercurium*, vel cum Longobardis *Godanum* (à quo vocabulo adhuc hodie Westvalis dies Mercurij der Godenstag nominatur) sed *Hermem* vel *Irminum* appellatum fu-

isse: & *Irminsulam* esse idem, quod *statua Hermis*, id est, Mercurij. Huic sententiæ suffragatur Andreas Althamerus commentario ad Cornelij Taciti Germaniam: Martinus Crusius annalium Sueviæ parte 1. lib. 12. cap. 1. Michaël Neander in descriptione orbis terræ parte 1. Ioannes Pappus in historia ecclesiasticâ, Caspar Barthius Adversar. lib. 4. cap. 7. Fridericus Lindenbrogius, alias tamen varians. Meminit similiter Munsterus, & Leonardus Crentzheimius in Chronologiâ.

Rolevincius *Mersburgum*, quod vocat, interpretatur *castrum Martis*: cum quo facit Theodoricus Niemius his verbis: *In opido montis Martis, ubi antiqui Saxones Martem pro Deo coluerunt.* Et Franc. Irenicus Exeges. German. lib. 12. Huc etiam spectat, quòd Rolevincius pro Eresburgo *Arisburgum* scribit, siquidem Mars Græcis ἄρης. Ab hac opinione non abhorret Georgius Fabricius Origin. lib. 2. ubi *Irmum Martem* fuisse dicit: alibi tamen ita recedit, ut in principio libri 2. Mercurium intelligat: libro 4. in dubio relinquat, Martemne an Mercurium Irminsula repræsentarit. Gobelinus errorem hîc statuit, ortum ex Widechindo Corbeiensi, qui falsò affirmarit, Martem Græcis dici Hermem vel Hermetem, cum is sit Mercurius, teste Augustino lib. 7. cap. 14. de C. D. & Isidoro Etymolog. lib. 8. cap. 11. quos allegat. Idem addit recens esse nomen montis Martis: reclamare, diplomata, privilegia, aliaque instrumenta publica, ab annis quadringentis scripta. Verum quia auctor hic prolixus est & accuratus in descriptione Irminsulæ, integrum locum ex cap. 38. ætatis sextæ adscribam. *Anno regni sui secundo* (Karolus) *congregato generali VVormatiæ conventu, Saxoniam bello aggredi statuit, eamque sine morâ ingressus, cuncta ferro & igni depopulatus, castrum Eresburg, quod modo mons-Martis dicitur verbis Latinis, cepit, & Idolum, quod à Saxonibus dicebatur Irmenseul, destruxit, & deinde usque ad flumen VVeseram accedens, receptis à Saxonibus obsides 12. & recessit.*

Scien-

Sciendum est de hoc Idolo Irminseul, quòd Mercurius apud Græcos Hermes dicitur: & quia Saxones olim sunt de Græcis exorti, ut suprà dictum est, hunc Mercurium secundum linguam Græcam, quasi honorabiliori nomine Hermin *seu* Irmyn *nominabant: quamvis idem Mercurius vulgò* Godan, *quasi bonum faciens (juxta quod linguâ Latinâ ipse quoque* Stilbon, *quasi* stillans bona *dicitur) seu mutatâ literâ* Wodan, *apud incolas regionis illius, quam Saxones occupabant, dicebatur. Vnde dies Mercurij apud eos* Godenstag/ *prout superius dictum est, nominabatur. Vnde legitur in gestis Longobardorum, quòd Longobardi, dum adhuc gentiles erant, Godan Deum, quem Romani Mercurium appellabant, speciali veneratione colebant, ex eo, quòd operâ ejus primum bellum, quando de sedibus suis egressi fuerant, quas sub nomine Romulorum primò possidebant, contra VVandalos feliciter egerunt, & nomen Longobardorum sibi ab eo inditum crediderunt. Cumque postea de Pannoniâ versus Italiam intendebant proficisci, Saxones, tanquam speciales amicos & fortes bellatores, sibi subsidium, seu verius in consortium, per legatos venire postulabant. Qui ad eos cum magno exercitu venientes, similiter cum eis Italiam invaserunt. Vnde Saxones adhuc pagani ejusdem religionis cum Longobardis fuisse videntur, & Deum illum, cujus ope res Longobardorum prosperari credebantur, speciali cultu venerabantur: quamvis fortè ante illa tempora speciali cultu ipsum Mercurium venerari soliti erant, ex eo, quòd Mercurius Deus sermonum dicebatur, & Græca lingua inter alias linguas clarior existit. Et hoc maximè videtur ex eo, quòd hunc Deum, non Mercurium, sicut Romani, nec Godan, sicut Longobardi, sed Hermem, quod proprium ejus nomen fuerat, antequã pro Deo habitus fuerat, sicut Græci nominabant. Huic Deo consecratum erat Idolum, seu simulacrum, in loco prædicto quod Irmenseul, id est, statua Hermis dicebatur. Et quod in loco prædicto concursus pro sacrificijs, ipsi Idolo faciendis, ex omni regione fiebat, à veneratione locus ille* Eresberg/ *id est, mons venerationis dictus est. Vel fortè Iuno, quæ apud Græcos Hera dicebatur, antequam Hermes in eodem loco, vel forsan simul cum eo colebatur, in-*

de locus dictus est Eresberg / *id est, mons Hera, videlicet Iunonis. Quòd autem Hera colebatur à Saxonibus, videtur ex eo, quòd adhuc quidam vulgares recitant, se audivisse ab antiquis, prout & ego audivi, quòd inter festum Nativitatis Christi, & festum Epiphaniæ Dominè domina Hera volat per aëra - quoniam apud Gentiles Iunoni aër deputabatur: Et quod Iuno quandoque Hera appellatur & depingebatur cum tintinnabulis & alis`, dicebant vulgares prædicto tempore,* Vrowe Here / *seu corrupto nomine* Vro Here de vluget / *& credebant illam sibi conferre rerum temporalium abundantiam. Ab hac Herà tractum est nomen Heroum apud Græcos antiquitus. Vnde animæ defunctorum, qui apud eos alicuius meriti æstimabantur, apud ipsos Heroës, quasi cum Herà, id est, in aëre habitantes, dicebantur, ut testatur Augustinus lib. 10. de civitate Dei, cap. 21. Sed quacunque ex caussà prædictarum locus prædictus nominatus sit, constat ex historicis, de partibus istis specialiter tractantibus, & alijs Chronicis, quod iste locus priùs* Heresberg *nominatus erat: sed postea vagâ quorundam curiositate mutatum est, ut dicatur mons Martis, quod mihi videtur sic exortum. Postquam multa loca in partibus istis sub cultu veri Dei sub fide Christiana consecrata sunt, nomen venerationis ab usu desuevit, sicut & nomen Hermis & Heræ. Et quia Mars apud Gentiles Deus belli dicebatur, & Saxones bellorum feritate multas gentes excellebant, credebant quidam Martem fuisse illum Deum Irmin, quem Saxones in loco prædicto coluerunt, nescientes hæc nomina Mercurius & Hermes eundem significare, prædictum locum quasi præ ceteris curiositate quadam excellere videri cupientes, montem Martis nominaverunt, credentes hoc cum vulgari linguâ, quæ dicitur* Mersberg / *concordare. Sed isti videntur decepti ex eo, quòd syncopationes & abbreviationes literarum & syllabarum multæ sunt in vulgari, propter quas origo dictionum non advertitur, nec intellectus earum primitivus habetur. Vnde si hæc oratio Latina:* vado ad montem venerationis, *transfertur ad linguam vulgarem, dicitur,* Ick gha tho dem Eresberge. *Vnde tandem usus inolevit,*

levit, quòd causâ prolationis celerioris dicebatur, Ick gha tho dem Mersberge. *Nam si diceretur,* tho dem Eresberge / *turpiter sonaret illa syncopatio, nam sonaret dicere ad montem culi. Quare hac litera M praeponitur huic dictioni* Eresberg. *Et inde supradicti accipientes occasionem dixerunt montem Martis. Sed non reperiuntur libri antiqui, nec privilegia, nec literae alia, quae habeant quadringentos annos, ubi reperitur hoc nomen mons Martis de loco supradicto. Fuit autem quidam conventualis monasterii Corbiae, Paderburnensis diaecesis, VVitikindus nomine, tempore Ottonis primi Imperatoris, qui scripsit gesta Saxonum & praecipuè ejusdem Ottonis & suorum genitorum. Hic videtur occasionem dedisse huic vocabulo montis Martis, quoniam in libro suo, quem scripsit de praedictis, hunc locum nominat Heresburge, & dicit, quòd Saxones coluissent Martem, quem ex eo, quòd ex Graecis fuissent exorti, Hermem nominassent, seu vulgari linguâ* Irmyn *: quia, ut asserit, Mars apud Graecos Hermes dicitur. Et quòd* Hirmyn *in hoc loco olim colebatur, alij librum praedicti VVitikindi fortè legentes, credebant hunc locum montem Martis ritè nominandum. Sed tam ille, quàm isti convincuntur ex dictis Augustini lib. 7. cap. 14. de civitate Dei, & Isidori lib. 8. cap. 11. Etymol. qui dicunt, quòd Mercurius apud Graecos dicitur Hermes, & Mars apud Graecos vocatur Gradivus, ut testatur Isidorus.* Hactenus Gobelinus. Vbi ad id, quod *Heram* à Saxonibus cultam ait, nota ex Michaëlis Rupij Chron. Gandersheimensi MSC. in Episcopatu Paderbornensi cultum olim idolum *Heremunt* dictum, in loco *Hierauga*, hodie Hojerschen / ubi Beatrix abbatissa Gandersheimensis, filia Conradi Saliçi Aug. circa annum 1040. monasterium fundavit.

Ioannes Aventinus, non Romano, neque Graeco indigeti, sed domestico & Germano Irminsulam sacram fuisse contendit. Verba ejus in annalibus Boiorum lib. 4. haec sunt: *Erat templum Hermionis Saxonibus vetustâ religione augustissimum, quo frequens populus coibat, & vota reddebat. Multa ibi opulenta*

lenta regum populorumq; visebantur munera, ingens auri argentiq; ibi copia ostendebatur, quæ vota reddentium grata voluntas congesserat. Saxones Hermanni-Salam vocabant, id est, aulam sive basilicam Hermanni, Hermionisve. Is fuit quintus Germaniæ magnæ Imperator, pronepos regis Manni, filij Tuisconis, parentis & auctoris nostri. Ipsum maiores nostri ob bellica facinora in numerum Deorum retulerunt, pro numine & belli præside hactenus coluerant. Eius fanum Magnus diripit, militibus aurum & argentum, opes Hermioni consecratas, distribuit. Idem Annalium libro I. *Sed ad Hermionem redeo: qui ob virtutem in cœlum sublatus à suis, cultusque pro Deo. Eius templum ac signum dictum Herman-Sal, hoc est, Hermionis-Sala, id est, aula, Karolus M. solo æquavit, & demolitus est.* Hactenus Aventinus.

Recentiores Germanicarum rerum scriptores, & in his Georgius Spalatinus, Reinerus Reineccius, Petrus Albinus, Andreas Vellejus Danus, Matthæus Dresserus, Cyriacus Spangenbergius, Christophorus Entzelius, Tilemannus Frisius, Ioannes Lampadius, Fridericus Lindenbrogius (qui tamen interdum variat) & alij, existimant *Irminsulam*, sive *Hermensulam*, fuisse signum quoddam in memoriam *Arminii*, seu *Hermanni* celeberrimi illius Germanorum regis & *Cheruscorum* Ducis, qui *Quintilium Varum* anno Christi decimo cecidit, grati animi ergò positum, indeque *Hermansula sive Armensula* appellatum. Huic sententiæ suffragatur, quòd prælium illud celeberrimum, quo Arminius *exercitu omnium fortissimo, disciplinâ, manu, experientiaque bellorum inter Romanos milites principe, ad internecionem trucidato* (verba sunt Vellejj Paterculi lib. 2.) Romanam servitutem à Germaniâ exterminavit, in veteri Saxoniâ adeoq; intra *Lippiæ & Amesis* fontes ubi hodie Dynastia Comitum Lippiensium, commissum sit.

Ioannes Goropius Becanus in Originibus Antvverpiensibus, sive Cimmeriorum Beccesselanâ lib. 6. circa finem, in o-

in omnia contraria. Refutat enim Crancium, negatque Irminsulam ad Mercurij, vel alterius Ethnici Dei memoriam positam, sed hieroglyphicam esse, ejusque interpretationem operosè admodum molitur. Verba etsi longiuscula, tamen quia auctor in paucorum manibus, & ut lectori exemplum hominis docti, in re neque difficili, neque tanti momenti, ociosè argutantis, ostendam, integra hîc subijciam. *Porrò illud minimè negligendum, Dacis cum Saxonibus non originem tantum & linguam, sed religionem etiam communem fuisse: Vtraque enim gens summo honore Mercurium coluit, quem* Herman *vocabant, quo communis omnium monitor notatur, uti latiùs in Deorum expositione docebo. Tacitus generatim ab omnibus Germanis* Mercurium *maximè coli tradit; statuas tamen humani oris specie Diis non fieri, sed Deorum nominibus secretum illud, quod solâ reverentiâ vident, nuncupari. Lucos igitur & nemora, ut idem refert, consecrant, &, ut ego comperio, integras etiam urbes Deorum nominibus appellant. Hinc igitur in Daciâ* Hermanstat/ *id est*, Hermopolis, *à Mercurio nomen duxit, præcipua totius regionis urbs: cui in Saxoniâ* Hermanstal *accedere videtur: de quo temporum illorum barbaries nihil certi nobis reliquit, aliis* Hermansuel / *aliis* Hermensal *scribentibus. Albertus Crancius hanc inscriptionem inventam tradit*: Dux ego gentis Saxonum victoriam certam pollliceor venerantibus. *Addit deinde hanc effigiem, ut toto corpore armatam dicat, dextrâ vexillum militare tenentem, cui rosa intexta, sinistra libram. Pectus ei inerme præ se ursum tulisse: in clypeo leonem fuisse: effigiem totam stetisse in campo floribus luxuriante. Horum interpretationem benè frigidam adjecit. Nos totam hanc delineationem symbolicam esse dicimus, & nulli Deo peculiariter propriam suamve. Alludit quidem nomen ad* Herman / *sed quæ adiicitur cauda, significationis rationem penitus immutat,* Hal *&* Sal, *id est, conserno, à quo fit* Sal, *quasi* so Hal/ *id est, ad conservandum.* Hal *autem olim in usu fuisse de opidis ad Salinas positis, & inde no-*

men adeptis, licet æstimare. Est Hal *inter Svvatzum & Oenipontem ingenti Salis monti ad radices hærens, ubi Sartaginibus ad 20. & amplius pedum diametrum patentibus salis petra salsa aqua permixta, tum ad dulcedinem coquitur, tum ad augmentum. Est &* Hal *in Saxonia eandem nominis rationem habens. Hoc verò tempore* Solt *&* Sout *magis est in usu, sicut pro* Halt| Haut: *pro* alt| aut/ *ferè pronunciamus. Permitterem Græcis & Latinis harum vocum natales, si etymon domi sua, vel melius, vel par invenire possent: quod cùm nequeant, fateantur primogeniam originem nostratibus deberi, qui salem à conservando dici intelligunt. Hinc igitur mox elucescit, cujus rei tesseram & symbolum in sacris ritibus gerat. Christiani pueris, quos baptizaturi sunt, salem in os induunt, sapientiæ salem ab ipsis accipi jubentes; quo significant conservationem hominis, atque ejus salem in sapientiâ consistere. Precantur igitur hoc suo symbolo, ut Deus sapientiam eis largiatur, cujus supremus apex est, ut Deum sapiant atq; cognoscant, cujus solius intuitu homo conservatur. Hinc Mosi Deus præcepit in hanc formam:* Quicquid obtuleris sacrificij, sale condies; nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal. *In Numeris item Aarón alloquens*: pactum salis ei & filijs ejus sempiternum esse dicit. *Christus verus sal, & vera patris sapientia*, Apostolos suos *dixit* esse salem terræ; *eo quòd per eos sapientiam suam mundo largiturus esset, per quam omnes servarentur ad vitam sempiternam. Bene autem salem pacti æterni vocavit, eò quòd illo significaretur sapientia & verbum patris incarnandum, quo homines servandi essent, quod Deus Abrahæ promisit, dum fore dixit, ut semen mulieris conculcaret caput Draconis. Pactum igitur illud & fœdus, quod Deus cum homine, serpentis fraude decepto, sanxit; sale notabatur: eò quòd illo solo, perinde atque sale quodam divinitatis, hominem ab omni corruptione, cui per peccatum obnoxius erat, salvum redditurus esset. Per sapientiam igitur crucis suæ ab interitu nos liberaturus, voluit in omni sacrificio salis hanc tesseram adhiberi, ut intelligeretur, non*

tur, non è nobis, sed aliunde, ab eo nimirum, cui sacra faciebant, conservationem corporis & animi pendere, atque ab illo solo sapientiam nobis eam infundendam, qua salutem consequi possimus, eamque esse salem fœderis sempiterni. Admiranda mysteria sub exiguâ re-calâ, & ubique obviâ, & nunquam non necessariâ, contineri videmus: quæ significantissimè lingua nostra tribus literis expressit, dum salem à conservando per excellentiæ figuram nominavit. Non immeritô igitur baptizandis exhibetur, quò hujus fœderis, huiusque sapientiæ, per quam solam effugere possumus corruptionem, omnes adstantes, recordentur, & ipsi tandem, cùm adulti fuerint, cogitent, se cum illo unitos esse, cuius solius ope salutem obtinere possint. Hinc illud est, quòd pactum conventionemque cum aliquo inituri salem degustare solent, eo innuentes, se quæcunque dixerint pepigerintque servaturos esse, non aliter atque si sale essent condita. Ex eodem fonte manat, quod Salt/ *sive* Saut/ *sive* Solt/ *uti plerumque ad ambiguitatem vitandam dicimus, pro stipendio ponatur, quo milites obligantur, ut memores sint, se illud accipere, quo firmam incorruptamq; fidem servare teneantur, quâ incorruptibili fœdere ducibus suis devincti. Antiquitus tamen, non tam stipendium spectabatur, quàm fœdus sale consignatum: quod tam sanctum habebatur, ut ij, qui sic inter se convenissent, omnia, quæ ad vitæ sive commoditates: sive pericula pertinerent, communia existimarent. Sed quia raritas per magna eorum esset, qui confœderationem ejusmodi cum principibus inire vellent, cœpit stipendium salis locum implere, ita ut nomen quidem sit conservatum, sed immutata ratio paciscendi. Quâ de re facilè est videre, quàm verè Cæsar de* Soldurijs *scripserit, quod nescio an à quoquam sit hactenus intellectum.* Atque, *inquit*, in eâ re omnium nostrorum intentis animis, alia ex parte opidi Adcantuanus, qui summam imperij tenebat, cum sexaginta devotis, quos illi Soldurios appellant: quorum hæc est conditio, ut omnibus in vitâ commodis unà cum his fruantur, quorum se amicitiæ dediderint, si quid ijs per vim accidat,

aut eundem casum unà ferant aut sibi mortem consciscant. Neque adhuc hominum memoriâ repertus est quisquam, qui eo interfecto, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusarit. *Hunc fœderum amicitiaque ineundi ritum plerique omnes parum animadvertentes, mirantur, qui factum sit, ut Cæsar ita devotos* Soldurios *dixerit Gallis vocari; cùm Soldurij illi sint hoc tempore qui salario conducuntur: quod vox ipsa compositionis suæ ratione apertè declarat. Accepit igitur stipendium militum ab hac antiquâ consuetudine honestissimum nomen; quo commonentur, haud secus se duci obedire debere, ac si salis fœdere devoti fuissent. Crediderim itaque à priscis Cimmeriis, apud Romanos etiam nomen salarii ab hac origine fluxisse; ac tandem corruptis hominum moribus, & amicitiâ & sincerâ fide exsulantibus cœpisse proverbio jactari; nemini fide nadum, nisi cum quo modium salis absumseris: quasi diceretur, nulla pacta, nulla fœdera satis firma esse, quamvis sale sint sancita: neque enim parum salis sufficere, sed integrum modium cum eo priùs edendum, cui fidem sit adhibiturus. Quod proverbium, quia Græcis etiam usitatum est, antiquum esse reor, & ab illâ, quam dixi, priscâ consuetudine deductum: ad quam dum refertur, non paullo plus salis mihi continere videtur, quàm dum simpliciter intelligitur de temporis diuturnitate. Hæc ergo salis significatio, cum apud omnes, tum maximè apud Cimmeriorum colonos, sacrosancta semper habita est, adeo ut hactenus, dum quippiam ratum esse volumus, aut in societatem quampiam cooptari, salem edamus, quasi eo omnia salva fiant atque confirmentur. Quamobrem salem in mensâ casu everti ac dissipari, inauspicatum habetur: eò quòd portendere videatur, eorum qui adsunt amicitiam & fidem non diu constaturam: quam rationem non opinor à multis hactenus observatam fuisse. Quia enim Sal à conservando dicitur, nec potest homo citra hanc cum aliis conjunctiorem vitam tueri, voluerunt prisci amicitiæ fœderumque salem symbolum habere. Hermansſal igitur ad verbum publicum communemque virorum salem nobis significans, quid aliud sibi vult, quàm*

quàm in fidâ societate hominum inter ipsos omnem & communitatis & singulorum consistere salutem? Et quia ad hanc firmam civium unionem magnâ opus est prudentiâ, fit ut sal alterum rursus significatum habeat, apprimè ad civitatem gubernandam conservandamque necessarium. Quâ enim re magis opus est ad publicam salutem, quàm sapientiâ? cuius officium est omnia disponere & ordinare, quàm sale quoque notari ostendi. Effigies igitur hæc hieroglyphica diligenter omnibus intuenda erat, quando nomine suo se publicam conservationem continere profitebatur. Quia ergo tota armata erat, ostendebat nullam pacem, nullam tranquillitatem tantam esse, quin semper arma sint inpromtu habenda: & eam civitatem felicem censeri, quæ nunquam curam armorum deponat, sed semper ad defensionem sit parata, sive pax sit, sive bellum. Pectus inerme erat, quo animus imperterritus indicatur; quod ursum præferens notabat, eo nos animo esse debere, ut non solùm sævi contra hostes, sed astuti etiam essemus; quòd ursi contra tauros pugnaturi supini jaceant, ac eorum dum trudere nituntur, cornua apprehendant, atque ita validam belluam prosternant. Deinde ut ursi sunt sævissimi contra hostes, ita catulos suos mirum in modum amant, & quod imperfectum in eis est, dum in lucem veniunt, lambendo & fovendo corrigunt: quod item civibus, tum omnibus, tum maximè optimatibus imitandum, ut sævitiam contra hostes, amorem erga suos, & omnem iuvandi diligentiam exhibeant. Multa sunt, quæ in hac ferâ symbolicôs considerari possunt, sed nihil æquè atque hæc duo; amor erga catulos, & sævitia erga hostes, quam ingenio & solertiâ juvant. Non est tamen etiam illud negligendum, quòd pectori potius, quàm capiti ursum additum videamus; quo monemur, virorum fortium esse, pectore, non ore sævire. In urso enim horrida illa & continua, dum irascuntur, vociferatio, quam sævitiam propriè nominandam quidam arbitrantur, homines magnanimos minimè decet; sed contrà eas comprimere, & pectore imperterrito in hostem ferri, sic tamen ut ursinæ astutiæ immemores simus. Clypeus leonem habebat figuram

maximi & regij animi: quod apertius est, quàm ut multis sit explicandum. Hasta cum vexillo, quod multis fasciis sive teniis constat, ostendit cives omnes unanimes & colligatos esse debere, & hosti ostentare; hastam se habere ad pugnandum, & vittas hastæ allegatas: quibus significent, se homines esse ad sanctam amicitiam & firma fœdera ineunda, si injuriis supersedeatur, & si quid damni acceptum, id resarciatur. Sed de vexillo militari Cimbrorum in Brabantiæ nomine plura memini dixisse. Quod autem dixi de amicitiâ ineundâ, id clarius rosa, quæ in vexillo erat signata, indicabat, quæ quia Veneri sacra est, ad amorem invitat. Neque enim cum ullâ gente sic bella gerenda, ut nullus aditus ad pacem detur, imò contrà virorum fortium est, omnes, quoad ejus fieri potest, ad æquabilem amicamque societatem vocare, nec aliâ de caussâ bella geruntur, quàm ut amoris & pacis vincula inter homines redintegrentur. De rosâ in Antwerpianis insignibus locus erit ampliùs disputandi: hîc satis esto, Venereum hunc florem pacem amoremque notare, quibus totius hominum universitatis venustas continetur. Sinistrâ lancem tenebat, clarissimum justitiæ indicium, quâ opus est, non solùm ad pœnas malorum, & bonorum præmia in civitate dispensanda, sed ad omnem etiam rerum permutationem, tum inter cives, tum inter hos, & exteros omnes. Ad hanc conservandam, arma totius corporis, & hasta, quam in dextrâ tenet, magno animo sunt conferenda: quoniam citra illam nulla Respublica pacem tranquillitatemque possit tueri. Bene itaque militaris labor dextrâ parte, unde motionis est principium, significatur: sinistrâ verò, in quâ quietis sedes, ad quam motio tendit, justitiæ tesseram præfert; propterea, quòd omnes conatus, omne studium, omnes bellorum motus, ad justitiam & æquitatem, tanquam ad finem suum, tendere oporteat. Porrò nota hæc imago in campo omni florum genere ridente posita cernebatur: quo non aliud denotabatur, quàm eam civitatem, eam regionem florere, in quâ diligenter omnia symbolis his indicata observantur. Non indigna sanè effigies Sagarum *sobole: quam equidem vellem, non à Saxonibus tantùm,*

sed ab

sed ab omnibus Christianis accuratè considerari, quò intelligerent, omnem bellicum apparatum, ad justitiam, non ad tyrannidem referendum: & tum demum, cum justitia & aquitas inter Principes & subditos servabitur, Rempublicam Christianam florere posse. Hermansal *igitur dicitur ab* Her/ *quod commune & publicum significare, alibi quoque docui: &* Man *voce notâ &* Hal/ *quo id significatur, quod conservat. Hinc Antvverpiæ* Hal/ *quævis domus vocatur, in quâ merces plurimorum conserventur. Hinc* Hal *&* Sal/ *pro Sale quòd eo carnes & alia hominis alimentum conserventur.* Hermansal *ergo est communis virorum conservator, vel communis hominum Sal: quia hac hieroglyphicâ figurâ ea monebantur, quæ ad publicam civium salutem erant necessaria, quæ de ritu prisco loco Hermæ posita, tandem in vesanam superstitionem est conversa: uti in aliis quibusdam hieroglyphicis videmus evenisse, quæ ad commonendum duntaxat conficta, ab imperitis hominibus, vel avidis lucri impostoribus, ad falsam & impiam religionem sunt detorta. Neque igitur Mars est, neque Mercurius, sed Idolum, vel ex errore, vel ex imposturâ natum, dum majorum hieroglyphica monita, aut non intelliguntur, aut fraude sacrilegiorum lucrionum, ut digno nomine pseudierophantas appellem, in fœdam & anilem superstitionem trahuntur. Crancius* Gallos *accusat, quòd Germanicæ linguæ imperitiâ dictionem hanc ita perturbarint, ut à se non intelligatur. Addit tamen, esse, qui statuam publicam interpretentur, atque hinc conjicit* Hermansuel/ *dicendum, quo clarè demonstrat, se lingua sua nihilo Gallis, quos accusat, esse peritiorem. Ignorat enim* Her/ *publicum communemque significare: & hinc exercitum* Her *dici, & publicam viam* Her-ban/ *& ducem communitatis* Hertzog: *& communem in domo ad ignem locum* Hert/ *&* Heralt *&* Herman *&* Heer/ *& Herculem & Heram ab eodem derivari ut alibi dicetur. Putavit itaque* Hermæ, *& aliorum Deorum nomina Saxones à Romanis tempore Drusi didicisse, quasi antè sine Diis, & eorum nominibus fuissent. Nos contra demonstrabimus, Romanos à* Cimmeriis, Saxonum

aut eundem casum unà ferant aut sibi mortem consciscant. Neque adhuc hominum memoriâ repertus est quisquam qui eo interfecto, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusarit. *Hunc fœderum amicitiaque ineundi ritum plerique omnes parum animadvertentes, mirantur, qui factum sit, ut Cæsar ita devotos* Soldurios *dixerit Gallis vocari; cùm Soldurij illi sint hoc tempore qui salario conducuntur: quod vox ipsa compositionis suæ ratione apertè declarat. Accepit igitur stipendium militum ab hac antiquâ consuetudine honestissimum nomen; quo commonentur, haud secus se duci obedire debere, ac si salis fœdere devoti fuissent. Crediderim itaque à priscis Cimmeriis, apud Romanos etiam nomen salarii ab hac origine fluxisse; ac tandem corruptis hominum moribus, & amicitiâ & sincerâ fide exsulantibus cœpisse proverbio jactari; nemini fide n dum, nisi cum quo modium salis absumseris: quasi diceretur, nulla pacta, nulla fœdera satis firma esse, quamvis sale sint sancita: neque enim parum salis sufficere, sed integrum modium cum eo priùs edendum, cui fidem sit adhibiturus. Quod proverbium, quia Græcis etiam usitatum est, antiquum esse rear, & ab illâ, quam dixi, priscâ consuetudine deductum: ad quam dum refertur, non paullo plus salis mihi continere videtur, quàm dum simpliciter intelligitur de temporis diuturnitate. Hæc ergo salis significatio, cum apud omnes, tum maximè apud Cimmeriorum colonos, sacrosancta semper habita est, adeo ut hactenus, dum quippiam ratum esse volumus, aut in societatem quampiam cooptari, salem edamus, quasi eo omnia salva fiant atque confirmentur. Quamobrem salem in mensâ casu everti ac dissipari, inauspicatum habetur: eò quòd portendere videatur, eorum qui adsunt amicitiam & fidem non diu constaturam: quam rationem non opinor à multis hactenus observatam fuisse. Quia enim Sal à conservando dicitur, nec potest homo citra hanc cum aliis conjunctiorem vitam tueri, voluerunt prisci amicitiæ fœderumque salem symbolum habere.* Hermans sal *igitur ad verbum publicum communemque virorum fidem nobis significans, quid alind sibi vult,*

quàm

quàm in fidâ societate hominum inter ipsos omnem & communitatis & singulorum consistere salutem? Et quia ad hanc firmam civium unionem magnâ opus est prudentiâ, fit ut sal alterum rursus significatum habeat, apprimè ad civitatem gubernandam conservandamque necessarium. Quâ enim re magis opus est ad publicam salutem, quàm sapientiâ? cuius officium est omnia disponere & ordinare, quàm sale quoque notari ostendi. Effigies igitur hæc hieroglyphica diligenter omnibus intuenda erat, quando nomine suo se publicam conservationem continere profitebatur. Quia ergo tota armata erat, ostendebat nullam pacem, nullam tranquillitatem tantam esse, quin semper arma sint in promtu habenda: & eam civitatem felicem censeri, quæ nunquam curam armorum deponat, sed semper ad defensionem sit parata, sive pax sit, sive bellum. Pectus inerme erat, quo animus imperterritus indicatur; quod ursum præferens notabat, eo nos animo esse debere, ut non solùm sævi contra hostes, sed astuti etiam essemus; quòd ursi contra tauros pugnaturi supini jaceant, ac eorum dum trudere nituntur, cornua apprehendant, atque ita validam belluam prosternant. Deinde ut ursi sunt sævissimi contra hostes, ita catulos suos mirum in modum amant, & quod imperfectum in eis est, dum in lucem veniunt, lambendo & fovendo corrigunt: quod item civibus, tum omnibus, tum maximè optimatibus imitandum, ut sævitiam contra hostes, amorem erga suos, & omnem iuvandi diligentiam exhibeant. Multa sunt, quæ in hac ferâ symbolicôs considerari possunt, sed nihil æquè atque hæc duo; amor erga catulos, & sævitia erga hostes, quam ingenio & solertiâ juvant. Non est tamen etiam illud negligendum, quòd pectori potius, quàm capiti ursum additum videamus; quo monemur, virorum fortium esse, pectore, non ore sævire. In urso enim horrida illa & continua, dum irascuntur, vociferatio, quam sævitiam propriè nominandam quidam arbitrantur, homines magnanimos minimè decet; sed contrà os comprimere, & pectore imperterrito in hostem ferri, sic tamen ne ursinæ astutiæ immemores simus. Clypeus leonem habebat signum

aut eundem casum unà ferant aut sibi mortem consciscant. Neque adhuc hominum memoriâ repertus est quisquam, qui eo interfecto, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusarit. *Hunc fœderum amicitiæque ineundi ritum plerique omnes parum animadvertentes, mirantur, qui factum sit, ut Cæsar ita devotos* Soldurios *dixerit Gallis vocari; cùm Soldurij illi sint hoc tempore qui salario conducuntur: quod vox ipsa compositionis suæ ratione apertè declarat. Accepit igitur stipendium militum ab hac antiquâ consuetudine honestissimum nomen; quo commonentur, haud secus se duci obedire debere, ac si salis fœdere devoti fuissent. Crediderim itaque à priscis Cimmeriis, apud Romanos etiam nomen salarii ab hac origine fluxisse; ac tandem corruptis hominum moribus, & amicitiâ & sincerâ fide exsulantibus cœpisse proverbio jactari; nemini fidendum, nisi cum quo modium salis absumseris: quasi diceretur, nulla pacta, nulla fœdera satis firma esse, quamvis sale sint sancita: neque enim parum salis sufficere, sed integrum modium cum eo priùs edendum, cui fidem sit adhibiturus. Quod proverbium, quia Græcis etiam usitatum est, antiquum esse reor, & ab illâ, quam dixi, priscâ consuetudine deductum: ad quam dum refertur, non paullo plus salis mihi continere videtur, quàm dum simpliciter intelligitur de temporis diuturnitate. Hæc ergo salis significatio, cum apud omnes, tum maximè apud Cimmeriorum colonos, sacrosancta semper habita est, adeo ut hactenus, dum quippiam ratum esse volumus, aut in societatem quampiam cooptari, salem edamus, quasi eo omnia salva fiant atque confirmentur. Quamobrem salem in mensâ casu eversi ac dissipari, inauspicatum habetur: eò quòd portendere videatur, eorum qui adsunt amicitiam & fidem non diu constaturam: quam rationem non opinor à multis hactenus observatam fuisse. Quia enim Sal à conservando dicitur, nec potest homo citra hanc cum aliis conjunctiorem vitam tueri, voluerunt prisci amicitiæ fœderumque salem symbolum habere.* Hermanssal *igitur ad verbum publicum communemque virorum salem nobis significans, quid aliud sibi vult,*

quàm,

quàm in fidâ societate hominum inter ipsos omnem & communitatis & singulorum consistere salutem? Et quia ad hanc firmam civium unionem magnâ opus est prudentiâ, fit ut sal alterum rursus significatum habeat, apprimè ad civitatem gubernandam conservandamque necessarium. Quâ enim re magis opus est ad publicam salutem, quàm sapientiâ? cuius officium est omnia disponere & ordinare, quàm sale quoque notari ostendi. Effigies igitur hæc hieroglyphica diligenter omnibus intuenda erat, quando nomine suo se publicam conservationem continere profitebatur. Quia ergo tota armata erat, ostendebat nullam pacem, nullam tranquillitatem tantam esse, quin semper arma sint in promtu habenda: & eam civitatem felicem censeri, quæ nunquam curam armorum deponat, sed semper ad defensionem sit parata, sive pax sit, sive bellum. Pectus inerme erat, quo animus imperterritus indicatur; quod ursum præferens notabat, eo nos animo esse debere, ut non solùm sævi contra hostes, sed astuti etiam essemus; quòd ursi contra tauros pugnaturi supini jaceant, ac eorum dum trudere nituntur, cornua apprehendant, atque ita validam belluam prosternant. Deinde ut ursi sunt sævissimi contra hostes, ita catulos suos mirum in modum amant, & quod imperfectum in eis est, dum in lucem veniunt, lambendo & fovendo corrigunt: quod item civibus, tum omnibus, tum maximè optimatibus imitandum, ut sævitiam contra hostes, amorem erga suos, & omnem iuvandi diligentiam exhibeant. Multa sunt, quæ in hac ferâ symbolicôs considerari possunt, sed nihil æquè atque hæc duo; amor erga catulos, & sævitia erga hostes, quam ingenio & solertiâ juvant. Non est tamen etiam illud negligendum, quòd pectori potius, quàm capiti ursum additum videamus; quo monemur, virorum fortium esse, pectore, non ore sævire. In urso enim horrida illa & continua, dum irascuntur, vociferatio, quam sævitiam propriè nominandam quidam arbitrantur, homines magnanimos minimè decet; sed contrà os comprimere, & pectore imperterrito in hostem ferri, sic tamen ne ursinæ astutiæ immemores simus. Clypeus leonem habebat signum

aut eundem casum unà ferant aut sibi mortem consciscant. Neque adhuc hominum memoriâ repertus est quisquam qui eo interfecto, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusarit. *Hunc fœderum amicitiaque ineundi ritum plerique omnes parum animadvertentes, mirantur, qui factum sit, ut Cæsar ita devotos* Soldurios *dixerit Gallis vocari; cùm Soldurij illi sint hoc tempore qui salario conducuntur: quod vox ipsa compositionis suæ ratione apertè declarat. Accepit igitur stipendium militum ab hac antiquâ consuetudine honestissimum nomen; quo commonentur, haud secus se duci obedire debere, ac si salis fœdere devoti fuissent. Crediderim itaque à priscis Cimmeriis, apud Romanos etiam nomen salarii ab hac origine fluxisse; ac tandem corruptis hominum moribus, & amicitiâ & sincerâ fide exsulantibus cœpisse proverbio jactari; nemini fidendum, nisi cum quo modium salis absumseris: quasi diceretur, nulla pacta, nulla fœdera satis firma esse, quamvis sale sint sancita: neque enim parum salis sufficere, sed integrum modium cum eo priùs edendum, cui fidem sit adhibiturus. Quod proverbium, quia Græcis etiam usitatum est, antiquum esse rear, & ab illâ, quam dixi, priscâ consuetudine deductum: ad quam dum refertur, non paullo plus salis mihi continere videtur, quàm dum simpliciter intelligitur de temporis diuturnitate. Hæc ergo salis significatio, cum apud omnes, tum maximè apud Cimmeriorum colonos, sacrosancta semper habita est, adeo ut hactenus, dum quippiam ratum esse volumus, aut in societatem quampiam cooptari, salem edamus, quasi eo omnia salva fiant atque confirmentur. Quamobrem salem in mensâ casu everti ac dissipari, inauspicatum habetur: eò quòd portendere videatur, eorum qui adsunt amicitiam & fidem non diu constaturam: quam rationem non opinor à multis hactenus observatam fuisse. Quia enim Sal à conservando dicitur, nec potest homo citra hanc cum aliis conjunctiorem vitam tueri, voluerunt prisci amicitiæ fœderumque salem symbolum habere.* Hermansſal *igitur ad verbum publicum communemque virorum fidem nobis significans, quid aliud sibi vult,*

quàm in fidâ ſocietate hominum inter ipſos omnem & communitatis & ſingulorum conſiſtere ſalutem? Et quia ad hanc firmam civium unionem magnâ opus eſt prudentiâ, fit ut ſal alterum rurſus ſignificatum habeat, apprimè ad civitatem gubernandam conſervandamque neceſſarium. Quâ enim re magis opus eſt ad publicam ſalutem, quàm ſapientiâ? cuius officium eſt omnia diſponere & ordinare, quàm ſale quoque notari oſtendi. Effigies igitur hæc hieroglyphica diligenter omnibus intuenda erat, quando nomine ſuo ſe publicam conſervationem continere profitebatur. Quia ergo tota armata erat, oſtendebat nullam pacem, nullam tranquillitatem tantam eſſe, quin ſemper arma ſint in promtu habenda: & eam civitatem felicem cenſeri, quæ nunquam curam armorum deponat, ſed ſemper ad defenſionem ſit parata, ſive pax ſit, ſive bellum. Pectus inerme erat, quo animus imperterritus indicatur; quod urſum præferens notabat, eo nos animo eſſe debere, ut non ſolùm ſævi contra hoſtes, ſed aſtuti etiam eſſemus; quòd urſi contra tauros pugnaturi ſupini jaceant, ac eorum dum trudere nituntur, cornua apprehendant, atque ita validam belluam proſternant. Deinde ut urſi ſunt ſæviſſimi contra hoſtes, ita catulos ſuos mirum in modum amant, & quod imperfectum in eis eſt, dum in lucem veniunt, lambendo & fovendo corrigunt: quod item civibus, tum omnibus, tum maximè optimatibus imitandum, ut ſævitiam contra hoſtes, amorem erga ſuos, & omnem iuvandi diligentiam exhibeant. Multa ſunt, quæ in hac ferâ ſymbolicôs conſiderari poſſunt, ſed nihil æquè atque hæc duo; amor erga catulos, & ſævitia erga hoſtes, quam ingenio & ſolertiâ juvant. Non eſt tamen etiam illud negligendum, quòd pectori potius, quàm capiti urſum additum videamus; quo monemur, virorum fortium eſſe, pectore, non ore ſævire. In urſo enim horrida illa & continua, dum iraſcuntur, vociferatio, quam ſævitiam propriè nominandam quidam arbitrantur, homines magnanimos minimè decet; ſed contrà os comprimere, & pectore imperterrito in hoſtem ferri, ſic tamen ne urſinæ aſtutiæ immemores ſimus. Clypeus leonem habebat ſignum

sed ab omnibus Christianis accuratè considerari, quò intelligerent, omnem bellicum apparatum, ad justitiam, non ad tyrannidem referendum: & tum demum, cum justitia & æquitas inter Principes & subditos servabitur, Rempublicam Christianam florere posse. Hermansal *igitur dicitur ab* Her/ *quod commune & publicum significare, alibi quoque docui: &* Man *voce notâ &* Hal/ *quo id significatur, quod conservat. Hinc Antvverpiæ* Hal/ *quævis domus vocatur, in quâ merces plurimorum conserventur. Hinc* Hal *&* Sal/ *pro Sale quòd eo carnes & alia hominis alimentum conserventur.* Hermansal *ergo est communis virorum conservator, vel communis hominum Sal: quia hac hieroglyphicâ figurâ ea monebantur, quæ ad publicam civium salutem erant necessaria, quæ de ritu prisco loco Hermæ posita, tandem in vesanam superstitionem est conversa: uti in aliis quibusdam hieroglyphicis videmus evenisse, quæ ad commonendum duntaxat conficta, ab imperitis hominibus, vel avidis lucri impostoribus, ad falsam & impiam religionem sunt detorta. Neque igitur Mars est, neque Mercurius, sed Idolum, vel ex errore, vel ex imposturâ natum, dum majorum hieroglyphica monita, aut non intelliguntur, aut fraude sacrilegiorum lucrionum, ut digno nomine pseudierophantas appellem, in fœdam & anilem superstitionem trahuntur. Crancius* Gallos *accusat, quòd Germanicæ linguæ imperitiâ dictionem hanc ita perturbarint, ut à se non intelligatur. Addit tamen, esse, qui statuam publicam interpretentur, atque hinc conjicit* Hers mansuel/ *dicendum, quo clarè demonstrat, se lingua sua nihilo Gallis, quos accusat, esse peritiorem. Ignorat enim* Her/ *publicum communemque significare: & hinc exercitum* Her *dici, & publicam viam* Her-ban/ *& ducem communitatis* Hertzog: *& communem in domo ad ignem locum* Hert/ *&* Heralt *&* Herman *&* Heer/ *& Herculem & Heram ab eodem derivari ut alibi dicetur. Putavit itaque* Hermæ, *& aliorum Deorum nomina Saxones à Romanis tempore Drusi didicisse, quasi antè sine Diis, & eorum nominibus fuissent. Nos contra demonstrabimus, Romanos à* Cimmerijs, Saxo-

num parentibus, *nomina Deorum habere, neque domi sua ullam sanam interpretationem invenire. Ridiculus est etiam Munsterus, qui opida, quibus à Salinis Hal nomen est, credit à Græcis id emendicasse: scilicet Saxones, Suevi, & Oeni in Alpibus accolæ, Græcos consulerunt, quâ opida essent à Salinis nominanda. Interrogantur potiùs Græci, quâ ratione ἅλα pro sale dicant, & quicquam adducant, quod tam solidum tinniat, quàm etymologia, quæ conservandi vim nostratibus expressit. In lingua Cimbrica sive prima artificio in postulatis sive atematis mihi sumo, quando eadem vox in diversis linguis reperitur, eam illius esse propriam & germanam, in quâ ratio rei significata naturam optimè explicans invenitur. Hal igitur nostras est, nec Sal magis Romanorum, quàm Hal Græcorum, cùm apud nos Romanos, natura salis & ejus usus hac voce clarè exprimatur. Agnoscant igitur Saxones nunc tandem Salem suum, quo majores communem omnium salutem putarunt contineri: non aliter atque Christiani, inspectâ Christophori imagine, conservationem per eam diem sibi policentur: nec id falsò, si quæ significantur, ea diligenter & animo revolvant, & opere præstent. Sive verò publicum hominum conservatorem, sive publicum hominum salem, cum utrunque possis interpreteris, nihil refert, nisi quòd symboli naturam magis sapiat, si posterius sequaris, atque ab eo ad prius collectione pergas.* Hactenus Goropius, qui an acu rem tetigerit, aliorum esto judicium: certè ejus originationes, vel ipso Lipsio judicante, Cent. Epist. ad Belgas 3. ep. 44. *risum non oppositionem merentur, & sæpe sine indignatiuncula, vel risu, legi non possunt.* De fide vero ejus historica lege Suffridum Petrum lib. 1. de Frisior. orig. pag. 96. & 97.

CAPUT VI.

De nomine Irmin & ab eo compositis.

Quæcunque tandem origo sit nominis Irminsula, hoc constat, vocabulum *Irmin* priscis Germanis usitatissimum

mum fuisse, eoque tam viros quàm fœminas appellatas. *Irmino* abbas additur testis ultimæ voluntati Karoli M. apud Eginardum: & *Irmina* filia Dagoberti regis Francorum refertur à Casparo Bruschio historiâ monasterior. pag. 76. & apud Trithemium Chronico Sponheimensi ad annum 1152. Composita ab hoc vocabulo (mirificè enim istis majores nostri delectati sunt) reperias perquam multa: nos pauca hîc attingemus. *Irminburc, Irminfrid, Irmingard, Irmingarus, Irminger, Irmingund, Irminheid, Irminhild, Irminholt, Irminhulf, Irminrabt, Irminric, Irminsind, Irmintrud, Irminvvar, Irminvvic, &c.* Quæ eadem alij in initio cum aspiratione scribunt, ut *Hirminvvic, Hirminsind, Hirmintrud.* Alij omissâ aspiratione pro litera I usurpant E in initio harum vocum, ut: *Ermingaudus, Ermenfredus, Ermenholfus, Ermenmarus, Ermenradus, Ermenricus, Ermensind, &c.*

CAPUT VII.

De Irminsulæ destructione.

HActenus habuimus descriptionem & Etymon Irminsulæ, restat de ejus destructione aliquid subijciamus. Incidit illa in annum Christi 772. qui est primus belli Saxonici in *Comitijs VVormaciensibus* decreti, & à Karolo M. feliciter auspicatoque suscepti. Erat ille tum temporis annorum circiter triginta. Initia belli fuere secunda, Eresbergo propugnaculo firmissimo primo impetu expugnato. Ab occupatione præsidij itum ad demolitionem fani, inveterat æque superstitionis maturum excidium. Sapienter in hoc Karolus: ostendit enim Saxonibus, inanem fuisse fiduciam, quam habuissent in tutelâ & patrocinio deastri imbellis, cujus impunè triumphati cadaver, & deformia rudera miserè ante oculos disjecta dissipataque jacerent. Deinde sublato veteris Idolomaniæ fomite & incitamento, ad sincerioris religio-

 nis pro-

nis propagationem aditum viamque sibi perquam commodam aperuit.

In fano ipso multa, ut memini antea, reperta opulenta regum, principum, gentiumque donaria, puta anathemata, & in his coronæ, scuta, vexilla, enses: præterea instrumenta sacra, mensæ, omnis generis vasa, nolæ, crotala, acerræ, thuribula, amulæ: plæraque ex auro, argento vel ære: inæstimabiles denique thesauri, quos vota solventium inconsulta prodigalitas ibi accumularat. Hæc præda cessit victori, partim inter milites, ut ad bellum alacriores essent, distributa: partim pijs usibus debitæ gratitudinis ergò destinata. Idolum ipsum columnæ affabrè factæ impositum, cum diris & contumeliâ dejectum comminutumque: tota ædificij sacri moles, quæ aliquot seculorum spacio magnificè exædificata ornataque, spectatores ad magnam admirationem traducebat, solo æquata est.

Auctor vitæ Caroli M. scribit Karolum vovisse, nullatenus inde se egressurum, nisi prius plena ejusdem loci & idoli ad laudem & gloriam nominis divini subversio facta fuisset.

Demolitioni totum triduum impensum ferunt, parte exercitus alia laborem urgente, alia contra hostilem vim & impetum in armis stante. Quod autem magna id temporis esset siccitas deficientibus tam rivis, quam fontibus, siti laborare exercitus cœpit: verum cùm in ipsâ meridie quiescerent, fons fœcundus larg fluxque improvisè erupit: cujus beneficio recreati, tàm homines, quàm jumenta, primque abolendæ infamis superstitionis negotium est maturatum. Rem totam ita narrat Henricus de Hervordia, ad annum Constantini Imp. 31. *Karulus Rex congregato Wormatiæ exercitu Eresberg castrum quod nunc Mersberg dicitur, cepit, & ipsum fanum destruxit, & omne argentum, quod ibi reperit, abstulit, idolum vix*

lum vix per triduum evertit. In cujus destructione, cùm in eodem loco per triduum moraretur, contigit, ut propter continuam cæli serenitatem desiccatis omnibus illius loci rivis & fontibus aqua ad bibendum inveniri non possent; sed subitò divinitus, ut creditur, in cujusdam torrentis concavo tanta vis aquæ eruperat, quiescentibus cunctis tempore meridiano, ut omni exercitui sufficeret. Tunc Rex idolo destructo arbitratus se Saxoniam domuisse, VVyseram fl: accessit, ibique acceptis à Saxonibus XII obsidibus recessit.

Crancius Saxon. lib. 2. cap. 9. innuit simulachrum conservatum, diuque pòst visum in monasterio Corbeiensi, cum tali inscriptione: *Dux ego gentis Saxonum victoriam certam policeor me venerantibus.* Hæc ille ex Chronico Saxonico veteri: cujus mentem tamen non est assecutus: cùm verba Saxonica more gentis & seculi concisa & subobscura, Latinè reddita ita sonent: *Olim Saxonum Dux fui & Deus, adoravit me populus Martis: gens quæ me veneratur, aciei cornua gubernat.*

Georg. Fabricius Orig. lib. 2. Statuam Irminsulam memoriæ & vetustatis caussâ Eresbergi diligenter asservatam fuisse affirmat, usque ad tempora Ottonis M. cujus jussu, bello civili *Dancmariano* confecto, inde sit ablata.

CAPUT IIX.

Translatio Irminsulæ ex Veteri in Cisueseranam Saxoniam.

IOannes *Letznerus Theologus,* patriarum antiquitatum investigator diligens & industrius, de hac translatione texit narrationem notatu dignam, quam, cùm alibi non extet, fidem tamen mereatur, ex auctoris Corbeiensi Chronico, & libro de vitâ Karoli M. vernaculâ linguâ conscriptis, nostris hîc verbis subijciemus: Destructo fano Eresbergensi & Idolo Irmo vel Irmino confracto, cùm Karolus animadverteret, columnam superstitem æquè Saxonibus venerabilem esse, atque deaster ipse

ipse fuerat, plaustro impositam, rectâ ad flumen Visurgim devehi, eoque in loco, ubi nunc *Corbeia* conspicitur, deponi, terræque infodi jussit. Defuncto autem Karolo, cùm *Ludovicus* primogenitus & in Imperio successor, Corbeiam quam dixi, fundaret, contigit, ut columna ista reperiretur: quam Imperator, non minus prudens, quàm religiosus, ut Saxonibus ad ἀποστασίας proclivibus, omnem veteris Idolomaniæ memoriam ex oculis animisque auferret, è vestigio trans Visurgim deportare mandavit. Agebatur negocium clàm & occultè, sed rumor nihilominus emanavit, Saxonumque animos plurimùm reddidit perturbatos. Qui Irminsulam deducebāt multi erant, armati omnes, ut vim, si qua inferretur, propulsare possent, Hos insecuti sunt Saxones, transmissoque Visurgi, eo in loco, ubi postea Comites, sive Dynastæ *VVincenburgij*, dominati sunt, festinabundos apprehenderunt. Orta ibi est velitaris pugna, quòd Saxones rem sacram à majoribus suis religiosè habitam cum imperio reposcerent: Cæsariani acriter resisterent, eo eventu, ut ex totâ multitudine octo statim interimerentur, quorum memoriæ totidem cippi lapidei in formam crucis cæsi, juxta viam positi sunt, additaque ædicula sacra, sive capella, ut vocant. Quæ velitationi & cædibus perpetratis occasionem præbuerat, loco conflictus nomen reliquit, ut *Armensula* (sic enim veteres Saxones locutos suprà meminimus) deinceps appellaretur. Ubi cùm initio unus & alter ex agricolis consideret, successu temporis plures confluentes, vicum sive pagum ibi mediocrem condiderunt. Is hodie paret equestri familiæ *Stockheimiorum*, sic, ut beneficium, sive feudum, sit illustrissimorum Ducum Brunsuicensium, quorum præfecturæ Wincenburgiæ *Armensula* accensetur. Cæsariani, profligatis Saxonibus superiores, ne novi pluresve hostes supervenirent, alacriter pergentes Armensulam ad *Inneram* fluvium (diploma Hen-

ma Henrici 4. Imp. ad annum Christi 1045. *Entristam* appellat) devexerunt. Agebat ibi Ludovicus Cæsar, novæ urbi, cui à vicino saltu, der Hilles appellato, nomen *Hilleshemiæ* indidit, condendæ, simulque novæ & ampliori basilicæ, sive templo Dominico, in usum Episcopi & Canonicorum, quos *Aulicam* ad *Salæ* & *Leinæ* confluentem, ubi Karolus M. sedem cathedralem erexerat, relinquere, & ad Inneram fl. migrare jubebat, erigendo, largiterque dotando, totus incumbens. In novum istud templum *Armensula*, prius tamen solemnibus cerimonijs lustrata, & à noxis, quibus in templo Ethnico inquinata credebatur, interventu piarum precum ritè expiata, cum tripudio introducta, atque ante presbyterium, sive chorum, ut vulgò vocant, ubi templi medium, collocata est. Ibi etiam hodie conspicitur, sustinendis luminaribus, quæ ferijs solemnibus accenduntur, deserviens. Hactenus Letznerus, qui auctorem, quem sequatur, laudat Conradum Fontanum, monachum Helmershusensem, familiæ Benedictinæ.

Hoc habet peculiare Irminsula, ut cultello percussa, sonum acutum instar tinnimenti reddat. Æstate cùm aër ferventissimus, ipsa per-quam est frigida, sudanti non absimilis.

Ignorata fuit hactenus & neglecta aliquot seculis, donec ante paucos annos, vir dignitate, genere & doctrinâ nobilissimus, Dn. *Aschiwsab* Heimborg / summi templi apud Hildesienses Canonicus, mihi & studijs hisce ex animo favens, situ & rubigine squalentem interpolari innovarique curaret. Inventi sunt in ea tres versiculi aureis literis exarati, quos ut ab Heimburgio accepi hîc adjungam.

Sic fructus vestri vestro sint gloria Patri,
Ne damnent tenebræ, quod fecerit actio vitæ:
Iuncta fides operi sit lux superaddita luci.

CAPUT IX.

De spectaculo in memoriam dejectionis Irminsulæ instituto.

IN memoriam destructionis Irminsulæ hodieque singulis annis solemne, etsi ludicrum, peragitur spectaculum, istum in morem. Pridie diei Dominicæ, quam vulgò *Lætare* nominamus, colonus quispiam, ex proximo rure ad id conductus, in areâ templo Dominico, sive Basilicæ San-Marianæ contiguâ, comparet, defertque secum duo ligna oblonga, senum circiter pedum, quibus terræ firmiter impactis, singulis imponit lignum instar pyramidis acuminatum, longum pedem unum. Investigiò confluunt ex plebe pueri magno numero, arreptisque baculis & lapidibus, ex intervallo longiusculo certatim pyramides istas deijciunt, dejectas reponunt, iterumque deturbant, tamdiu hoc agentes, donec ludi satietas eos domum redire jubeat. Hæc idem Letznerus in Chronico Corbeiensi Germanico Hamburgi excuso, cap. 18. atque ex eo repetit in vitâ Karoli M. cap. 18. sic tamen ut in circumstantijs modica variatio. Atque hoc modo antiquitas religiosa, rituumque in oculo incurrentium amans, superstitioni explosæ ac profligatæ multis etiam seculis pòst cum contumeliâ illudere & insultare, præsentes verò gratitudinis Deo debitæ admonere voluit,

CAPVT X.

De similibus spectaculis, alibi locorum quotannis exhibitis.

COnsimilia verò ejus generis spectacula alibi etiam usitari solita, tum intra tum extra Germaniam, non unus fidem facit scriptor. Cum enim anno 965. Polonia sub Principe Mieslao accepisset fidem Christi, atque hoc famæ nuncio Romam

Romam deferretur, Pontifex Johannes XIII misit in Poloniam Ægidium Cardinalem Tusculanum, qui hinc inde in regno constituit Episcopatus, ut nominant, & ecclesijs præfecit homines Italos & Germanos, qui populum erudirent & religionem propagarent. *Tum ex edicto regio*, inquit Ioachimus Curæus in Annal. Silesiæ pag. 31. & meminit in formulis precum desumptarum ex lectionibus Evangeliorum Dominicalium ad Dominicam Lætare, *Simulacra idololatrica ubique in Polonia publice confracta & exusta sunt die 7. Martij. Is fuit tum Dominicus quartus in quadragesima quem nominant Lætare Hierusalem. Horum eventorum memoria diu conservata est in hac gente, & eo Dominico die gestata sunt simulacra terribilia, similia spectris, in perticis, eaque tandem in coenum devoluta: qui mos adhuc hodie à pueris & puellis in Silesiá repræsentatur, & vocatur* Dominica mortis. *Quia etiam malos genios solebat colere & placare vetustas Ethnica.* Meminit hujus moris apud Silesios etiam Alex. Guagninus Compendio Chronicor. Polon. in historia Miesconis primi. *In Silesia quoque Poloniæ confini die 7. Martij, quo videlicet tempore idola demolita sunt, pueri in villis & opidis ex more recepto simulachrum quoddam ad similitudinem mulieris conficiunt, opidoque exeuntes, & cautionem quandam ingeminantes, simulachrum de ponte in flumen præcipitant.*

Martinus Cromerus de rebus gestis Polonorum lib. 3. hæc habet: *Repræsentari ejus rei memoriam etiam sua ætate Dlugossus testatur, quod in pagis quibusdam simulacra MarZanæ*, (quæ *Ceres* ut ille dicitur) *& Zievonia* (quæ alias etiam *DZeviana*, & *Diana* fuit) *contis præfixa* (*vel ut nos ex majoribus natu didicimus, trabis impósita*) *cum querulo & lugubri cantu vulgo in pompa gestari, & in paludem vel flumen abijci soleant ea die, quæ est quarta Dominica Quadragesimæ.*

Similiter Matthias de Michovia Chron. Polonor. lib. 2, cap. 2. *Quia multi restabant*, inquit, *sacro fonte baptiZandi*, ideò

ideo per edictum strictè demandavit rex Mierzslaus, ut omnes in civitatibus & villegijs, nobiles atque ignobiles, septimâ die Martij adventante Idolis confractis & in lacubus aut aquis submersis: simul & lapidibus ab utriusque sexus hominibus obrutis, sub confiscatione bonorum & exterminatione baptisarentur. Quâ die superveniente, ut erat constitutum, cuncti jussa exsolventes renascebantur in Christo, & baptisabantur, servaturq́; ille mos usque in hodiernam diem in majori Poloniâ. Nam pueri in Dominica Lætare, facto Idolo seu imagine, alicubi in ligno longo eam portant, alibi in vehiculo ducunt, & in aquam proijcientes demergunt, singuli properè domum repetantes.

Georgius Torquatus Theologus & Historicus in annalibus suis Magdeburgicis & Halberstadiensibus manu-scriptis, partis primæ lib. 3. cap. 9. hæc habet: *Alibi alij instituti sunt ritus & publica spectacula, sive per Karolum, eiusve duces & successores, sive ex ipsorum hominum arbitrio, quibus abrogatæ vanæ superstitionis commonefacti ad constantiam in Christianâ religione retinendâ excitarentur. Sic Halberstadii quotannis in Quadragesimâ, Dominica* Lætare, *Canonici Cathedrales, in loco plano ante gradus cellæ, pyramidem quandam capitatam, columnæ impositam singuli eiaculatis fustibus deiicere tentabant, canentes Antiphonam:* Auferte hinc, dicit Dominus, & nolite facere domum patris mei domum negociationis. Ioan. 6. *Verum inter tot Canonicos vix unus & alter pyramidem illam columnâ deturbabat, reliquis omnibus ictu aberrantibus. Quo solemni ritu auctores haud dubiè retineri voluere apud posteros ingentis istius laboris atque studij memoriam, quod Karolus impendit ad destruenda regionum Idola, quæ Saxones in columnâ posita, ut Deos venerabantur. Canonicos verò commonefacere, ut pro suis quisque viribus & officio anniteretur, religionem veram, tot laboribus, tantoque studio inter toties ferociter rebellantes Saxones semel constitutam, incorruptam conservare, rejectis & exturbatis è Christi Ecclesiâ omnibus aliis dogmatibus ver-*

bus verbo Dei contrariis. Hæc peragebantur dicto Dominico die post Nonas, inde à multis seculis usque ad Ioannem Albertum, *Marchionem Brandenburgensem, administratorem Halberstadensem, & Archiepiscopum Magdeburgensem, qui Alberto Cardinali, Electori & Archiepiscopo successerat. Tùm demum abrogabatur ritus ille, propter spectantis multitudinis pericula, quæ ei ex aberrantibus ictibus sæpe imminebant, & propter contemtum ipsius cleri: quos ut viros graves, & annis, nobilitate atque sapientiâ præstantes, ejusmodi ludicra exercere in tantâ luce Evangelii ridiculum erat.* Hactenus Torquatus.

CAPUT XI.

De Christianâ religione in Eresbergo propagatâ.

NOn erat satis Karolo Idololatricos cultus in Eresbergo abolevisse, etsi hoc fuerat Augiæ stabulum purgare: quomodo fides Christiana idolomaniæ eliminatæ substitui, & in rebelli indomitâque gente radices commodè agere & efflorescere posset, de hoc cogitabat, solicitusque erat plurimùm. Condidit itaque in ruderibus veteris templi, nuper in cineres redacti, sacellum, sive, ut à primariâ actione, quæ ibi peragi solebat, vocabant *Oratorium*: Græcis ejusmodi ædes *εὐκτήρια*, sive *προσευκτήρια*. De templo sic scribit auctor vitæ Karoli Magni MS. lib. 1. cap. 14. *Apud Eresburgum civitatem Saxoniæ quam propter inhabitantium pertinacem perfidiam & indomabilem contumaciam deleverat, sed tamen post casum in majori splendore Zelo pietatis restruxerat, post eversionem Idoli*, Hermensul, id est statua Hermetis *ab incolis vocati, basilicam Imperialis munificentiâ & celsitudinis construxit: ut quem locum cultura Dæmonum sordidaverat, Christiana religionis veneratio emundaret.* Sacello Karolus adjunxit collegium monachorum ordinis Divi Benedicti, homines doctrinâ vitæque sanctimoniâ commendatos,

datos, qui ibi verbi divini sementem spargentes, & tanquam in speculâ pro custodiâ gregis excubantes, filio Dei quam plurimos lucrifacerent. Cæsar Baronius Cardinalis collocat in annum 799. qui belli Saxonici fuit vicesimus septimus, climactericus simul & auspicatus. Addit idem Baronius privilegium à Papâ Leone 3. ecclesiæ recenti condonatum, quod undecunque ille habuerit, à nostratibus etiam conservatum constat. Etenim ab Henrico de Hervordia ad annum Karoli M. 4. Christi 805. totidem pene verbis refertur, intercedente tamen modicâ in uno aut altero variatione. Nos integram hic apponemus: *Leo servus servorum Dei, Karulo M. Imperatori Romanorum Augusto. Piæ tuæ intentioni per omnia congaudentes, quod jubes, annuere non tardamus. Igitur hunc montem Eresburg, quem expugnatum cum totâ Saxonia Deo obtulisti, & per nos B. Petro consecrasti, liberum ab omni humanâ potestate esse, & fratrum inibi ad Christi servitium adunatorum ditioni tantum modo parere censemus. Qui ne aliquid in hoc impedimenti patiantur: neve regni vestri invasoribus aliqua rebellandi fiducia præparetur, sub anathemate, S. Petri interdicimus, nequis unquam bellica in ipso monte præsidia collocare, aut decimas circa montem per duas Saxonicas* Rastas, *quas illuc delegasti, audeat diripere. Hoc* (conservantibus) *sit pax à Deo patre: infringentibus excommunicatio, & à beatorum collegio sit separatio in æternum. Datum Eresburgi per manum Ioannis Bibliothecarij & Cancellarij ecclesiæ Romanæ Kalend. Ianuarij 8. Kalend. Ianuarij, anno Domini* * * * *Leonis tertij 4. Indictione 8. die Dedicationis capellæ in Eresburg.* Hæc Baronius annalium Ecclesiasticorum tomo nono, ex Regesto Innocentij 4. vt ipse affirmat. In hoc privilegio (quod obiter monere libet) considerandæ est vox *Rasta*, merè Germanica, usitata mediæ ætatis scriptoribus. Adamus Bremensis: lib. 1. cap. 23. *Lu-*

cus Ram-

cus Ramsola in Episcopatu Verdensi positus, ab Hamburg nisi tribus disparatur rastis. Quod Crancius Metrop. lib. 1. cap. 34. sic exponit: *tribus disparatur rastis, hoc est, passuum millibus.* Vetus est vocabulum, teste Hieronymo, cujus in Ioëlem verba sunt: *Nec mirum si unaquaque gens certa viarum spacia suis appellat nominibus, cum & Latini* mille passus *vocent, & Galli* Leucas, *& Persæ* Parasangas, *&* Rastas *universa Germania.* Saxonibus adhuc hodie Rasten vel Resten / affine Græco ῥαστῶν, ut in Tacitum annotat Althamerus, est vel à labore, vel ab itinere quiescere: Unde *Rasta* tale viæ spacium, quo emenso aliqua quiete opus sit: CL. Freherus putat esse milliare Germanicum: quem vide Glossario, primo tomo scriptorum rerum Germanicarum præfixo: neque non Simonem Schardium Lexico juris.

Theodoricus Niemius meminit dedicationis fani Eresbergensis à Papâ Leone factæ, verùm de suo addit, inspectionem & tutelam religiosi istius sodalitij à Karolo M. Antistiti Corbeiensi demandatam. In quo graviter alucinatur: nam defuncto demum Karolo, Ludovicus F. quem scriptores Pium vocant, ex aureâ Corbeiâ Galliæ cœnobio haut longè Ambianis, ad ripam Somonæ fluvij, anno Christi 660. à *Batbilde*, Saxonici generis heroinâ, *Clodovai* 2. Francorum Regis conjuge fundato, *novam Corbeiam* prope *Huxariam*, *VVestvaliæ urbem* non incelebrem, auspicatù incoavit, religiosisq; colonis implevit, anno 822. ut Joannes Trithemius ex Henrico Hervordiensi, monacho Dominicano Mindensi, annotavit. Credibilius ergo, Ludovicum Imp. Corbeiam Saxonicam, quibus posset modis ornare, & simul commodis collegij San-Petrini providere volentem, fratres Eresbergenses Corbeiæ primùm subiecisse. Id quod confirmat Chronicon Corbeiense luci à me datum, desinens in *VVicboldo* abbate, qui à Friderico Barbarossâ Imperatore, anno 1155. Constanti-

ſtantinopolim ablegatus ſequenti rediit, ut Otto Friſingenſis de geſtis Friderici Imp. lib. 2. cap. 23. & 29. ubi tamen *Guibaldum* nominat. Verba Chronici ſunt: *Domnus Ludvvicus Imperator Auguſtus, Karoli M. filius, tradidit monaſterio* (Corbeienſi) *locum Huxeri cum omnibus terminis ſuis: Eresburg & Meppiam Abbatiolas, & cætera prædia in Aquilone: Iudita Imperatrix hæc à viro ſuo obtinuit.* Recitat eadem verba Henricus de Hervordia ex Ordinario Corbejenſi ut vocat. Verba ejus ſunt. *Tradidit etiam eidem Huxeri cum omnib. terminis ſuis. Eresberg & Moppen Abbatiolas & cætera prædia in Aquilone. Indita Imperatrix ab eodem viro ſuo hæc obtinuit.*

Templum Karolinum hodieque ſuperat, vivamque fundatoris imaginem ſaxo inſculptam in aditu cœmiterij oſtentat. In frontiſpicio templi litera A expreſſa apparet, quam incolæ, ex relatu majorum, affirmant denotare, collegium Eresbergianum primum eſſe ex illis, quæ Karolus Magnus amplificandi cultus divini cauſsâ certo numerò ſtruxit: ſicut inter reliqua Latinorum elementa A primum ſibi vendicat locum. Quæ relatio cùm hiſtoricorum fidem merentium monumentis comprobetur, facilè mihi perſuadebitur. Addam autem quorundam noſtratium ſcriptorum teſtimonia, ut res illuſtrior ſit. Gloſſator ſpeculi Saxonici ad libri 3. articulum 82. *Karolus ad numerum literarum alphabeti cœnobia fundavit, & in unoquoque per ordinem unam literam alphabeti de auro fabricatam, plus quam 100. libras Turonenſes valentem reliquit: quæ litera adhuc in pleriſque monaſteriis reperiuntur.* Chronicon Belgicum magnum pag. 44. *Karolus Imp. ad numerum literarum alphabeti cœnobia fundavit, & in uno quoque per ordinem literam ex auro fabricatam, plus quàm ducentas libras Turonenſes valentem reliquit: ut ex ordine literarum tempus fundationis cujuslibet monaſterii recognoſceretur.* Huldricus Mutius Chron. rerum Germanicar. lib. 8. *Monaſteria Karolum ſcribunt fundaſſe, ut ita*

loquar,

quar, secundum numerum alphabeti literarum, & in singulis monasteriis singulas aureas literas deposuisse. Rudolfus Hospinianus de origine templorum lib. 1. cap. 6. *Referunt de Karolo, quòd tot monasteria & templa extruxerit, quot Latinorum elementa sint, & cuilibet elementi vocem indiderit.* Hæc malui auctorum, quàm meis verbis exponere, cum nonnihil inter se discrepent. Litteram A etiamnum Merspergenses suis, quos cudunt, numis imprimunt.

Collegium Eresbergense similiter adhuc perdurat, habetque Præfectum (vulgò Præpositum vocant) ex ordine equestri, cujus confirmandi potestas est penes Principem Corbeiensem.

Quod Isenacense Chronicon affirmat, Eresbergi templum à *Pipino*, Karoli M. parente, conditum esse, nullam fidem meretur, quamvis in centurias Magdeburgenses irrepserit. *Dancmarum* Henrici Aucupis Cæsaris F. ibi sepultum scribit Georgius Fabricius Origin. lib. 3.

CAPUT XII.

De Eresbergo opido ejusque historiâ.

CHronicon Saxonicum vetus anno 1492. Moguntiæ excusum (quibusdam ab urbe, in quâ ab homine plebeio, quod res & verba arguunt, compilatum est, Brunsuicense dictum) affirmat post domitam Galliam à C. Iulio Cæsare, cui ineptè regis Romanorum titulus adscribitur, de nomine septem Planetarum in Germaniâ Transrhenanâ versus Septentrionem oportunis locis totidem arces fundatas esse. Inter has primò loco in VVestvaliâ in edito monte constructum *Marsburgum*, Marti, cujus idolum ibi positum sit, consecratum, &c. Sed hoc tanquam frivolum inepti somniatoris commentum irrident, Crancius Saxoniæ lib. 1. cap. 25. Fabricius Originum lib. 1. Refutat solidè & accuratè Petrus

se armis confoderent. Quanto vero illi pavore perterriti tanto amplius Christiani confortati, omnipotentem Deum laudabant, qui salvos facit sperantes in se. Hactenus vita Karoli. Mentionem prodigij hujus faciunt etiam versiculi de Karolo scripti:

Divino clypei super urbem sole rubentes,
Absterrent hostes conversa cæde furentes.

Quicquid sit, Karolus post paucos menses rediens, Eresburgum non tantum porro munivit, sed aliud etiam in ripa Lippiæ contra excursiones hostium propugnaculum extruxit. Scriptores coætanei nomen non exprimunt. Henricus vero de Hervordia, quem sequitur Rolevincius, Vechtelar appellatum scribit, & prius Widechindi regis fuisse. Nomen id interpretor sedes sive castra pugnæ. Nam Vechten priscis Germanis est prælio decertare: Ler vero, vel Lar / sedes vel castra significat, voce Leger vel Lager disyllaba more Germanico in monosyllabam contracta. Sic Bredelar/ de quo infra, significat castra lata: Frislar, cujus meminere Annales Francici ad annum 774. castra pacis: Goßlar/castra sive habitationem ad Gosam fluvium.

Sed ad Eresburgum redeundum. Id à postrema occupatione, Saxonibus Occidentalibus, in Karoli potestatem paullatim concedentibus (Iam enim primores gentis regi Francorum ejusque filijs, totique regno fidelitatem & obedientiam juraverant) ab omni præterea rebellione & injuria se abstinentibus, ampliari, publicisque ædificijs & privatis exornare cœpit. In illud jussu Karoli concessit *Sturmio*, alijs *Sturmus*, Norica provincia oriundus, primus Abbas Fuldensis, cum contra Orientales Saxones bellum redintegraretur: sed quod ætate fractus & invalidus, morbo etiam languesceret, cum Wintero Karoli medico, cujus in cura aberrationem experiebatur, inde ad suos reversus est, paulloque

post,

poſt, anno 779. obdormivit, ut Ægil habet. Abbas Fuldenſis, in vita Sturmionis. Repetit inde Chriſtophorus Brovverus Annal. Fuldens. lib. 3. cap. 5. Redijt Eresburgum Karolus anno ſequenti, commoratusque ibi diebus aliquot, acceſſit ad fontes Lippiæ, hodie Lipſpringe. Quinquennio poſt iterum Eresbergi fuit. Cum enim *Luidæ* ad *Ambram* fluvium, in agro Padibornenſi natalem Domini celebraſſet, paulloque poſt *Remam*, ubi Wernæ & Viſurgis confluens, inde in ulteriorem Saxoniã progreſſurus, perveniſſet, ne Viſurgim tranſiret, magnitudine hyemis, concitaque effuſi fluminis inundatione prohibitus eſt. Rediјt ergo Eresbergum, eoque *Faſtradam* conjugem *Rudolfi* Franciæ Orientalis Comitis F. ante biennium Wormatiæ ductam, cum primogenito *Ludovico*, cæteriſque filijs & filiabus ad ſe venire, præcepit. Aderant ipſi præſidij cauſſa virorum fortiſſimorum, juxta etiam fidiſſimorum cohortes aliquot, quas in agrum hoſticum ſubinde emittebat, non raro educebat ipſe, tota iſta hyeme ſolito aſperiore, quibus poterat modis, vicinos impreſſionibus fatigans, donec appetente vere, cum conjugem prius alio ablegaſſet, ad conventum Padibornenſem ſe conferret. Hyems iſta Eresbergi transacta peperiſſe Saxonibus dicitur *jus VVeſtphalicum*, quod alij *Vemum* ſive *Vemium* vocant; Crancius Saxon. lib. 2. cap. 21. appellat *occultum*, quem ſequitur Munſterus Coſmogr. lib. 3. cap. 456. Franc. Irenico Exeg. lib. 12. dicitur *Lex Sicambrica*, quod Weſtvali iidem ipſi cum Sicambris: vulgo Vehmrecht. Teſtis Wernerus Rolevincius, cujus hæc ſunt verba, perquam notatu digna, Antiq. Saxon. parte 2. cap. 6. *Hoc anno hyemavit Rex in Saxoniâ, ſimul proponens in eâ manere, donec totaliter Chriſtianæ religioni ſubderetur, & feculenta progenies perfidorum tolleretur. Erat hæc hyems lugubris multùm imbellibus, quia ſæpè fiebant de juſſu regis expeditiones ad vaſtanda loca illa, ubi ſe continebant, & flammis ac cladibus ſpoliisque diſtractis cuncta*

ideo per edictum strictè demandavit rex Mierzslaus, ut omnes in civitatibus & villegijs, nobiles atque ignobiles, septimâ die Martij adventante Idolis confractis & in lacubus aut aquis submersis: simul & lapidibus ab utriusque sexus hominibus obrutis, sub confiscatione bonorum & exterminatione baptisarentur. Quâ die superveniente, ut erat constitutum, cuncti jussa exsolventes renascebantur in Christo, & baptisabantur, servaturq; ille mos usque in hodiernam diem in majori Poloniâ. Nam pueri in Dominica Lætare, facto Idolo seu imagine, alicubi in ligno longo eam portant, alibi in vehiculo ducunt, & in aquam proijcientes demergunt, singuli properè domum repetantes.

Georgius Torquatus Theologus & Historicus in annalibus suis Magdeburgicis & Halberstadiensibus manu-scriptis, partis primæ lib. 3. cap. 9. hæc habet: *Alibi alij instituti sunt ritus & publica spectacula, sive per Karolum, eiusve duces & successores, sive ex ipsorum hominum arbitrio, quibus abrogata vanæ superstitionis commonefacti ad constantiam in Christianâ religione retinendâ excitarentur. Sic Halberstadii quotannis in Quadragesimâ, Dominica* Lætare, *Canonici Cathedrales, in loco plano ante gradus cellæ, pyramidem quandam capitatam, columnæ impositam singuli eiaculatis fustibus deiicere tentabant, canentes Antiphonam:* Auferte hinc, dicit Dominus, & nolite facere domum patris mei domum negociationis. Ioan. 6. *Verum inter tot Canonicos vix unus & alter pyramidem illam columnâ deturbabat, reliquis omnibus ictu aberrantibus. Quo solemni ritu auctores haud dubiè retineri voluere apud posteros ingentis istius laboris atque studij memoriam, quod Karolus impendit ad destruenda regionum Idola, quæ Saxones in columnâ posita, ut Deos venerabantur. Canonicos verò commonefacere, ut pro suis quisque viribus & officio anniteretur, religionem veram, tot laboribus, tantoque studio inter toties ferociter rebellantes Saxones semel constitutam, incorruptam conservare, rejectis & exturbatis è Christi Ecclesiâ omnibus aliis dogmatibus ver-*

bus verbo Dei contrariis. Hac peragebantur dicto Dominico die post Nonas, inde à multis seculis usque ad Ioannem Albertum, *Marchionem Brandenburgensem, administratorem Halberstadensem, & Archiepiscopum Magdeburgensem, qui Alberto Cardinali, Electori & Archiepiscopo successerat. Tum demum abrogabatur ritus ille, propter spectantis multitudinis pericula, quæ ei ex aberrantibus ictibus sæpe imminebant, & propter contemtum ipsius cleri: quos ut viros graves, & annis, nobilitate atque sapientiâ præstantes, ejusmodi ludicra exercere in tantâ luce Evangelii ridiculum erat.* Hactenus Torquatus.

CAPUT XI.

De Christianâ religione in Eresbergo propagatâ.

NOn erat satis Karolo Idololatricos cultus in Eresbergo abolevisse, etsi hoc fuerat Augiæ stabulum purgare: quomodo fides Christiana idolomaniæ eliminatæ substitui, & in rebelli indomitâque gente radices commodè agere & efflorescere posset, de hoc cogitabat, solicitusque erat plurimùm. Condidit itaque in ruderibus veteris templi, nuper in cineres redacti, sacellum, sive, ut à primariâ actione, quæ ibi peragi solebat, vocabant *Oratorium*: Græcis ejusmodi ædes *εὐκτήρια*, sive *προσευκτήρια*. De templo sic scribit auctor vitæ Karoli Magni MS. lib. 1. cap. 14. *Apud Eresburgum civitatem Saxoniæ quam propter inhabitantium pertinacem perfidiam & indomabilem contumaciam deleverat, sed tamen post casum in majori splendore zelo pietatis restruxerat, post eversionem Idoli*, Hermensul, id est statua Hermetis *ab incolis vocati, basilicam Imperialis munificentiæ & celsitudinis construxit: ut quem locum cultura Dæmonum sordidaverat, Christianæ religionis veneratio emundaret.* Sacello Karolus adjunxit collegium monachorum ordinis Divi Benedicti, homines doctrinâ vitæque sanctimoniâ commen-

datos, qui ibi verbi divini sementem spargentes, & tanquam in speculâ pro custodiâ gregis excubantes, filio Dei quam plurimos lucrifacerent. Cæsar Baronius Cardinalis collocat in annum 799. qui belli Saxonici fuit vicesimus septimus, climactericus simul & auspicatus. Addit idem Baronius privilegium à Papâ Leone 3. ecclesiæ recenti condonatum, quod undecunque ille habuerit, à nostratibus etiam conservatum constat. Etenim ab Henrico de Hervordia ad annum Karoli M. 4. Christi 805. totidem pene verbis refertur, intercedente tamen modicâ in uno aut altero variatione. Nos integram hic apponemus: *Leo servus servorum Dei, Karulo M. Imperatori Romanorum Augusto. Piæ tuæ intentioni per omnia congaudentes, quod jubes, annuere non tardamus. Igitur hunc montem Eresburg, quem expugnatum cum totâ Saxonia Deo obtulisti, & per nos B. Petro consecrasti, liberum ab omni humanâ potestate esse, & fratrum inibi ad Christi servitium adunatorum ditioni tantum modo parere censemus. Qui ne aliquid in hoc impedimenti patiantur: neve regni vestri invasoribus aliqua rebellandi fiducia præparetur, sub anathemate, S. Petri interdicimus, nequis unquam bellica in ipso monte præsidia collocare, aut decimas circa montem per duas Saxonicas* Rastas, *quas illuc delegasti, audeat diripere. Hoc* (conservantibus) *sit pax à Deo patre: infringentibus excommunicatio, & à beatorum collegio sit separatio in æternum. Datum Eresburgi per manum Ioannis Bibliothecarij & Cancellarij ecclesiæ Romanæ Kalend. Ianuarij 8. Kalend. Ianuarij, anno Domini* * * * *Leonis tertij 4. Indictione 8. die Dedicationis capellæ in Eresburg.* Hæc Baronius annalium Ecclesiasticorum tomo nono, ex Regesto Innocentij 4. vt ipse affirmat. In hoc privilegio (quod obiter monere libet) consideranda est vox *Rasta*, merè Germanica, usitata mediæ ætatis scriptoribus. Adamus Bremensis: lib. 1. cap. 23. *Locus Ram-*

cus Ramsola in Episcopatu Verdensi positus, ab Hamburg nisi tribus disparatur rastis. Quod Crancius Metrop. lib. 1. cap. 34. sic exponit: *tribus disparatur rastis, hoc est, passuum millibus.* Vetus est vocabulum, teste Hieronymo, cujus in Ioëlem verba sunt: *Nec mirum si unaquaque gens certa viarum spacia suis appellat nominibus, cum & Latini* mille passus *vocent, & Galli* Leucas, *& Persæ* Parasangas, *&* Rastas *universa Germania.* Saxonibus adhuc hodie Rasten vel Resten / affine Græco *ῥαστῶν*, ut in Tacitum annotat Althamerus, est vel à labore, vel ab itinere quiescere: Unde *Rasta* tale viæ spacium, quo emenso aliqua quiete opus sit: CL. Freherus putat esse milliare Germanicum: quem vide Glossario, primo tomo scriptorum rerum Germanicarum præfixo: neque non Simonem Schardium Lexico juris.

Theodoricus Niemius meminit dedicationis fani Eresbergensis à Papâ Leone factæ, verùm de suo addit, inspectionem & tutelam religiosi istius sodalitij à Karolo M. Antistiti Corbeiensi demandatam. In quo graviter alucinatur: nam defuncto demum Karolo, Ludovicus F. quem scriptores Pium vocant, ex aureâ Corbeiâ Galliæ cœnobio haut longè Ambianis, ad ripam Somonæ fluvij, anno Christi 660. à *Bathilde*, Saxonici generis heroinâ, *Clodovai* 2. Francorum Regis conjuge fundato, *novam Corbeiam* prope *Huxariam, VVestvaliæ urbem* non incelebrem, auspicatù incoavit, religiosisq; colonis implevit, anno 822. ut Joannes Trithemius ex Henrico Hervordiensi, monacho Dominicano Mindensi, annotavit. Credibilius ergo, Ludovicum Imp. Corbeiam Saxonicam, quibus posset modis ornare, & simul commodis collegij San-Petrini providere volentem, fratres Eresbergenses Corbeiæ primùm subiecisse. Id quod confirmat Chronicon Corbeiense luci à me datum, desinens in *VVieboldo* abbate, qui à Friderico Barbarossâ Imperatore, anno 1155. Con-

stantinopolim ablegatus sequenti rediit, ut Otto Frisingensis de gestis Friderici Imp. lib. 2. cap. 23. & 29. ubi tamen *Guibaldum* nominat. Verba Chronici sunt: *Domnus Liudvvicus Imperator Augustus, Karoli M. filius, tradidit monasterio* (Corbeiensi) *locum Huxeri cum omnibus terminis suis: Eresburg & Meppiam Abbatiolas, & catera pradia in Aquilone: Indita Imperatrix hac à viro suo obtinuit.* Recitat eadem verba Henricus de Hervordia ex Ordinario Corbejensi ut vocat. Verba ejus sunt. *Tradidit etiam eidem Huxeri cum omnib. terminis suis, Eresberg & Moppen Abbatiolas & cetera pradia in Aquilone. Indita Imperatrix ab eodem viro suo hac obtinuit.*

Templum Karolinum hodieque superat, vivamque fundatoris imaginem saxo insculptam in aditu cœmiterij ostentat. In frontispicio templi litera A expressa apparet, quam incolæ, ex relatu majorum, affirmant denotare, collegium Eresbergianum primum esse ex illis, quæ Karolus Magnus amplificandi cultus divini caussâ certo numerò struxit: sicut inter reliqua Latinorum elementa A primum sibi vendicat locum. Quæ relatio cùm historicorum fidem merentium monumentis comprobetur, facilè mihi persuadebitur. Addam autem quorundam nostratium scriptorum testimonia, ut res illustrior sit. Glossator speculi Saxonici ad libri 3. articulum 82. *Karolus ad numerum literarum alphabeti cœnobia fundavit, & in unoquoque per ordinem unam literam alphabeti de auro fabricatam, plus quam 100. libras Turonenses valentem reliquit: quæ literæ adhuc in plerisque monasteriis reperiuntur.* Chronicon Belgicum magnum pag. 44. *Karolus Imp. ad numerum literarum alphabeti cœnobia fundavit, & in uno quoque per ordinem literam ex auro fabricatam, plus quàm ducentas libras Turonenses valentem reliquit: ut ex ordine literarum tempus fundationis cujuslibet monasterii recognosceretur.* Huldricus Mutius Chron. rerum Germanicar. lib. 8. *Monasteria Karolum scribunt fundasse, ut ita*

loquar,

*tuar, secundum numerum alphabeti literarum, & in singulis mo-
steriis singulas aureas literas deposuisse.* Rudolfus Hospinianus
origine templorum lib. 1. cap. 6. *Referunt de Karolo, quòd
monasteria & templa extruxerit, quot Latinorum elementa sint,
cuilibet elementi vocem indiderit.* Hæc malui auctorum,
ıàm meis verbis exponere, cum nonnihil inter se discre-
nt. Litteram A etiamnum Merspergenses suis, quos cu-
int, numis imprimunt.

Collegium Eresbergense similiter adhuc perdurat, ha-
tque Præfectum (vulgò Præpositum vocant) ex ordine e-
ıestri, cujus confirmandi potestas est penes Principem Cor-
ıiensem.

Quod Isenacense Chronicon affirmat, Eresbergi tem-
um à *Pipino*, Karoli M. parente, conditum esse, nullam fi-
m meretur, quamvis in centurias Magdeburgenses irrepse-
. *Dancmarum* Henrici Aucupis Cæsaris F. ibi sepultum
ibit Georgius Fabricius Origin. lib. 3.

CAPUT XII.

De Eresbergo opido ejusque historiâ.

CHronicon Saxonicum vetus anno 1492. Moguntiæ ex-
cusum (quibusdam ab urbe, in quá ab homine plebeio,
ıod res & verba arguunt, compilatum est, Brunsuicense di-
um) affirmat post domitam Galliam à C. Iulio Cæsare, cui
eptè regis Romanorum titulus adscribitur, de nomine se-
em Planetarum in Germaniâ Transrhenanâ versus Septen-
ionem oportunis locis totidem arces fundatas esse. In ter
s primò loco in VVestvaliâ in edito monte constructum
rspurgum, Marti, cujus idolum ibi positum sit, consecra-
m, &c. Sed hoc tanquam frivolum inepti somniatoris
mmentum irrident, Crancius Saxoniæ lib. 1. cap. 25. Fa-
icius Originum lib. 1. Refutat solidè & accuratè Petrus

fortunium exanimati, cum victore pacem fecerunt, datis obsidibus: sed quòd libertati, quam in periculo videbant, plurimùm metuerent, per absentiam regis Karoli præsidiarios, in arce relictos tamdiu oppugnando fatigarunt, donec se dederent: quo facto muri à victore circumducti, à Saxonibus diruti soloque æquati sunt. Tertio belli anno Karolus in Saxoniam reversus Eresbergum, tanquam locum munitioni perquam idoneum, denuo & firmius, quàm antea, instauravit: sed insequenti anno (fuit is 776.) Saxones per vim iterum eo potiti sunt. Regino tamen lib. 2. & Auctor vitæ Karoli M. Anonymus, qui MS. extat in monasterio S. Gothardi in inclyta Hildesia, lib. 3. cap. 9. dissentientes, oppugnatum quidem, sed non expugnatum Eresbergum scribunt, quod prodigio duorum clypeorum, sanguineo colore flammantium consternati Saxones, re infecta abierint. Auctor vitæ Karoli, quem dixi, sic loquitur: *Alio quoque tempore prænominato victoriosissimo & Christianissimo Rege, post captivitatem & decollationem Rotgandi, nefandissimi tyranni, in Franciam reverso & de negociis sanctæ Ecclesiæ & Regni fideliter & prudenter disponente, Saxones cognita ejus absentia, more solito ruptis sacramentis, in unum conglobati, Heresburg castrum aggrediuntur, fraudulenter Francis suadentes, ut de castro exeant, & cum pace in patriam pergant. Sed cum illi fallacibus monitis minime assensum praberent, machinas praparant, munitionem obsidione cingunt, & summis viribus certant, sed nihil proficiunt. Quadam itaque die, cum iterum redivivo certamine bellum praparassent, apparuit Dei gloria manifeste super domum ecclesiæ, quæ erat infra castrum, videntibus multis, tam Christianis, quam paganis. Nam duo scuta apparuerunt super præfatam ecclesiam sanguineo colore flammantia, & velut in prælio quibusdam motibus agitata. Itaque pagani hoc signum aspicientes, timore & formidine repleti, mox in fugam conversi sunt, & in tantam amentiam devenerunt, ut strictis gladiis mutuis se armiss*

oſt, anno 779. obdormivit, ut Ægil habet. Abbas Fuldenſis, n vita Sturmionis. Repetit inde Chriſtophorus Brovverus Annal. Fuldens. lib. 3. cap. 5. Rediit Eresburgum Karolus anno ſequenti, commoratusque ibi diebus aliquot, acceſſit ad fontes Lippiæ, hodie Lipſpringe. Quinquennio poſt iterum Eresbergi fuit. Cum enim *Luidæ* ad *Ambram* fluvium, in agro Padibornenſi natalem Domini celebraſſet, paulloque poſt *Remam*, ubi Wernæ & Viſurgis confluens, inde in ulteriorem Saxoniã progreſſurus, perveniſſet, ne Viſurgim tranſiret, magnitudine hyemis, concitaque effuſi fluminis inundatione prohibitus eſt. Rediit ergo Eresbergum, eoque *Faſtradam* conjugem *Rudolfi* Franciæ Orientalis Comitis F. ante biennium Wormatiæ ductam, cum primogenito *Ludovico*, cæteriſque filiis & filiabus ad ſe venire, præcepit. Aderant ipſi præſidii cauſſa virorum fortiſſimorum, juxta etiam fidiſſimorum cohortes aliquot, quas in agrum hoſticum ſubinde emittebat, non raro educebat ipſe, tota iſta hyeme ſolito aſperiore, quibus poterat modis, vicinos impreſſionibus fatigans, donec appetente vere, cum conjugem prius alio ablegaſſet, ad conventum Padibornenſem ſe conferret. Hyems iſta Eresbergi tranſacta peperiſſe Saxonibus dicitur *jus VVeſtphalicum*, quod alii *Vemum* ſive *Vemium* vocant; Crancius Saxon. lib. 2. cap. 21. appellat *occultum*, quem ſequitur Munſterus Coſmogr. lib. 3. cap. 456. Franc. Irenico Exeg. lib. 12. dicitur *Lex Sicambrica*, quod Weſtvalii iidem ipſi cum Sicambris: vulgo Vehmrecht. Teſtis Wernerus Rolevincius, cujus hæc ſunt verba, perquam notatu digna, Antiq. Saxon. parte 2. cap. 6. *Hoc anno hyemavit Rex in Saxoniâ, ſimul proponens in eâ manere, donec totaliter Chriſtianæ religioni ſubderetur, & feculenta progenies perfidorum tolleretur. Erat hac hyems lugubris multùm imbellibus, quia ſæpè fiebant de juſſu regis expeditiones ad vaſtanda loca illa, ubi ſe continebant, & flammis ac cladibus ſpoliisque diſtractis cuncta*

perierant, ut jam non esset spes resistendi. Hanc extremam severitatem cogebatur pius Rex ministrare cum multo dolore cordis sui, propter nimiam pertinaciam ipsorum, qui nec Francis, nec Saxonibus conversis pepercerunt. Interea, ut fertur, misit Rex legatum Romam ad Leonem Papam pro consilio habendo de rebellibus istis, quos nullâ poterat diligentiâ ex toto compescere aut exterminare. Ast sanctus vir auditâ legatione nihil prorsus respondit, sed surgens ad hortulum ivit, & Zizania cum tribulis colligens supra patibulum, quod de virgis fecerat, suspendit. Rediens autem legatus hæc Karolo nunciavit, qui mox IUS VETITUM *instituit, quod usque in præsens* veme *vocatur. Videtur autem hoc nomen tractum à Latino, & sicut quidam de more habent etiam Teutonici, ut dicant* We mi / *quando aliquid triste vel terribile vident, vel audiunt, quasi,* væ mihi! *Sic hoc pragmatico & formidabili & peremtorio jure promulgato, ilico responderunt,* We mi/ *quasi animo consternati pro tam severâ constitutione palam sancitâ.* Hactenus Rolevincius, ex quibuscunque etiam auctoribus ista habuit. Huic quoad Pontificis consilium astipulatur Caspar Fachius, Politica Liviana, Errore 23. *Cum Carolus M.* inquit, *de Saxonibus toties rebellantibus Leonem III. consuleret per Legatos, refertur Papam eos introduxisse in hortum, & radicitus evulsis Zizaniis, imposuisse ea furculis, in modum patibuli erectis, sanguinarium suum responsum hoc facti ambage reddens. Unde Imperator conjectans, quid per ambages sibi vellet, instituit Iudicium occultum Westphalicum,* Daß Heimliche Westphalische Gericht/ *quo qui saltim suspectus erat defectionis, à clandestinis judicibus clam è medio tollebatur.* Cæterum Iudicij vetiti, quod merito mireris, apud scriptores istius seculi, qui quidem ad nos pervenerunt, nulla mentio. Elapsis tamen seculis duobus, ac fere dimidio, meminit ejus Wippo, Capellanus Conradi II. Imp. cognomento Saliqui, dum in hujus vita cap. 6. ita scribit: *Reversus Rex de Ribuariis ad Saxoniam, ibi Legem crudelissimam Saxonum, secundum voluntatem eorum con-*

rum con-

m constanti auctoritate roboravit. Per Saxoniam autem intelligit Vestualiam, quod notum. Meminit ejusdem Iudicij, & sat longo tamen intervallo, Henricus de Hervordia, qui sub Carolo IV. vixit: cujus similiter en ipsa verba: *Karulus in patriam, de qua antiquos Saxonas fugaverat ultra VVISeram, de Francia, Efflaia, Hasbania & Ardania populum novum introducens, terram eis dedit perpetuo possidendam: sic tamen, quod regionis totius proprietatem de eo dederit, ut videlicet patriam illam in fide Christi & fidelitate Regis manutenerent, propter quod &* Legem secreti judicij, *quod patria illius lingua* Veme *dicitur, fluens regionem ipsam expurgare furtis, quod terra saltuosa sit & latibunda, perjuriis etiam & proditionibus & aliis talibus, sibi crebro compertis, ibidem perpetuis temporibus inviolabiliter inter Rhenum & VViseram observari sancivit.* Inter recentiores primus, quod etiam diserte aliquid explicavit Æneas Silvius, Cardinalis Senensis, postea Romanus Pontifex, Pius II. lib. de statu Europæ sub Frid. III. Imp. cap. *29*. *Karolus M.* inquit, *multa cum VVestvalis prælia gessit, eosque magnis affecit cladibus, coëgitque Christi religionem amplecti relicto idolorum cultu: quam cum sæpius abnegassent, nec jusjurandum adverterent, ut metu pœnæ rebellionem compesceret, occultos instituit judices, quibus potestatem dedit, ut quamprimum dejerasse aliquem comperissent, aut fregisse fidem, aut aliquid aliud flagitium commisisse, mox illum supplicio afficerent, ubi primum comprehendi posset, nulla citatione prævia, aut defensione præmissa. Elegit* viros graves & recti amantes, *quos plectere innocentes haud verisimile fuit. Terruit ea res VVestvalos, ac deinum in fide continuit: cum sæpe in nemoribus, & proceres, & mediocres viri laqueo suspensi invenirentur, nulla accusatione prius audita. Quærentibus tamen caussam, constabat fregisse fidem, aut malum aliquod scelus commisisse, qui necati reperiebantur. Id judicium ad nostram usque perdurat ætatem, vocaturque* VETITUM. *Qui præsunt* SCABINI *appellantur, quorum præsumptio est, ut per*

totam Germaniam jurisdictionem exercère velint. Scriptos habent ritus, & arcana quædam, quibus malefactores judicant. Ea nondum quisquam repertus est, qui vel pretio vel metu revelaverit. Ipsorum quoque Scabinorum magna pars occulta est: qui per provincias discurrentes criminosos notant, & referentes judicio accusant, probantque, ut eis mos est: damnati describuntur in libro, & minoribus Scabinis committitur executio. Reus ignarus sua damnationis, ubicumque repertus fuerint, supplicio afficitur. Silvio subjungo Paullum Æmylium, qui ista habet lib. 3. de reb. gestis Francor. *Vltima mala meriti erant toties victi* (Saxones sive Westvali) *toties fidem ludificati. Traduci, decumari, internecione deleri poterant: pacem Augustus* (Karolus) *dedit. Dati Magistratus ad jus palam dicendum, unde provocaretur ad Augustum. Sed & sanctius arcanumque delectissimorum integerrimorumque virorum Concilium sine provocatione institutum, delectique pari sanctitate velut spectatores, qui cæteris omnibus ignaris, Vestfaliæ opida vicosque ac conciliabula circumirent, moresque & dicta cujusque factaque notarent: ac quemcumque perjuriis perditave religionis reversi in Concilio coarguissent, sine intercessione primo quoque tempore, ubicumque comprehendi posset, necaretur. Nemini sua dignitas suffragabatur: summi infimique prius laqueo suspensi conspiciebantur, quam rei fuisse audiebantur: Quem quisque tàm ignominioso genere supplicii affectum videbat, hic violatæ fidei pœnas dat, dictitabat. Hic novi exempli metus eam gentem & Numinis & Augusti reverentiorem effecit. Indices speculatoresque rem totam, notasque quibus reus coargueretur, tam sanctè occuluere, ut cum Carolo Augusto defuncto idem institutum vigeret, nullis unquam minis, nullo malo adduci potuerint, ut enunciarent.* Paulli Æmylij sententiam recepit Ioan. Cuspinianus in vita Karoli M. Silvij verba repetit Felix Faber monachus Vlmensis Histor. Suevor. lib. 1. cap. 7. & post eum Ioannes Boëmus Aubanus descript. orbis terræ lib. 3. cap. 14. Munsterus Cosmogr. lib. 3. cap. 456. Iac. Spigelius

gelius Comm. in lib. 1. Ligurini. Georg. Torquatus Chronico Magdeb. & Halberstad. MS. lib. 3. cap. 8. Vbbo Emmius de Frisior. orig. lib. 4. Addam istis etiam locum Aventini, ex lib. 4. Annal Bojor. ubi, discedens à Rolevincio, sanctionem hanc collocat in annum 794. quo tempore colonia Saxonum in Galliam traducta est. Verba Aventini sunt: *Cuncti Transalbiani cum liberis, uxoribus, mancipiis, in Franciam translati: eorum sedes Abotridis Venedis, antiquissimis & conjuratissimis Francorum sociis attributæ sunt: perpauci ad Cimbrorum regem profugere. Decemque tum millia Saxonum liberorum, cum parvis pignoribus, conjugibus, servis, per cæteras passim Germanias distributa sunt. In quorum domicilia gravissimi quique delecti, vitæ & morum probitate insignes, ex omni Germaniâ translati, penes quos foret arbitrium & potestas animadvertendi etiam indictâ causa, in pacis & fidei violatores religionisque desertores. Inde Ius, ut vocant,* Westophalense *derivatum, silentio & taciturnitate sacrosanctum. Iudices, quos* CONSCIOS *nuncupant, nescio quibus ceremoniis initiati se invicem agnoscunt. Porrò profanis ritum prodere, religio est, & pro piaculo habetur. Neque quisquam adhuc omnium inventus est, qui hujusmodi mysteria evulgarit.* Hucusque Aventinus. Qui vero hic *conscii* vocuntur, eos Iacobus Spigelius loco adducto vocat die Wissner / Vigularius Hundius im Bayerischen Stambuch / in explicatione vocum veterum, die Wissende. Si Rolevincij assertio fidem meretur, vero-simile est, Nemesin hanc, sive constitutionem Karolinam, Eresbergi deliberatam, Padibornæ verò in Comitijs, de quibus suprà dixi, ordinibus Francicis & Germanicis suffragantibus, solemni modo promulgatam esse.

Quæri autem potest, cur jus à rege Christianissimo sancitum, tam AEneas Cardinalis, quàm Rolevincius alijque VETITUM appellare, ausi fuerint? CL. Freherus σφάλμα librarij agnoscit, censetque scribendum VEMUM vel VEMIUM, ad-

um, additque se olim putasse legendum VITUTUM, quam sententiam priori postponit. Ego verò eam minimè dimitto: sic tamen ut malim VITIUM sive WITTIUM. Witti veteribus Germanis idem est, quod prudentia, teste Lipsio centur. 3. Belgas Epist. 49. & auctore etymologiarum nomiminum Germanicorum, quod opusculum quidam volunt esse Dn. Lutheri. Cum Lipsio facit Petrus Albinus, qui in progymnasmatis historiæ Saxonicæ pag. 200. affirmat *VVitta* vocabulum significare principem sapientem. Idem in Aulæo Vetero-Saxonico pag. 161. de hoc eodem Wittâ Saxonũ rege,

Witta *subit, certis cui dat* sapientia *nomen*
Ominibus. ——— ———

Necignoravit hoc Suidas Græcus: nam in vocabulo *Amalasyntha* scribit, nomen *Amalsuida* idem esse, quod οὐρανοπλαστὴς ἢ οὐρανόσοφος, cœlesti prædita sapientia. Atqui hoc est nostrum Himmels witte. Quod non animadvertit doctissimus Melanthon, dum lib. 3. Chr. Amalosuntha interpretatur Amalorum Schönheit. A vocabulo Witte nomen habet *Vitiges* Gothorum rex, Procopius lib. 1. de bello Goth. *VVitta* rex Saxonum & ejus F. *VVitgislus* pater Horsæ & Hengisti, qui primi colonias Saxonum in Britanniam deduxerunt, Beda historiæ eccles. Angl. lib. 1. cap. 15. *VVitigo* Episcopus Misnensis. Fabricius Annal. urbis Misnæ lib. 2. *VVitbertus* Comes, Regino lib. 2. *VVitigovvo* abbas Augiensis, Bruschius de Monaster. *VVitirichus*, Iornandes lib. 2. *VVitgerus* Episcopus Metensis, Regino lib. 2. *VVitradus* abbas Fuldensis, Bruschius ibidem. *VVitigast* dictator legis Salicæ, Sigebertus Gemblacensis. *VVitfridus* F. Eduini regis Saxonum in Angliâ, Fabricius Orig. Sax. lib. 1. Ab hoc vocabulo nomen etiam sumsit *VVittichindus* rex Saxonum; præterea *VVitili, VVitold, VVitolf, VVithilt, VVituvar, VVitpurc*, nomina priscis Alemannis, Melchior Goldasto Heiminsfeldio Alemannicar. anti-

antiquitat. tomi 2. parte primâ teste, usitata, ejusdem sunt originis. Erit igitur judicium Westvalicum, non *Vetitum* sed *VVitium*, hoc est, prudens, vel hominum prudentiâ præditorum. Paullus Æmylius vocat *consilium sanctius arcanumque delectissimorum integerrimorumque virorum*: Silvius *virorum gravium & recti amantium*: Aventinus *gravissimorum quorumque delectorum ac vita & morum probitate insignium ex omni Germania*: Ertvvinus Chronico Osnaburgensi, *nobilium, legalium & virtuosorum*. Cuspianus in vitâ Caroli M. *delectissimorum & integerrimorum*. Et tale ab initio, & aliquot post seculis fuisse nullum est dubium: eoque inclinat etiam rerum Saxonicarum scriptor diligentissimus David Chytræus, cujus verba ex lib. 3. Saxoniæ coronidis loco subijciam. *Instituit clandestina judicia Karolus M. sapienti deliberatione & gravibus caussis adductus. Cùm enim gens VVestvalica amans libertatis, jugum imperij ægrè ferret, & nihil non moliretur, ut excussâ Episcoporum & regum Romanorum dominatione, pristinum libertatis decus reciperet: Karolus M. aliquot* viros honestos, sapientes & industrios *secretò delegit, eosque hac potentiâ armavit, ut, quoscunque certò cognoscerent & deprehenderent rerum novarum & molienda turbationis imperii, aut seditionis cupidos & auctores esse, sine longiore disputatione statim mulctarent. Hac severitate tunc ad reprimendos turbulentorum hominum seditiosos conatus uti necesse fuit.* Sed addit: *Postea, ut omnibus bonis rebus, ut nomine & verbo Dei, ut magistratu, conjugio, vino, abuti homines, & scelera sua miscere consueverunt, ita non negabo, in his occultis judiciis aliqua inconsideratiùs & injustiùs facta esse. Sed genus ipsum judicij, ut à Karolo M. ordinatum est, non vituperari posse, declarant etiam recentiorum Imperatorum Friderici III. & Maximiliani I. constitutiones.* Hactenus Chytræus. Ubi ad ultima verba Chytræi noto, Iudicium Westvalicum jam dictum, ab Impp. subsequutis, etiam post ejus abusum, nunquam abrogatum, aliquando saltem reformatum

fuisse,

fuisse, donec in desuetudinem prorsus abiret. Nam à Conrado Salico Westvalis petentibus confirmatum supra ex Wippone monui. Anno vero 1439. abusu jam invalescente Theodericus Coloniensis archi præsul reformationem Iudicij scripto comprehensam Sigismundo Imp. in Comitijs Augustanis exhibuit, quam ille ratam habuit. Eam ipsam vero innovavit Imp. Fridericus III. in Comitijs Francofurtensibus, atque ut ad præscriptum Karoli M. prædecessoris sui Iudicium illud per viros prudentes & expertos, non despectæ aut illegitimæ originis, nec perfidos aut servilis conditionis homines exerceretur, edicto cavit. Idem demum fecit Maximilianus I. Imp. Constitutione illa peculiari in comitijs Wormaciensibus anno 1495. promulgata, qua & Sigismundi & Friderici III. constitutiones laudat ratasque habet.

CAPUT XIII.

Quomodo Eresberga ad Saxones redierit.

POst obitum Ludovici Pij, Karoli M. filij, cùm heredes ejus regnum paternum inter se partirentur, Eresbergum cum totâ Saxoniâ transijt in potestatem *Ludovici Germanici.* Quo sub annum Christi 876. defuncto, novaque inter filios heredes, Carolomannum, Ludovicum & Carolum Crassum, regni paterni divisione institutâ, Ludovico obvenere Franconia, Thuringia, Saxonia, Frisia & pars Lotharingiæ. In hujus matrimonio fuit Lutgardis Ludolfi Ducis Saxonici filia. Decessit Ludovicus sine herede anno 882. Per quam occasionem, reliquis Karoli M. posteris bellis civilibus mutuo se atterentibus Saxones, provincias cis-Rhenanas paullatim sui juris ditionisque fecere, & in his famosum Eresburgum. Possedit illud Otto, magnus Dux Saxoniæ, Ludgildæ reginæ frater, & post eum Henricus Auceps filius. Huic ad summa nato omnique virtute principe digna excellenti, supra modum

dum infestus erat Conradus Imp. ideoque fratrem Eberhardum *Franconiæ Ducem* ipsi immisit, urbemque Eresbergum, in quô Saxo cum suis hostem exspectabat adoriri jussit. Fecit ille imperata quærens adversarium: qui cùm consultò non compareret, superbè ei Francus insultabat, exprobrans Saxonibus indignam bellicosâ gente timiditatem: quòd mulierum instar mœnibus fiderent, intraque vallum desidentes, hostis aspectui se ostendere formidarent. Quo sermone vix prolato, Saxones improvisò hosti incubuere, tantamque gravi diuque ancipiti prælio commisso, stragem ediderunt, ut per jocum mimi canerentur Saxonici:

Tantus ubi infernus, qui cæsos devoret omnes?

Fabricius in Originib. Saxon lib. 2. habet de hac re dimetros Iambicos, lingua Saxonica per jocum cantari solitos. Contigere hæc anno 916. In descriptione hujus memorabilis victoriæ iterum graviter impingunt, tàm Fabricius, quam Spangenbergius. Nam ille pugnatum scribit ad Harceburgum, ubi *Palâ* Benedictinorum monasterium postea conditum (eadem habent centuriæ Magdeburgenses) hic iterum *Mersburgum ad Salam* inculcat: cùm tàm VVidechindus, quàm Vrsbergensis disertè loquantur de Eresburgo veteri propugnaculo Transueserano, hoc est VVestvalico: neque dissentiat Crancius Saxon. lib. 2. cap. 1. Addunt præterea omnes Henricum Saxonem, post insignem victoriam recepisse se in *præsidium Grona*, ut VVidechindus lib. 1. vocat: Auctor vitæ S. Godehardi â Brovvero editus *castellum* nominat part. 2. cap. 6. Auctori vitæ Meinvverci, Vrspergensi & Crancio scribitur *Gruova*: diplomata veterum Impp. habent *Gruonaha*. Id vero nemo intellexerit cum Fabricio de *Gruninga*, oppido ad Bodum fl. Episcopatus Halberstadensis arce & præfectura primaria: cum *Grona* adhuc superfit in ripa Visurgis

I Occi-

maximi, à quo jussu Karoli Magni in honorem *Divi Petri* apostoli consecratum erat, omnibus venerabile habitum, sese abdidit. Milites regij, intellecto ubi hostis esset, non exspectatâ Cæsaris voluntate, impetum fecerunt in locum sacrum effractisque templi foribus, Dancmarum invenerunt supplicem, cingulo & torque aureâ depositis, aram ac simulacra sanctorum tenentem: cui *Dirboldus*, *Cobbonis* Comitis *Tecklenburgici* filius nothus, primum vulnus inflixit: quem insequens *Mencia*, sive *Meinhardus* quidam, per fenestram aræ proximam sarissâ eum trajecit. Sic vitæ finem & sepulcrum infelix Dancmarus Eresbergi invenit. De casu isto temeratio fratris sæpe conquestus est Cæsar, & tali ejus interitu doluit: nec ex interfectoribus quisqam evasit, qui sit cum honore & placide mortuus: nulli etiam postea nomen Dancmari fuit ex filijs Imperatorum impositum, ut Georgius Fabricius annotavit: qui etiam Originum lib. 2. scribit statuam Irmi, sive Martis, quæ Eresbergi servata erat memoriæ non vetustatis caussa, tum simul sublatam esse regis Ottonis jussu. Vetus Chronicon Saxonicum, Coloniense, & Cuspinianus in historiâ Ottonis I. Imp. *Danquardum* vel *Tanquardum* nominant, quem alij *Dancmarum*, quorum hoc nostrum Danckmeier / illud Danckwert.

Hoc loco, propter Cæsares Saxonicos, qui isto ævo cum imperio fuere, operæ pretium existimo, ut aliquid addam de *Palatinatibus*, seu *Palantijs civitatibus*, de quibus Speculum Saxonicum, loco citato, sequentia refert: *Quinque civitates, quæ Palantiæ dicuntur, in Saxoniâ inveniuntur, in quibus Rex legitimè debet curiis præesse. Prima dicitur* Grona: VVerliz *secunda, quæ modò in Goslariam translata est*: VValhausen *tertia:* Alstede *quarta: quinta* Merseburg *nominatur.* Hæc ibi. In hisce Palantijs urbibus commoratos frequenter Saxonicos Impp. ostendunt Datæ Diplomatum Augustalium plurimæ. De *Grona* autem

ea autem ad Visurgim fl. dixi paulo ante. Pro *VVerlizio* in Speculi Saxonici quibusdam exemplaribus legi *VVerlaham* testatur Christoph. BrovverusScholijs ad vitam S. Bernvvardi. Vnde suspicari possis intelligi *VVerlam* diœcesis Coloniensis, quæ VVidechindo Corbeiensi & Gobelino in Cosmodromio *VVerlaon*, Vrsbergensi cum aspiratione *VVerlahon* dicitur: ubi tempore impressionis Hungaricæ, alibi intutus, desedit Henricus Auceps, ut VVidechindus monachus & alij plures scribunt. Ejus loci Palatinatus sine dubio per hanc occasionem translatus est Goslariam, quod huic urbi, recens ab Henrico primo Cæsare conditæ: ab ejus nominis secundo amplificatæ: à tertio & quarto ut plurimum habitatæ, aliquis ex his, quicunque ille, nonnihil splendoris conferre voluerit. Cui absque dubio in mentem venit, quòd præter VVerlensem Saxonia Trans-Veserana haberet Mersebungensem. Nam *Merseburgum* quintam civitatem Palatinam, seu Palantiam, intelligo de nostro *Eresburgo*, quod quibusdam hoc nomine venit, ut supra pluribus demonstravimus. Sic igitur Eresbergo indultus fuit honos sedis Palatinæ, vel à Karolo M. qui ut Fabricius Originum Saxon. lib. 2. affirmat *Albionem Edelhardi F. Diterici Saxonum Regis nepotem*, primum in Saxonia Palatinum constituit: vel (quod mihi verisimilius) à Saxonici generis Cæsaribus, sive is fuerit Henricus Auceps, sive ejus F. Otto Magnus. Nec mirum videatur cuiquam, in Speculo Saxonico usurpari nomen civitatis de istis locis, quæ tunc temporis (uti etiamnum hodie *Gronæ & VValhusium*) vix fuere opidula, Burgi tantum, hoc est, arces, castella & præsidia oportunis locis condita. Nam & Ditmarus lib. 4. *VValbecum* præfecturæ Wevelingensis pagum Helmæstadio vicinum *civitatem* vocat: Chronicon Halberstadense MSC *Ilsineburgum* nominat *civitatem*; donatam Arnulpho Episcopo Halberstadensi ab Henrico Claudo Imp. Et

in vete-

in veteribus instrumentis fundationum donationumque monasticarum pluries deprehendi *pagorum incolas cives indigitari*. Si quis verò à nobis dissentire, & quintam sedem Palatinam ad Salam Thuringicum, ubi hodie Mersburgum civitas Episcopalis, collocare velit, secutus Ernestum Brotusium Chronici Mersb. lib. 1. cap. 10. ei opposuerim, Westvaliam, quæ Crancio Saxon. lib. 1. cap. 3. lib. 4. cap. 14. *vera & vetus Saxonia* (etsi Suffridus Petri de Frisiorum antiquitate, lib. 2. id neget & perneget) cùm porrecta & populosa sit regio, minimè gentium sede Palatinâ spoliandam. Præterea non fit verisimile Mersburgi ad Salam fl. fuisse sedem Palatini, quod propter quotidianos Slavorum incursus, admodum intutus esset locus, nec tam remotus ut Eresburgum, sive Mersburgum Westvaliæ: neque illa erat ejus facies (quod non dissimulat Georgius Hahn Ditmari Mersburgensis interpres Germanicus in Supplemento) quæ hujusmodi splendorem caperet. In Brotusij verò antiquitatibus censendis nullam hic ponemus operam, cum constet eum non pauca posteris tradidisse, quæ fidem omnino non merentur, quod non semel inculcat Dominicus Dreverus in genealogijs Saxonicis MS. testantur etiam alij, & nos per occasionem manifestum faciemus. Præterea cùm *Alsteti* ad *Ilmum* esset sedes Palatina, & *VValhusium*, Hercyniæ opidum, æquali inter Querfurtum & Sangerhusium distantia situm, quid opus erat aliam in viciniâ Mersburgi instituere? Sed contentiosior esse hîc nolo, relinquens lectori judicium.

CAPUT XIV.

Quomodo Eresbergum ad archepiscopatum Coloniensem pervenerit.

IN posteris Witechindi magni novissimus & ultimus Eresbergum possedit *Henricus Leo, Henrici Superbi*, ex *Gertrude*,

Cæsaris *Lotharij* primogenitâ filius: Bojoariæ & Saxoniæ Dux potentissimus: cujus ditiones Rheno adeo fuere vicinæ, imo contiguæ, ut in peculio suo stanti sagittam ex arcu in flumen illud eiaculari non esset difficile, quemadmodum id Leonem de se gloriatum Philippus Vbiorum archiepiscopus, Chronico Coloniensi attestante, in literis ad Ducem Geldriæ perscripsit. Incomparabilis iste princeps, *Henricus Leo, etsi populum sibi subjectum justè & secundum leges in omni pace & tranquillitate regeret & gubernaret, at propter pacem & justitiam cunctis factam, in ore omnium laudem & honorem super omnes principes illius temporis haberet*, ut præclarè Ioannes Trithemius Chronico ducum Boioariæ, per invidiam tamen & injuriam, omni penè paternâ maternâque hereditate, in utrâque Saxoniâ, & in his Angariæ & Westvaliæ Ducatibus florentissimis, exsutus est. Ab eo tempore Eresbergum, exuviarum prostrati leonis pars, cum toto vicino tractu, in ditione archiepiscoporum Coloniensium, qui se *Angariæ* & *VVestvaliæ* Duces indigetant, usque in hodiernum diem permansit.

Veteres appellationes, quarum meminimus, planè obsoleverunt, ipsaque urbs hodie Stadtberge nominatur: politiores *Marsbergum* sive *Mersbergam* malunt, manetque opinio adhuc apud incolas, Martem ibi à majoribus cultum. Mons cui urbs incumbit, præcelsus est lateque conspicuus, cujus pedem alluit *Dimela* fluvius pisculentus, troctis sive variolis abundans. Is bonam Westvaliæ partem emensus, recepto ad *VVarburgum*, diœcesis Paderbornensis opidum elegans, *Almâ* fluvio, non procul ab *Herstello Saxonico* (aliud enim est *Gallicum* in diœcesi Leodiensi, à quo nostrati, volente Karolo M. anno 797. ut annales Francici & Regino, nomen inditum) in Visurgim se exonerat. Ad Stadbergam sunt confinia archiepiscopatus Coloniensis, diœcesis Padibornensis, Dynastiæ Waldeccensis, & Comitatus provincialis Hassiæ,

cujus

cujus principis tutelæ urbs ipsa se ante annos aliquot subjecit. Habet circiter quingenta domicilia pro captu nationis & loci non inelegantia. Cives propter negociationes cum vicinis exterisque assiduas, quas inexhaustæ & perennes in montibus *Surlandicis*, (Neovvaldius Sorlandicos indigetat) metallifodinæ pariunt, in re plærique vivunt lautâ, suosque liberos, tam domi, quàm foris in pietatis & literarum studijs educari curant diligenter. Non procul inde abest Bredelar / suprà à nobis relatum, monachorum instituti Cisterciensis cœnobium: cujus fundatio incidit in annum Christi 1170. ut Christianus Cleinsorgius Lemgoviensis, ICtus & Orator eminentissimus, in Chronico Comitum Lippiensium manuscripto, annotatum reliquit. Et tantum de Eresbergo, ejusque Idolo famosissimo.

Notæ ad Irmensulam.

PAg. 17. lineâ 5. Eresburg) Hanc scriptionem sequitur Ioannes Nauclerus Chronographiæ volum 2. gener. 26. In historiâ Conradi I. Imp. generat. 31. habet *Heresberg*.

Pag. 23. lin. 7.) Truncum ligni non parvæ) Eadem invenias apud Nauclerum volum. 2. gener. 31. Mutium lib. 12.

Pag. 24. lin. 19. Gowgrauen) Vera hæc est etymologia, inepta quam adfert glossator Speculi Saxonici ad articulum 56. libri 1. Gograff heisset ein Gograff / durch das / daß er gehe noth oder that richten mag / oder daß er gelichen / oder schnelliglich richten mag / oder daß er gehende richten mag.

Pag. 26. lin. 22. In Epitaphio Henrici Comitis.) Propter vetustatem, & conatum poëtæ, hexametro versu in vernaculâ linguâ utentis, integrum adscribam epitaphium, quod exstat VVernigerodæ in templo SS. Silvestri & Gregorij:

Ma. hers

Na bort M. schreuen/ ver C. twe X. dabŋ negen/
Starff Henrich Greue der von Stalberg leue neue/
Van Warnirode starff Henrick leste Erue dode:
Do was de hire Sünte Erasmi vire.
Vp Fridach wende/ na Vesper/ was ŋde sin Ende.
Der Seelen sine si Gott gnedig ane pine.

Pag. 27. lin. 12. Vniversalis columna) Ad hunc modum loquitur etiam Nauclerus volum, 2. generat. 31. ubi de Saxonum origine & moribus disserit.

Pag. 29. lin. 9. In gestis Longobardorum) Vide Paulum VVarnefridum lib. 1. cap. 9.

Pag. 30. lin. 1. Quod autem Hera colebatur Saxonibus) Credi potest *Heram* eandem esse cum *Herthumo*, sive *Hertho* Suevorum idolo, de quo Tacitus in Germania: *in commune Herthum, id est, terram matrem colunt.* Iustus Lipsius, Notis ad Tacitum, legi vult *AErthum*. Philippus vero Cluverus German. antiq. lib. 1. cap. 27. miratur, cur Tacitus antiquum illud idoli vocabulum masculino genere pronunciaverit *Herthum*, cum non Dei sed Deæ voluerit esse nomen. Est autem terra nobis Erd / & per aspirationem Germanis usitatam Herd / qua pronunciatione etiam hodie Helvetij terram dicunt Herde. Habitasse autem olim Suevos etiam in Saxonia testatur Paulus VVarnefridus Diaconus de gestis Longobardorum lib. 2. cap. 5. VVidechindus Saxo lib. 1. Nauclerus vol. 2. gener. 20. Crancius Saxon. lib. 1. cap. 29. & Ioannes Neovvaldius ICtus, commentario de antiquis VVestvaliæ colonis. In desertas Saxonum, cum Longobardis in Italiam profectorum, sedes à Sigeberto Francorum rege Suevos collocatos scribit Sigebertus Gemblacensis ad annum 568. Atque inde fortassis ille Herthum sive Herthus, aut Hera, utrisque, Saxonibus & Suevis, communis. Richardus Bartholinus Austriados lib 9. simpliciter Erdam nominat:

Erdaque telluris Dea.

Hinc composita, Erdman / Erdmuth / Erdwin: & pagus Herd / miliari distans à Wolfenbütel / Ducum Brunsuicensium aula. Neque dubito, quin posterior syllaba in voce Herthum ex vulgatâ consuetudine, quâ dicimus Heilthumb/ Eigenthumb/ Reichthumb/ Irthumb/

Wachs-

Wachsthumb/ priori conjuncta sit. Andreas Althamerus commentario in Taciti Germaniam, putat Eresbergam arcem ab *Hertho*, sive *Erdâ* denominatam. Verba ejus, etsi rectiùs & commodius suprà cap. 5. adduci potuissent, hîc apponam. *Opinor*, inquit, *Eresbergam, ubi Martis Idolum Irmensuel Karolus Magnus evertit, simul ipsam statuam ab Hertho, sive erdâ, id est, tellure cognominatam.*

Pag. 35. lin. 2. Cæsar de Soldurijs) Locus est lib. 3. de bello Gallico. Athenæus lib. 6. cap. 6. *Silodunos* appellat. De his lege Reinerum Reineccium, dum fata Deusque sinebant, collegam meum conjunctissimum, Historiæ Iuliæ sive syntagmatis parte 2. in regno Celtico, & commentario de nobilitate, pag. 137.

Pag. 46. lin. 3. Vrbi cui à vicino saltu der Hilles *appellato*) Non ignoro vetus Chronicon Saxonicum, Bruschium tomo 1. de Episcopatibus Germaniæ, in historiâ Antistitum Hildensemensium, & Antonium Mökerum in oratione de Hildensheimio, affirmare, nomen urbis huius promanasse à nive quadam miraculosâ cœlitus delapsâ. Quam etymologiam Crancius in metropoli lib. 1. cap. 10. non veretur affirmare fabulosam, nec dissimulat, unde originem sumserit, quæ omnia in medio relinquo. Apprimè autem mihi arridet illa de saltu isto conjectura, qui etsi arci Hildesheimensi non est contiguus, haud tamen procul abest: & fuisse olim porrectiorem nemo dubitaverit. Nam nec silva Hercynia hodie illud implet spacium, quod ei Cæsar tribuit lib. 6. de bello Gallico. Nostri majores cum apud ipsos, uti Herodianus lib. 7. ait, rara esset structura è lapide atque lateribus coctilibus, densisque potius silvis, quorum confixis coagmentatisque lignis quædam quasi tabernacula ædificarent; plerumque à silvis, amnibus & fontibus, opidula, burgos ac vicos, quos sparsim rarosque habebant, denominarunt, assutâ voculâ aliquâ, mansionem, propugnaculum, tabernaculum, castra, vel locum significante, qualia sunt, Büttel/ Heim/ Horst/ Lage/ Hauß/ Stedt/ Burg/ Welle/ & frequentissimum illud in Saxoniâ Thuringiâ Lebe/ quod veteres annales & diplomata scribunt Löue/ unde ortum barbarum illud *lobium*, pergulam significans. Quemadmodum igitur à *Gandâ* fluvio Gandeshemium, à fonticulorum frequentiâ Bornhemium nomen accepere, sic ab Hilles nemore derivo Hildeshemium: eâ ratione, quâ Hamburgum ab Hamâ, Hujesburgum ab Huio, Elmesburgum sedes olim Commendatoria ordinis Teutonici, quæ nunc est in pago Weddi/ ab Elmo, vicinis saltibus, appellationem traxere.

Pag. 56. lin. 26. Sigeburg super Ruram) Annalibus Francicis & Reginoni est *Sigiburgum* sine dubio à victoriâ dictum. Captum est à Karolo magno anno 775. insequenti frustra à Saxonibus obsessum. Diversum ab eo est *Sigebergum* in Ducatu Bergensi, dictum à *Sigâ* amne præterfluente. Splendidissimum & magnificum ordinis Divi Benedicti monasterium ejus loci fundavit *Anno* (Hermannus Contractus & Marianus Scotus Hannonem vocant) ex Præposito Goslariensi tricesimus quartus archiepiscopus Coloniensis. Petrus Merſæus catalogo archiepiscoporum Coloniensium fundationem collocat in annum *1066*.

Ibidem. lin. 27. Iburg) Destructum esse à Karolo M. Iburgum affirmat Ertvvinus. Benno sive Bernhardus ejus nominis 2. Episcopus Osnaburgensis 18. motus loci amœnitate, quodque olim primarium patriæ propugnaculum fuisset, novam monti arcem imposuit, addito insigni cœnobio instituti Benedictini, cui primum præfecit abbatem *Nortbertum*.

Pag. 59. lin. 6. ad Ambram fl) Sic appellatur auctori vitæ Karoli M. apud Pithœum: accolis est die Emmer/ influens in Visurgim. *Ambrones* Cimbrorum in Italiam irrumpentium fideles socios, denominatos esse ab hoc flumine, natus in ripâ ejus Steinhemij Reinerus Reineccius libro de Mysorum origine, contra Peucerum, qui à Rheno nomen deducit, affirmare non dubitat.

Pagina eadem lineâ 8. Remam, ubi VVarna & Visurgis) Largiar hoc vetustati hujus pagi, ut plusculum de eo dicam, quam instituti nostri patitur ratio. Rema nota est Reginoni lib. 2. ad annum 753. ubi meminit Pipinum regem istuc penetrasse. Scribit *Rimia*, quod idem facit auctor vitæ Karoli M. more veterum Germanorum, quibus *i* pro *e* usurpare fuit familiare. Sic Dithmarus lib. 6. VVolmerstetum, VVolmerstidi: lib. ultimo VVerbenum, VVirbini: lib. 6. VValbecum, VVallibiki nominat: de hoc addens, significare rivum silvaticum. Non procul à Remâ in arce Viburg, ut Ado Viennensis ætate 6. (Regino lib. 2. depravatè Nigberg) hodie der Wedenberg/ quem Bernhardus Luderus in encomio urbis Mindæ *montem Vedegonis* appellat, à Saxonibus occisus est Hildigarius, alijs Hildebertus, decimus septimus archiepiscopus Coloniensis castra Pipini regis secutus. Hunc Karolus M. sepelivit in monte Ovesberg, ut Henricus de Hervordiâ lib. 2. cap. *69*. Qui idem addit, Remæ à Karolo templum conditum, locoque nomen inditum à *Remis*, urbe archiepiscopali in *Gallijs*, quod facilè credo. Nam

fami-

familiare fuit Karolo M. peregrina nomina nostris locis inferre. Sic à *Pado Italico*, Padus nostràs dictus, teste Gobelino ætate 6. cap. 38. unde urbi Padibornæ nomen: ab *Heristallo Gallico* Herstelle Saxonicum. Idem in *Corbeiâ* fecit Ludovicus Pius Karoli F. ut Crancius metrop. lib. 1. cap. 24.. Habuit Rema olim cœnobium monialium titulo Vallis benedictionis, fundatum anno 1258. de cujus translatione videatur Crancij metropolis lib. 8. cap. 9. & Hamelmanni Chronicon Oldenburgense parte primâ, cap. 21. Insignis est etiamnum Rema *Archidiaconatu*, quem non ita pridem tenebat *Theodoricus* ab Heimborg vir genere & virtute nobilissimus, tum temporis cathedralis ecclesiæ Mindensis Canonicus. Subest pagus Rema dynastiæ, seu Comitatui *Ravensburgensi*, in territorio *Vlothano*.

Pag. 62. lin. 29. Verba Sylvij repetit) Eadem etiam habet Nauclerus volum. ē gener. 23.

Pag. 64. lin. 1. Vitutum) Priscis Germanis *VVitut*, lex, *VVituto*, lege, *VVitutdragere*, legislator. Vide Lipsium centuriâ miscellanea tertiâ ad Belgas, epistolâ 49.

Paginâ eadem, lineâ 3. VVittium) Quid si nomen hujus judicij derivemus à Wette / quod supra diximus significare pœnam? ut sit Wettegericht / quasi Peinlich gericht.

Pag. 65. lin. 30. Hactenus Chytræus) Cum Chytræo consentit Ertvvinus cujus hæc sunt verba: *Propter quod maximè à Karolo sedes libera sunt constituta: Quæ extunc & meritò & ex fundationibus per nobiles legales & virtuosos gubernari consueverunt, in defensionem fidei Christianæ, & pœnam malignorum, ad forum & cognitionem earum sedium spectantium: prout & ego legi in vetustis literis, ubi nobiles milites scribebantur* Vrigrauij / &c.

Cap. 12. post finem) Adde: A judicio tamen isto VVestvalico, seu Vemio, separandum omnino est *Iudicium Trutmari Comitis*, à Carolo M. institutũ. Partem diplomatis dedi in Vindicijs Billinganis: integrum vero Notis ad VVidechindi Annal. lib. 2. adscribi curavimus. Separanda sunt Iudicia per Saxoniam alia, ab eodem Carolo M. instituta: qualia fuere illa, quorum meminit Gobelinus ætate 1. cap. 5. his verbis: *Intra patriam eorum* (VVestvaliorum) *certa loca privilegiavit* (Carolus M.) *pro fidei defensione, in quibus certo modo iudicium celebratur, quod ipsi* Friegedinck *appellant: nec cuiquam licet extra loca adhoc decreta hujusmodi iudicia exercere, quantacunque ille præeminentia existat.* Separanda sunt Iura Sosatiæ, sive Susatiæ (ut tum vocabatur Susatum,) quæ tempore Friderici Bar-

barossæ in veteri Saxonia plurimum viguere: quæque Henricus Leo, cui Susatum suberat, novæ urbi Lubecæ in suam potestatem redactæ, usurpanda tradidit: exauctorato vero Leone idem Imperator Lubecensibus ad deditionem coactis, ad petitionem ipsorum confirmavit, ut est apud Arnoldum Lubecensem lib. 2. cap. 40. Nec est quod quis pro juribus Sosatiæ legendum velit *iura Holsatiæ*, in cujus solo Lubeca condita. Nullum enim id temporis in usu fuit, neque nunc est, peculiare jus Holsatiæ, quum hodie etiamnum omnia Holsatiæ opida Lubecensi jure utantur, & in casibus dubijs à Lubecensibus informari petant.

Pag. 72. lin. 37. Cobbonis) Cobbonem istum ex familiâ Teckelnburgensi ortum fuisse conijcit Spangenbergius, Chron. Saxonici cap. 129. non malè. Fuit enim *Cobbonis* nomen in familiâ istâ usitatum, sicut *Stolbergy* habuerunt suos *Bothones*: *Schawvenburgij, Adolfos*: *Lippienses*, *Bernhardos & Simones*: *Houstenis, Eligeros*. Coætaneus Ludovici Imp. Cobbo nominatur ab Ertvvino: repetit Crancius Metropol lib. 1. cap. 40. & lib. 2. cap. 14. Hujus Cobbonis frater *VVarinus* fuit abbas Corbeiensis: N. soror, magna sacerdos, sive abbatissa in cœnobio Hervordiensi, ut idem Ertvvinus.

Pag. 49. lin. 9. Herstello Saxonico) Herstelle arx est, seu prædium potius, agri Paderbornensis in ripâ Visurgis occidentali. Nomen ei inditum à Karolo M. qui ibi castra habuerit, referunt auctores vitæ Karoli, Pithœanus & ἀνώνυμος à Reineccio editus. Cum quibus faciunt Annales Francici, Adelmo auctore, disertim tempus, nempe annum 797. addentes. Item Regino lib. 2. Crancius Metropoli lib. 1. cap. 12. Georgij Fabricij Originum Saxon. lib. 4. hæc sunt verba: *In eo loco, qui à stabulis principum Herenstelle appellatus fuit.* Ego vero non tam de castris ibi locatis, quàm de palatio Gallico in diœcesi Leodiensi, cui situ loci & amœnitate simile fuerit, denominatū puto. Palatij istius meminit auctor vitæ Karoli magni, ubi villā nominat: meminit auctor vitæ Ludovici Pij & Regino, quorum hic ad annūm 772. expressè dicitum Karol reversum in Franciam Natalem Domini celebrasse in Heristallio. Præterea annales Francici ad differentiam alterius disertè nominant *Heristallum Saxonicum*. Henricus Hervordiensis nominat *Erestal*, alibi tamen *Herstelle*, Chronicon Mindense, & Centuriatores Magdeburgenses ex jam dicto Henrico Hervordiensi affirmant conditum hoc in loco fuisse Episcopatum, qui postea ad fontem Padi VVestvalicij Padibornam migrarit. Prædium ipsum Herstelle diu possedit equestris Falcoburgiorum familia, donec illud Henricus Dux Saxoniæ, Episcopus Padibornensis rei ignoraret.

F I N I S.

DE UTRIUSQUE SAXONIÆ ET VICINARUM REGIONUM QUARUNDAM

PAGIS,

Ex mediæ ætatis rerum Germanicarum ſcriptoribus & Cæſſ. Augg. diplomatis,

COMMENTARIOLUS.

Auctore

HENRICO MEIBOMIO.

L ANDRE-

ANDREAS KNICHIVS

ICtus.

lib. de Iure territorij cap. IV. num.

CXCI.

MEIBOMIVS noſter optime meritus, improbo labore Septemtrionalis Germaniæ pagos collegit & publicitus communicavit.

GVILELMVS BVDÆVS

In Chronologia Epiſcoporum Halberſtadienſium pag. XXIV.

De pago Bolckesheim., ut vitula magni illius viri, ingenio & prudentia acutiſſimi, *HENRICI MEIBOMII*, amici mei libenter arare velim, neſcio tamen qua de cauſa hujus pagi in Commentariolo ſuo de veteris Saxoniæ pagis ne verbo quidem meminerit.

NOBILISSIMO, CONSVLTISSIMOQVE VIRO,

DN. MARQUARDO FREHERO,

patricio Augustano,

Consiliario archi-Palatino.

S. D.

HENRICVS MEIBOMIVS.

DEdisti nobis, Frehere nobilissime, superioris Germaniæ Pagos octoginta, improbo labore, ut tu affirmas, egoque facilè credo, ex antiquissimis & incorruptis ævi superioris monumentis erutos & collectos: quos magnâ cum voluptate perlustrans cœpi etiam de nostræ Germaniæ, quæ est Septentrionem versus; Pagis investigandis colligendisque cogitare: cujus mei laboris cum in nuperis ad te litteris meminissem, voluisti illas qualescunque syllogas tecum communicari. Quæ igitur de hac materiâ in adversarijs habebam, quæque memoria suggerebat, in cartas conjecta disposui ac typographo

 evul-

evulganda tradidi, nullus dubitans, quin antiquitatis patriæ amantes hanc meam non levis industriæ & laboris operam, sint probaturi. Tuum verò nomen præfigere, tibique hasce pagellas consecrare volui, ut vel exiguum habeas ἀντίδωρον pro tot tuis vigilijs ac scriptis eruditissimis, quæ elapso decennio liberaliter mecum communicasti. Faxit benignus Iehova, ut quorum catalogum nuper ad me misisti, ea ad umbilicum perducere, & communi patriæ, uti feliciter hactenus fecisti, lucem & honorem fœnerari, per vitam & valetudinem tibi liceat. Vale & salve iterum atque iterum. Helmstadij Eidibus Octobris, die Iuliæ academiæ natali tricesimo quinto: conservatoris ac nutritoris ejusdem HENRICI IVLII Guelfij quadragesimo septimo. Anno mundi redemti cIɔ Iɔ c XII.

DE

DE PAGIS VETERIS GERMANIÆ.

QVi & quales apud antiquos Germanos fuerint *Pagi*, prolixe explicant VVolfgangus Lazius Comment. de Rep. Rom. lib. 12. Ioannes Aventinus in Nomenclatore, Chronico Bavarico præfixo; Andreas Althamerus, Iodocus VVillichius & Michaël Beutherus Annotationibus ad Germaniam Corn. Taciti; Marquardus Feherus in Originibus Palatinis: Philippus Cluverius German. antiq. lib. 1. cap. 13. Reinerus Reineccius Notis ad vitam Caroli M. ab anonymo quodam carmine conscriptam: Georgius Torquatus Chronico Magdeburgensi MS. & alij. Quæ omnia in sequentibus consistunt. Vt Romani suum orbem in provincias, & has in præfecturas, præsidatus, colonias, municipia distributas habuerunt: ita Germania vetus, pro simplicitate gentis, in *Pagos* divisa fuit. Testio Iulius Cæsar lib. 1. comment de bello Gallico, ubi scribit, *totam Helvetiam in quatuor pagos esse distinctarum.* Et item: *Treviri autem nunciabant pagos centum Suevorum ad Rhenum consedisse.* Testis Cornelius Tacitus lib. de morib. German. his verbis: *Eliguntur in iisdem conciliis & principes, qui jura per vicos pagosque reddunt.* Meminit etiam Ammianus Mar-

cellin. lib. 13. & 18. *pagorum Alamannicorum*. De pagis veterum Saxonum ita ſcribit VVernerus Rolvincius tractatu de laudibus antiquæ Saxoniæ: *Regem antiqui Saxones non habebant, ſed per pagos Satrapas conſtitutos: morisque erat, ut ſemel in anno generale concilium agerent in media Saxonia, juxta fluvium VVeſeram, ad locum qui dicitur Marklo. Solebant ibi omnes in unum Satrapæ convenire, ex pagiſque ſingulis duodecim electi nobiles, totidemque liberi & laici. Renovabant ibi leges: præcipuas cauſſas adjudicabant & quid per annum eſſent acturi, ſive bello ſive in pace, communi decreto ſtatuebant. Unde verſus:*

Sed variis diverſa modis plebs omnis, habebat
Quot pagos, tot pene Duces, velut unius artus
Corporis in diverſa forent hinc inde revulſi:
Sed generalis habet populos diviſio ternos
Inſignita quibus Saxonia floruit olim:
Nomina nunc remanent, virtus antiqua receſſit.

Et verſus quidem iſti ſunt Poëtæ ἀνωνύμου, qui hiſtoriam Caroli M. tempore Arnolfi Imp. carmine heroico perſcripſit; editus à Reinero Reineccio. Cave autem hic *pagum* intelligas vicum, ſeu villum, muris ac portis carentem, quæ hodie eſt pagi ſignificatio: ſed tractum ſive diſtrictum unius ditionis, vel regionem, provinciam & populi alicujus partem. Imperator Henricus II. in literis anno MXIII. VVerlæ datis vocat territoria: *in pagis quibuscunq; vel territoriis*. Germanis veteribus dicebatur ein Gow: unde Hennegow/ Briſgow/

Rhin-

Rhingow/ Zürichgow; immò & Nassow/ quasi Vaßgaw/ ut placet Petro Bertio Geograph. lib. 4. in descript. Nassoviæ. Hinc etiam Gowgraff/ & corrupto Gograff/ præses pagi vel regionis alicujus. Saxonum vetustissimi pagos ntiam vocabant Schyres/ â *Scyra* Saxonica dictione: unde apud Anglo Saxonas adhuc hodie superant *VVarvvickshyre, Sommersetshyre, Hantshyra, Barckshyra, Nicolshyra, Leicestershyre* & plura alia, de quibus vide Guilielmum Camdenum Britanniæ suæ pag. 71. & Fridericum Lindenbrogium Glossario ad leges antiquas Germanicas. Helvetijs hodie pagi dicuntur *Cantones*; item Ort: communiter eine Pflege/ à plaga: Refier à rivus: Strich/ â districtus, vocabulis Latinis. Districtus vero minores respectu majorũ *Pagelli* dicebantur. Ita Ludovicus senior, Caroli Crassi pater in diplomate; quod Bartholomæus Scobingerus adducit in additionibus ad Ioach. Vadiani antiquitates: *Pagus etiam Vroniæ, quem & Pagellum vocant*: & Fridericus I. in Bulla, quam habent Antiquitates Fuldenses à Pistorio editæ, lib. 2. cap. 2. *Termini autem pagelli qui dicitur Bicloffshorn, aliorumq; circumquaq; commorantium populorum hi sunt &c.* Cæterum etymon pagi, ut vult Henricus Bebelius in Spicilegio, & Georgius Fabricius commentario ad Poëtas Christianas, alijque, est ἀπὸ τῶν πηγῶν Dorice παγῶν; id est *fontibus*: quod plerumque pagi circa fontium rivos collocarentur Vnde & accolæ *pagani* dicti, quasi ex uno fonte bi-

bent-

bentes: qua voce Augustino, Orosio & alijs gentiles appellantur, quod apud fontes sacra peragerent: quemadmodum nostris Heiden dicuntur quod in ericetis sacrificarent. Constat autem tam Saxones, quam reliquos Germanos, quoties loci alicujus situm exprimere volebant, describere solitos in quo pago & ad quem fluvium is situs esset, & pagus in quo Comitatu. Sic in diplomate Conradi Salici Imp. *pagus Entergovv* est *in Comitatu Bernardi Ducis*: in alio ejusdem diplomate *pagus Valim* est *in Comitatu Danckmari Comitis*: in diplomate Ottonis II. *pagus Lidbetogovve* est *in Comitatu Comitis Bernardi*: in diplomate Henrici IV. *pagus Angeri* collocatur *in Comitatu Ottonis Ducis*. Vide Ecclesiæ Mindensis privilegia, subjuncta Chronico Mindensi à Ioanne Pistorio evulgati. Erat enim tota etiam Saxonia in *Comitatus* divisa, quorum Dynastæ vel regum Francicorum, vel post Cæsarum Saxonicorum aliorumque ipsis succedentium Augustorum nomine jus per pagos dicebant, ipsi in *burgo* aliquo, id est opido, arcem impositam habente, residentes, in quo *mallus publicus*, id est, auditorium & tribunal esset. Appellatio pagorum usurpari desijt circa annum Christi MC, cùm pagi in *Ducatus, Landgraviatus* & *Burggraviatus* migrarent, ac hereditario jure possideri inciperent. Pagos Suevorum descripsisse legitur Henricus Bebelius: qui præterea in superiori fuere Germania, collecti sunt à Marquardo Frehero, viro genere & doctrina nobilissimo, amico nostro magno: cujus exemplo inductus hosce septentrionalis nostræ Germaniæ pagos colligere, & nonnihil illustrare volui, occasionem præbiturus alijs, quibus ad manum sunt vetera diplomata Impp. nostrorum, ut & ipsi simile quid aggrediantur.

PAGVS

Pagus Ætia. Indicatur à Gregorio Turonenſi lib 2. verbis ſequentibus: *Collecto exercitu* (Arbogaſtes) *tranſgreſſus Rhenum, Bricteros ripæ proximos, pagum Aetiam, quem Chamani incolunt, depopulatus eſt, nullo unquam occurſante.* Ex quibus apparet Ciſrhenanos fuiſſe hujus pagi incolas, quippe qui Bructeris & Chamanis, quos eruditi in Weſtvalia collocant, finitimi fuere. Tacitus lib. de moribus Germanorum *Chamanos* vocat *Chamavos*, quem ſequitur Ammianus Marcellinus lib. 17. Turonenſis enunciationem probat Althamerus commentario ad locum Taciti: nec forte abs re. Videtur enim appellatio ſignificare viros malos, Kaemenner/ quales etiam dici voluerunt *Quadi*, pars Saxonum, teſte Zoſimo lib. 3.

Pagus Ambraga, Meminit Otto II. Imp. diplomate dato Eccleſiæ Gandesheimenſi anno DCCCCLXXIX. Meminit Henricus Claudus Imp. diplomate dato anno MIX. Vtroque tempore præfuit ei Comes Wichmannus, ex familia, ut opinor, Billingana Otto Imp. collocat in pago iſto locum ſui juris, *Pateleke* nominatum: quem non dubito, quin idem ſit cum præſidio *Badiliki*, cujus meminit Widekindus monachus lib. 2. ad quem vide Notas noſtras. Henricus Claudus tribuit eidem pago Curtim *Dallheim*, quæ ſubſequentibus temporibus abijt in monaſterium Canonicorum regularium Ordinis D. Auguſtini, hodieque ſuperat. Nomen pagi profluxiſſe videtur ab *Ambra* fluvio, cujus meminit auctor vitæ Caroli M. apud Pithœum, & alter ejuſdem argumenti ſcriptor, editus à Reineccio, ut ſit *Emmergavv*. Ambra, vulgo die Emmer/ alluit agri Padibornenſis opida aliquot, & in his caſtellum Schir (olim Schidrenburg/ ut ſcriptores habent Francici) deinde in Viſurgim ſe exonerat. Vide plura Notis noſtris ad Irminſulam.

Pagus Ameri. Nominatur in diplomate Henrici IV. Imp. donantis Epiſcopæ Bremenſi foreſtum, hoc eſt, Saltum

Eschenbrock. Helmoldo Buzoviensi lib. 2. cap. 7. quem sequitur Cranzius Saxon. lib. 6. cap. 20. dicitur Amerland. In literis fundationis monasterij Rastedensis, Ordinis D. Benedicti, in agro Oldenburgico, nominatur pagus *Ammiri*, ipsique tribuuntur villæ sequentes; *Netene*, *Hana*, *Bekenhusem Lemede*, *Bredehorne*, *Loyge*, *Ostenhorst*, *Hannichm*, *Mirihusen*, *Kastede.* Diploma erectionis Ecclesiæ Bremensis, relatum ab Adamo Bremensi, *lucam Amrimum* inculcat, quem Albertus Stadensis *Amrinum* vocat. Videtur nomen sumpsisse vel à paludibus vicinis, vel à mari, à quo prope abest. Hodie pago isto totus ille tractus censetur, ubi Comitatus Oldenburgicus, infra Bremam.

PAGVS ANGERI. Mentio ejus fit in diplomate Henrici IV. Imp. dato Ecclesiæ Bremensi anno MLXII. & altero, dato Ecclesiæ Mindensi anno MLXIII. Christophorus Brovverus in Antiquit. Fuldens. lib. 3. cap. 11. appellat *Angergoviam.* Incolas pagi Tacitus Annal. lib. 2. cap. 8. & sæpe alibi. *Angrivarios:* Beda Hist. Eccles. lib. 5. cap. 11. *Angarios* vocat. Hunc sequuntur Auctor vitæ Caroli M. à Pithoeo editus, VVidekindus monachus & alij. Reginoni sunt *Amgrarij:* Annalibus Franciciis *Angri:* Chronico Mindensi *Angiri.* Etymologia est à campestri planitie, von den Angern / ac si dicas *Campanos*, seu *Pratenses*. Pagus iste fuit amplissimus, complectens *Susatum* caput gentis, *Hervordiam*, *Mindam*, *Lemgoviam*, *Hamelam*. Hamelæ superat inscriptio cippi, digna quæ hic etiam legatur.

ANNO DOMINI DCCXII. BERNARDVS COMES,
CHRISTINA COMITISSA REGNI ANGARIÆ
DE OSTEN, FVNDARVNT HANC ECCLESIAM.

Angaria vicus hodie superat, Widekindi exregis Saxonum sepulcro insignis. Interdum scribitur *Engeri*, ut habet diploma Conradi Salici, donantis Meinvverco Episcopo Padibor-

bornensi curtem imperialem *Eruvete*, in pago *Engeri*, in Comitatu Marcvvardi, anno MXXVII. Eadem habet auctor vitæ Meinvverci, Episcopi Padibornensis.

Pagus Astringa. Nominatur in diplomate Ottonis II. anno DCCCCLXXXIII. 5. Idus Junij. Fuere in eo tum temporis *Itrepsholt* & *More* in Comitatu Bernardi Ducis. Meminit præterea Otto III. Imp. ad annum DCCCCLXXXIX. *Repsholti* fuit olim Collegium Canonicorum Regularium, fundatum ab Adalingo, Archiepiscopo Hamburgensi. Pagus ille hodie vocatur *Ostringea*, sub ditione illustrissimi Comitis Oldenburgij. Videtur autem pagus idem esse, quem Adrianus Papa, in privilegio Ecclesiæ Bremensi dato, vocat *Asterga*: Chronicon Bremense MS. *Astargaa*: Continuator anonymus Gregorij Turonensis *Astrachiam*. In scholijs ad Adamum Bremensem est *Ostraga*: incolis in literis & monumentis antiquis *Astringi*.

Pagus Auga. Fuit in dioecesi Padibornensi, eique confirmatur ab Ottone III. Imp. anno MI. postquam urbs Padiborna grave passa erat incendium ut Auctor vitæ S. Meinvverci. Meminit etiam pagi Auguensis Historia translationis S. Viti in Saxoniam, collocans in eo villam *Huxere*, hodie Höxter ad Visurgim fl. Vide vitam Meinvverci editam à Christophoro Brovvero Iesuita.

B.

Pagus Bardengavv. Ita vocant Annales Francici auctore Astronomo ad annum DCCIV. Diploma Ludovici Pij Imp. ad annum DCCCXLIII. nominat *Bardengoa*; Bulla Nicolai I Papæ data anno DCCLXXXIV. *Berdangoa*: Regino Prumiensis *Bardingum*. Est tractus circa *Bardevvicum* in agro Luneburgico. *Bardi*, hujus pagi incolæ, nominantur apud Helmoldum lib. 1. cap. 25. & 27. In hoc pago fuit prædium *Ramsolani*, ut habet Adamus Bremensis pag. 21. Chronico Bremensi di-

ctum *Ramslo*. Fuit in eodem *Luineburg*, quod Schafnaburgensi *opidum* est *maximum*.

PAGVS BELEGORA. In diplomate Marchionis Misniæ Conradi, citante Petro Albino, Chron. Misnensis pag. 432. Ditmaro Merseburgensi Episcopo *Belegori* dicitur, hodie Belgern. In hoc pago fuit Burgvvardium *Threschovvo*.

PAGVS BOCENSIS. In vita Caroli M. edita à Pithoeo. Annalibus Francicis ad annum DCCXXXV. dicitur *Bucki*. In agro Padibornensi superest hujus nominis monasterium *Böke*, fundatum tempore Caroli M. à Meinolfo, præpotente quodam in Westvalia Dynasta, quem idem Imperator ex sacro fonte levarat. Vide Cosmodromium Gobelini Personæ ætate 6. cap. 40.

PAGVS BVDESIN. Chronicon Pegaviense pag. 7. Vetera diplomata *terram Budesinensem* appellant. Est tractus circa *Budissinam*, quam Dithmarus lib. 5. civitatem, lib. 6. & 8. urbem nominat. Hodie Bautzen in Lusatia.

C.

PAGVS CHVTICI. Meminit Dithmarus Merseburgensis lib. 1. indicans *Arnum Episcopum sanctæ VVirtzburgensis ecclesiæ nonum, cum ab expeditione Bojemorum reversus, juxta plateam, in parte septentrionali, fixo super unum collem tentorio, missam caneret, hostili circumvallatum agmine præmissis omnibus, per martyrium cum sociis semetipsum Deo obtulisse, anno Dominicæ incarnationis* DCCCXCII. Verba ista sunt Dithmari, qui porro scribit Ottonem M. Bosoni primo Episcopo Merspurgensi dedisse castellum *Medeburc*, quod hodie *Medeborn*, prope opidulum Rötavv. In diplomate ab Henrico II. Imp. Episcopæ Misnensi anno MXIII. dato, fit mentio pagi *Gudici*, in quo nominatur vicus *Golenzarella*. Pagus *Chutici* hodie Schudiz.

D.

PAGVS DALEMINCI. Dithmarus Merseburgensis lib. 4. ita vo-

ita vocat: quem prius lib. I. vocarat *provinciam*, & deinde *regionem*. Diploma Bertholdi Episcopi Misnensis nuncupat *Dalaminzam*. Tractus est inter Albim & fl. Chemnitz, Slavis dictus *Glomaci*, ut idem vult Dithmarus lib. I. Sigebertus Gemblacensis, Conradus Urspergensis abbas, & Crancius inepte *Dalemincios* cum *Dalmatis* confundunt. Fuit in pago Daleminci *burgvvardium Zadili*, in Comitatu Ekiberti Marchionis, tempore Henrici IV. Imp. ut ex ejus diplomate anno MLXXIV dato, apparet.

PAGUS DARGUNENSIS. Nominatur ab Helmoldo lib. I. cap. 58. & 64. Cum enim Adolfus Comes Holsatiæ & Schavvenburgi Slavorum desolatos fines colonis impleret, Dargunensem pagum Westvalis patria excitis in habitandum dedit, quos paulo post ingens calamitas oppressit.

PAGUS DARLINGOVVE à Carolo M. tributus est Episcopæ Halberstadensi abs se institutæ, ut meminit filius & successor Ludovicus Pius diplomate Aquisgrani dato anno DCCCXIV, & non ita pridem â cl. Guilhelmo Budæo, amico nostro in lucem edito: quod confirmavit deinde Henricus III. Imp. ut testatur Chronicon Halberstadense MS. In hoc pago fuit curtis *Hebesheim*, quam ad petitionem Gisalharij Archiepiscopi Magdeburgensis, in præsentia Willigisi Archiepiscopi Moguntini, Hildebaldi Wormatiensis Episcopi & aviæ suæ Adelheidis confirmavit Otto III. Imp. III. Non. Octobr. anno DCCCCXCII. regni IX. Meminit incolarum hujus pagi Rudolfus Episcopus Halberstadensis diplomate quodam ad annum MCXLV, his verbis: *Iudex vivorum & mortuorum, Christus, testis & judex sit pacti hujus: testis sit sancta Ecclesia: testis sit Principum cura: testis sit omnium conditionum differentia: testis sit Northuringorum, Derlingorum, Hardagorum, Suavorum, Haßingorum provincia, ad quos visu vel auditu hujus pacti pervenit notitia &c.*

PAGUS DIEDESI. Dithmarus lib. 4. & 6. In eo Boleslaus Dux Poloniæ excepit Ottonem III Imp. cum hic religionis ergo Gnesnam proficisceretur, visurus λείψανα novi martyris Adelberti. Vastatur non multo post ab Arnolfo & Meinvverco Episcopis, Iarimaro Duce Boëmiæ, Gerone & Hermanno Marchionibus. Finitimus fuit Silesijs & Milzenis, quorum hos Henricus Auceps debellavit, sibique tributarios fecit.

PAGUS DIESMERI. Fuit unus ex pagis Frisicis, qui cessere Episcopæ Bremensi, quod annotavit Scholiastes Adami Bremensis.

PAGUS DRAGIM. Meminit ejus Regino ad annum DCCLXXXIV. Annalibus Francicis est *Draigni*. Fuit in Westvalia prope Lippiam fl. hodie Drevenich. Poëta anonymus in vita Caroli M. appellat *Dreini*, ubi ait:

In VVestvalorum pago, cognomine Dreini.

In hoc pago situm erat monasterium *Liesborn* in Comitatu Hermanni Comitis.

E.

PAGUS EILANGOA. Memoratur Conrado Salico Imp. ad annum MXXXIX, quo Bezelino Episcopo Bremensi concessit licentiam instituendi mercatum in loco *Heslingoa*, in pago *Eilangoa*. Meminit ejusdem pagi Henricus III. Imp. anno MXL *Heslingoa* monasterium fuit virginum in agro Bremensi, cujus auspex quidam Comes, *Hed* nomine, cum hæredem non haberet, ecclesiam hanc in honorem Christi athletæ Viti, maxima totius hæreditatis suæ parte donavit, & congregatione sanctimonialium ibidem facta, eandem abbatiam mundiburdio *Ethelddagi*, Bremensis archiepiscopi subdidit, ut verba habent Dithmari lib. 2. Adamus Bremensis nomine varians, auspicem monasterij *Haduonem* vocat, additque filiam ejus *VVendilgardam* primam ejus loci abbatissam, sed

non

non diu superstitem fuisse. De translatione parthenonis hujus in locum alium & cum ea nominis mutatione agit Albertus Stadensis ad annum MCXXXVI. Repetit inde Crancius Saxon. lib. 6. cap. 7.

Pagus Emiscoa. Meminit Carolus M. in diplomate fundatorio Ecclesiæ Bremensis, quod extat apud Adamum Bremensem. Ibi palus *Eddenriad* disterminat *Emisgoam* & *Ostergoam*. In vita Ludgeri, primi Monasteriensium Episcopi. & urbis Helmestadensis fundatoris, quæ à Surio monacho Carthusiano edita est, *Emisga* refertur inter quinque pagos Orientalis Frisiæ, qui Francorum regno se subjecerunt, promittentes fidem Christianam se suscepturos, si erudiendis ipsis aliquis daretur, cujus loquelam intelligere possent. Adi vitam D. Ludgeri evulgatam à Christophoro Brovvero, & addita ejusdem scholia. Meminit ejus pagi Henricus IV. Imp. condonans Adelberto Hamburgensis ecclesiæ archiepiscopo, patrono & fideli suo, ut loquitur in diplomate, Comitatum Bernardi Comitis in pagis *Emisgoa*, Westvala, & Angericum universis ejusdem comitis beneficia respicientibus &c. anno MLXII. Cornelio Kempensi rerum Frisicarum lib. 7. cap. 12. nominatur *Emensingovia*. Nomen accepit ab *Emisa*, quarto ex magnis Saxoniæ fluminibus; qui ortus in saltu Padibornensi currit per medios Frisiorum terminos in Oceanum Britannicum, ut Adamus Bremensis lib. 1. cap. 2. Plinius *Amisium* vocat lib. 4. cap. 14. Tacitus Annal. lib. 1. cap. 60. & alibi, *Amisiam*.

Pagus Entergovvi. Memoratur Conrado Salico Imp. donanti Sigiberto Ecclesiæ Mindensis Episcopo quandam silvam sitam in proprietate prædiorum ejusdem ecclesiæ Mindensis, & in pago Entergovvi, in Comitatu vero Bernardi Ducis, cum consensu & collaudatione præfati Ducis, Bernardi & sui fratris Dietmari, anno MXXIX. Bernardus Dux ejusq;

fratér

igne cælesti concremata sunt. Annales Francici, à Reubero editi, vitiose legunt *Frisasij:* Hermanni contracti editio Canisiana *Firichsazu:* Vrspergensis *Firshaze.* Superat hodie in Marchia Brandenburgensi veteri appellatione. *Frisack.*

G.

Pagus Geraha. Theodoricus, ejus nominis primus, Citicensis sive Mammillensis Episcopus ex familia Widichindea, ut Ioannes Rinius observavit, oriundus, & monasterium Bosavvgiense auspicatus, contulit ei decimam centum scabronum, teste Paulo Langio, Chronico Citizensi. Alexander, ejus nominis IV, Pontifex Romanus, bulla confirmationis hujus cœnobij, anno MCCLVI. data, vocat *terram Geraha.* Fuit ad Elistrum fl. ubi hodieque ejus nominis urbs superat.

Pagus Glomazi. Hic idem est cum pago *Daleminci*, de quo supra, ut observavit Petrus Albin. Chron. Misnensi. Dithmarus lib. I. vocat *Glomuzi;* Verba ejus ex emendatione Albini addam. *Sed qualiter pagus iste nomine hoc signetur, dicam: Glomazi est fons, non procul ab Albi quam duo milliaria positus, & de se paludem generans, mira, ut incolæ pro veritate asserunt, oculisque approbatum est à multis, sæpe operatur. Cum bona pax est indigenis profutura, suumque terra non mentitur fructum, idem tritico & avena & glande refertur, lætos vicinorum ad se crebro confluentium efficit animos. Quando autem sæva belli tempestas ingruit, sanguine & cinere certum futuri exitii indicium monstrat.* Hactenus Dithmarus. Fuit tractus circa urbem Misnam, superestque à veteri appellatione *Lommitsch*, urbs antiquissima.

Pagus Gollokevne. Meminit ejus Otto II Imp. diplomate, quo fundationem monasterij Mariæ virginis in suburbio Gandersheimensi, à Gerbirga, Henrici Rixosi Ducis Bajariæ F. institutam anno DCCCCLXXIII. VII. Idus Iunij, confirmat. Fuit in eo *Suadronhoff*, in Comitatu Gerungi Comitis.

N Pagus

H.

PAGUS HAMALAND. Henricus IV. Imp. anno Christi MLXXXIII. Indict. VI. Liemaro Archiepiscopo Hamburgensi donavit abbatiam *Altene*, in honore S. Viti martyris constructam juxta Rhenum fluvium, in pago *Hamaland*, & Gerardi Comitatu sitam, ut habet diploma datum Romæ. Nobile hoc monasterium in regione Clivensi, haut procul Embrica civitate in editi montis jugo ab illustris prosapiæ abbatissa gubernari solet. Fundatum est à sorore Meinwerci Episcopi Padibornensis, ut habet Gobelinus Cosmodromij ætate 6. cap. 53. & ex eo Chronicon magnum Belgicum: à quibus dissentiens Auctor vitæ Meinwerci, ejus sororem Athelam, sive Azelam, sanctimonialem ibi fuisse affirmat. In hoc pago fuit urbs munitissima *Vplan*, ut vocat Dithmarus lib. 7. (In vita Meinwerci nominatur *Vplage*) hereditaria Baldrici Comitis, vitrici Meiwerci, hominis impij & nefarij. quippe cujus molitione uxor ejus Athela, altera Herodias, ut vocat Dithmarus, proprium interfecit filium Theodericum, ipse vero in gratiam sceleratæ mulieris Wichmannum Comitem per insidias trucidari curavit. Pro quo scelere, inclamante vicinos dynastas Theoderico Monasteriensium Episcopo, urbs *Vplan* obsessa, tandemque suppetias ferente Bernardo Saxoniæ Duce, solo æquata est.

PAGUS HARTINGOWE. Silva Hercinia, olim longe lateque se extendens, succedentibus temporibus excisa, urbes vicosque admisit, pagoque peramplo nomen facit. Diplomate Ludovici Pij, quod cl. Guil. Budæus noster primus evulgavit, nominatur *Hartingowe*, assignaturque dioecesi Halberstadensi. Idem in literis fundationis monasterij Groningensis ad Bodam fl. datis anno DCCCCXXXVI. vocatur *Hardago*. Ei tribuuntur *Groninga*, *Wolferstetum*, *Ositherslebium* & *Veplingum*, hodieque nota loca. Diploma Ottonis II. Imp. confir-

confirmantis Ecclesiæ Magdeburgensi à parente suo donata, quæ ordine recenset, in pago *Hardago* nominat *Staun, Roresheim, Vallersleben, Bardorf, Duttenstede, Gebrlan, Gerbilde*, ad annum DCCCCLXXIII. Ex his *Vallerslebium* Episcopalis sedes aliquando fuit. Nam Episcopatus, qui *Schira*, sive *Schidræ* (locus est in Comitatu Lippiensi) cœpit, inde à Brunone & Tancquardo fratribus, Ducibus Saxoniæ, Vallerslebium translatus est. Sed nec ibi diu hæsit, *Frosam* migrans, unde demum ab Ottone M. *Magdeburgum* deductus est, ut Centuria Magdeburgensis octava pag. 18. & 23. ex Henrico Hervordiensi commemorat. Eadem habet Rolevincius lib. de laudibus antiquæ Saxoniæ. Henricus II. Imp. in pago *Hartega*, in Comitatu Liudigeri Comitis monasterio Lunæ anno MXXII. donat prædium quoddam in *Latheburum*.

PAGVS HASBANIENSIS. Hujus meminit Iacobus Mejerus Annal. Flandric. lib. 2. Fuit in eo villa *VVintreshove* & *VVineble*.

PAGVS HASSEGVN. Nominatur Ditmaro lib. 7. & paullo ante *provincia* indigitatur. Hic idem videtur esse cum *pago Hassingou*, quem Ludovici Pij diploma tribuit Episcopatui Halberstadensi. In antiquitatibus Hamerslebiensibus vocatur *provincia Hassingorum*. Neque alium ab his puto pagum *Hosgou*, in instrumento erectionis Archiepiscopatus Magdeburgici, Ravenoæ in Synodo multorum procerum Ecclesiasticorum, Papa & Ottone Imp. præsentibus, solenniter factæ. Annotantur ibi limites hujus pagi, videlicet Sala, Willerbach, & Wippra fluvij. Hujus tractus meminit etiam Dithmarus lib. 6. additque tempore Ottonis Cæsaris Bioni Comiti Mersepurgio paruisse.

PAGVS HASSIORVM, super fluvium Edernam. Annales Francorum ab Astronomo scripti ad annum DCCLXXIIX hoc nomine appellant. Poëta, Auctor vitæ Karoli M. *pagum*

gum Hessi nominat. Hodie das Land zu Hessen an der Eder.

PAGVS HASTVALVS. Indicatur diplomate Henrici Humilis, sive Claudi Imp. confirmantis donationes cœnobio Heiningensi ad Ocram fl. factas anno MXIII. Puto legendum *Hostvalus*, ut intelligatur *regio Ostvalorum*, sive Saxonum cisveseranorum, quos Poëta in vita Karoli *Osterlingos* vocat. Nam & Regino ad annum DCCLXXXIV. scribit *Hostvali.* Vita Karoli N. à Pithoeo edita *Ostfalnos*, & alius auctor, qui vitam Ludovici Pij descripsit, hunc pagum *Ostvalaa* nuncupat. Bedæ lib.5. histor ecclesiast. cap. 11. Widechindo lib.1. Auctori annal. Francic. ad annum DCCLXXV. & DCCLXXIX. item Vrspergensi & alijs, simpliciter *Ostvali* nominantur.

PAGVS HARTERI, in Comitatu Comitis Erenfridi. Mentio ejus fit in literis Ottonis M. ad annum DCCCCXLVI. In hoc fuit villa *Mundelingen*, forte an *Mülingen*, subjecta comitibus Barbejensibus.

PAGVS HELMINGOVVI. Paruit anno DCCCCLXV. Wilhelmo Còmiti: quo anno Imp. Otto M. die 2. Iduum Aprilis monasterio Magdeburgensi dedit bona nonnulla, sita in *Bredinga* & *Brandesrode*, locis hujus pagi. Fuit in eodem villa *Sunthusen*, quam Otto II rogatu Giselharij Archiepiscopi Magdeburgici cuidam clerico, nomine Sunthario, condonavit, Erpone Comite ibi præsidente, anno DCCCCLXXX. II Idus Februarias. Accepit autem nomen pagus hic ab *Helmo* fl. Thuringiæ, scaturiente in dynastia Werterensi, supra Roslebium, & exonerante se in Vustrutum fl.

PAGVS HEMMERFELD, in Comitatu Vdonis Comitis. Datur ab Imp. Henrico II Meinvverco Episcopo Padibornensi, anno MCXIIX. Fuit in eo prædium *Siburghusen*. Vide Auctorem vitæ S. Meinvverci pag. 50.

PAGVS HERLOGA. Subjicitur Episcopo Bremensi, ut habent scholia ad Adamum Bremensem. Adrianus Pontifex in

bulla

bulla confirmationis Ecclesiæ ejusdem *Herlingiam* appellat. Est tractus à pago Nordi ad Wangriam usque. Subsunt *Harlingÿ* hodie Dominio Esensi in Frisia.

PAGVS HOLSATIÆ. Meminit ejus instrumentum Athelberonis Archiepiscopi Hamburgensis ad annum MCXLI. Vide appendicem Chronici Bremensis, editi ab Erpoldo Lindenbruch pag. 114. 116. & 118. Hujus pagi incolas Adamus Bremensis vocat *Olcetas*: vide editionem Danicam lib. 2. cap. 8.

PAGVS HORLA. Nominatur Chronico Pegaviensi pag. 7. Reineccius in translatione Germanica, omissa aspiratione, scribit *Orla*. Vnde conjicias fuisse regionem ad fl. Thuringiæ *Orilam* ad *Orlemundam* in Salam se exonerantem. Habuit ista provincia olim suos comites: ex quibus Henrici, ejusque filij Alberti meminit Crancius Saxon. lib. 7. cap. 27.

PAGVS HVETAGOGE. Meminere ejus Annales Francici ad annum DCCCCLXXXIV. Fuit juxta Ambram fl. in dioecesi Padibornensi. Habuere ibi Saxones castellum *Skidroburg*, quod alijs contracte *Schider*, hodie *Schir* dicitur. Karolus M. eo in loco Episcopatum condidit, qui postea alio migravit, ut paulo ante monuimus. Fuit in hoc pago villa, in qua natalem Domini celebravit Karolus M. anno DCCLXXXIV, nomine *Linbidi*, ut est apud Reginonem: verum nomen habet vita Karoli M. à Pithoeo edita ubi pag. 147. in margine legitur *Luidi*, quemadmodum & hodie Luide appellantur. Ad Ambram fl. habitasse, & ab eo nomen mutuatos *Ambrones*, Cimbrorum in bello contra Romanos socios, existimat Reineccius lib. de origine Mysorum.

PAGVS HVNESGA. Nominatur in diplomate Henrici IV Imp. anno MLVII, die 4. iduum Decembris. In hoc pago, sicut & in altero, Fivelga dicto, habuit Imperator Comitatum quendam, quem largitur Albertus Episcopo Bremensi Vide Lindenbrogium pag. 159.

I.

PAGVS ILMIN. Inculcant Hunc Additiones ad Lambertum Schafnaburgensem pag. 257. Vide Tomum I. Historicorum Germanicorum, vulgatore Io. Pistorio. Fuit hic pagus in Thuringia ad Ilmum fl.

L.

PAGVS LACNI. Conradus Salicus, in monasterio Hilti̇svvardes husano commorans, Meinvverco Episcopo Padibornensi quandam proprietatem, curtim *Gardenebike* nominatam, in pago *Lacni*, in Comitatu Hermanni Comitis sitam, cum omni integritate, & quicquid prædij habuit in villis *Humnadal, Moldugavel, Lindevelshusen*, in eodem pago, cum omnibus attinentijs dedit, *ut ipse fidelis suus, sive longe sive prope esset, sua devotissima * eum non immemorem esse recognosceret.* Verba sunt diplomatis dati anno MXXXI. Henricus IV. Imp. *pro devoto ac videli servitio Adelberti Hamburgensis Archiepiscopi, quendam servientem suum, Nannonem nuncupatum, una cum filio suo, Hildiberno vocato, atque filia sua Lucia, nec non prædiis suis, quecunque habere visus est in loco VVinethe dicto in pago Lacne, in Comitatu Henrici Comitis &c. ad Sanctam Hamburgensem ecclesiam, in honorem S. Dei genitricis constructam dedit atque tradidit.* Verba itidem sunt diplomatis dati triburiæ anno MLXIV. XVI. Kal. Febr.

PAGVS LAERGOE. Karolus M. Episcopatui Bremensi abs se condito subjecit decem pagos, quos, abjectis ipsorum antiquis vocabulis & divisionibus, in duas redegit provincias, sequentibus appellatas nominibus, Wigmodia & Laergoe. Ita habet privilegium Bremense Karoli M. apud Adamum Bremensem & alios. Auctor vitæ Meinvverci, Padibornensis Episcopi meminit loci, *Laerge* dicti, in quo Henricus II. Imp. principum Imperij conventum habuerit, multaque cum eis ad honorem & dignitatem necessaria disposuerit.

PAGVS

PAGVS LANGEVVICE. Memoratur in additionibus ad Lambertum Schafnaburgensem ad annum MCCIV. Apparet fuisse tractum in Thuringia prope Salvaldium villam regiam quam Ottocarus rex Boëmiæ tempore belli civilis devastavit.

PAGVS LIDBETEGOVVI. Otto II. Imp. *commonente ac suppliciter rogante Mandrado presbytero, talem proprietatem, qualem in pago Lidbetegovvi & in Comitatu Bernardi Comitis situm, quo quomodo sibi in proprium acquisierat, quod lege in jus & ditionem Imperatoriam redierat, sua potentia auctoritatis ad Ecclesiam Mindensem, S. Petri principis Apostolorum honori dicatam, in proprium & perpetuum usum, pro anima sua remedio ac Imperij stabilitate tradidit, firmiterque donavit. Actum Noviomagi anno Christi* DCCCCLXXIV. XIV. *Kal. Martij*. Verba sunt diplomatis. Chronicon Mindense, nostra opera editum, scribit *Lubbekegovve*, & putat esse *Lubbeke*, non ignobile dioecesis Mindensis opidum. In hoc pago, qui Annalibus Francicis Pithoeanis ad annum DCCLXXV. *Liedbechi:* Poëtæ annonymo in vita Karoli M. cum aspiratione, majoribus nostris usitata, *Hlitbeki*: Saxones à Francis magna clade afflicti sunt.

PAGVS LISGA. Anno MXLII. Henricus II Imp. in castello Gronden convenire Principes mandavit, & VI Kal. Maij de statu regni inibi cum eis necessaria tractavit. Meinvvercus Episcopus Padibornensis ea occasione usus, *Berneshusium*, situm in pago Lisga. in Comitatu Vdonis Comitis, obtinuit, *legaliter illud ab Vnvvano, Archiepiscopo Bremensi Imperatori traditum erat, ac in jus Meinvverci transierat, sed invasione quorundam possessione turbata tandem post quinquennium ab Imperatore renovata & confirmata est*. Retinui verba Auctoris vitæ Meinvverci episcopi.

PAGVS LOGINGAHA. Auctor vitæ S. Godehardi, Episcopi Hildesiensis scribit cap. *6.* in hoc pago fuisse castellum *Gruana*, ubi Godehardus, licet invitus, episcopus electus & consecra-

ſecratus fuerit. Ibidem Henricus II. Imp. cum totius Chriſtianitatis moerore inæſtimabili, anno vitæ ſuæ LII. regni XXIV. Imperij II. Dominicæ incarnationis MXXIV. eſt defunctus & Bavenbergam translatus.

PAGVS LOSA. Henricus IV. Imp. *pro remedio animæ patris ſui, sereniſſimi Romanorum Imp. Aug. Henrici, & ſtabilitate regni, conſili ante & precante dilectiſſima matre ſua, Agnete, Imperatrice Auguſta, ob petitionem & fidele ſervitium Colonienſis Archiepiſcopi Annonis, quoddam prædium* Loſa, *ſitum in pago* Loſa, *ad monaſterium Mindenſe in honore S. Petri & S. Gorgonij conſtructum in uſum fratrum inibi Deo ſub Canonica regula ſervientium tradidit. Actum Mindæ .V menſis Maij anno Dominicæ incarnationis* MLIIX. *Indict. II.* Verba ſunt ipſa diplomatis.

PAGVS LVBENIZI. Fuit tractus circa urbem Wurcenſem. Indicatur diplomate Ottonis III. Imp. anno DCCCCXCIII. & Wichmanni Archiepiſcopi Magdeburgenſis ad annum MCLXIII. Dithmaro Epiſcopo Merſeburgenſi lib. 3. eſt *Luibanizi*, qui accenſet hunc locum ijs, quæ Giſalarius Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Epiſcopâ Merſeburgenſi diſſipata, ſuæ dioeceſi adjunxit. Hodie *Lubenitz* vocatur.

PAGVS LVZICI. Memoratur in bulla Ioannis XIII. Pontificis Romani, anno ſeſſionis ſuæ tertio, confirmantis erectionem Epiſcopatus Miſnenſis. Dithmaro lib. 3. & 6. eſt pagus *Luzici*, lib. 7. *Luſici*. Tractus fuit circa *Dobrelucum*, inſigne monaſterium ad Eliſtrum fl. In fronte hujus pagi fuit urbs *Iarina*, nomen ſortita à Gerone Marchione, qui in hoc, & in altero pago, *Selpoli*, cum imperio fuit. A pago *Luſici* ſuperat nomen *Luſatia*, die Lauſiniß.

M.

PAGVS MICTERGA. Anno Dominicæ incarnationis MXXX. Conradus Imp. *difficili periculoſoque itinere regionem Vngariorum pervaſit, & Meinvverco ſibi ubique devote obſequente, inter-*

interventu Gislæ Imperatricis, filijque ejus Henrici regis, Kal. Iunij in Merseburg quondam Bernardi Comitis prædium, Batberg dictum cum decem mansis circa eundem montem jacentibus, in pago Mischtorcha, in Comitatu Haboldi Comitis situm, testamentaria auctoritate ei contulit, quod id eo hereditario jure in Imperialem potestatem successit, quia idem Comes Bernardus Spurius, quod vulgo VVaubertin dicunt, fuit. Verba sunt Auctoris vitæ Meinvverci cap. 105.

PAGUS MENAPISCUS. Nominat eum Iacobus Mejerus Annal. Flandric. lib. I. ad annum DXXXI. Videtur nomen accepisse à *Menapiis*, de quibus Strabo lib. 4. In eo fuit *Truncinium*, ubi collegium clericorum instituit S. Amandus. Ejus vici seu castella fuere *Aldenburgus, Turholt, Rodenburgus & Ostburgus*: Item *VVorenholt, Heclesbeka, Crombeka, Strasella, Groneberg, VVatamum, Casletum, Baliolum, Steinfordium, Pupumingahem, Hypra, Meschina, Varmestron, Cominini, Longamarca.* Mejerus ibidem.

PAGUS MILZENI, sive MILCENI. Meminit ejus Dithmarus lib. 6. Fuit pars Soraborum, ut notat Reineccius ad Dithmarum. Albinus Chronico Misnensi à *Milda* fl. dictos existimat. Bello petitos legitur ab Henrico II. Imp. domitos ab Echardo I, Marchione Misnensi.

PAGUS MILSCA. Nominatur in diplomate Henrici IV. Imp. ad annum MLXXI, citante Petro Albino. Fuit in hoc pago vicus peramplus, *Berelitz*, sive *Gorelitz*.

PAGUS MORANGANO. Fuit in eo *regia curtis MARANGA, in Comitatu Bernardi Comitis, quam Vnvvanus Archiepiscopus Bremensis, cum manu advocati sui Vdonis, Henrico II. Imp. omnium hominum contradictione remota, tradidit, & ipse Imp. pro remedio animæ sui prædecessoris tertij Ottonis, divæ memoriæ Imperatoris Augusti, & in columitatis suæ vitæ, & spe futuræ, cum omnibus attinentiis Meinvverco Episcopo Padibornensi concessit* anno MXIII. Auctor vitæ Meinvverci cap. 25.

Pagus Morassovv. Anno xxx regni, iv. vero Imperij Otto M. Imp. *ad petitionem Adelheidis conjugis suæ, Popponis Episcopi VVirtzburgensis & Geronis Marchionis, dedit S. Mauritio in Magdeburg duas civitates, Luborn & Tuchime, sitas in occidentali parte Albis fluminis in pago Morassovorum, in Comitatu dicti Marchionis. Actum xv. Kal. Junij in Dornburg.* Hæc verba descripsi ex registratura, ut vocant, ecclesiæ Magdeburgensis. Georgius Torquatus, Annalium Magdeb. & Halberstad. primæ partis lib. 2. cap. 4. in fundatione monasterij Lietzke prope Magdeburgum, Archiepiscopatus Magdeburgensis partim transalbinam scribit vocari *Morschoviam*, additque eam extendi ad Havelam usque fluvium. Eodem attestante, in diplomate Conradi Imp. quo confirmatur institutio monasterij Hierochoviani, provincia hæc *Scholeve* appellatur, ab opido ejus nominis in citeriori ripa Havelæ.

Pagus Morezini. Fuit hic juxta Magdeburgum, Dithmaro teste lib. 6. Forte idem erit cum pago *Mortasini*, cujus meminit diploma fundationis cœnobij Bergensis prope Magdeburgum. In pago *Mortzan* fuit *burgvvardium Drietzole*, ut notatur in Chronico Magdeburgensi MS. in vita Dagenonis.

N.

Pagus Neledice. Hic alibi vocatur *Nelecice. Otto M. Imp. ob amorem Dei, regnique æterni mansionem, ob remedium animæ patris sui Henrici regis, ac pro incolumitate matris suæ Mathildis, ac pro statu & incolumitate regni vel Imperij, conjugisque suæ Adelheidis, ac filij sui Ottonis, instinctu & monitu VVilhelmi Archiepiscopi Moguntinæ sedis, dedit Ecclesiæ S. Mauritij martyris in Magdeburg omnem rem pagumque NEDELICE, omnemque utilitatem cum omnibus ad eum pertinentibus. Actum VVisibadun, II Idus Aprilis, anno Domini* DCCCCLXV Fuit in eo pago urbs *Gibucanstein* & opida nonnulla alia, *Dobrogora, Rodible.*

Pagus Netega. *Mortuo anno* MXXI, XIV *Kal. Septembris, Dodi-*

Dodicone, Comite de VVartberge, Meinvvercus Padibornensis Episcopus Imperatorem Henricum II post natalem Domini Patherbrunne invitavit, & Comitatum, quem idem Dodico dum vixit tenuit, in pago Helsiga, NETEGA, Niterga situm, ab eo impetravit. Verba sunt Auctoris vitæ Meinvverci cap. 71.

PAGVS NISENI. Hujus meminit Dithmarus Merseburgensis Episcopus lib. 4. & diploma Henrici II Imp. anno MXIII. in bulla confirmationis Episcopæ Misnensis appellat *Nisici* & *Nisen*. Henricus IV. Imp. *Nisani*. Chronicon Pegaviense anno MLXXX regno Boëmiæ paruisse, & Wiperto Comiti Groicensi à rege donatum affirmat. Fuere in hoc pago burgvvardia duo, *VVoz* & *Biustrizzi*; item *Scarpenberg*: præterea villa *Brochotinachetla*. Complexus est pagus hic partem Misniæ superioris & Lusatiæ.

PAGVS NITERGA, Donatur ab Henrico II Imp. Meinvverco Episcopo Padibornensi, anno MXX. XIV Kal. Martij. Vide quæ de pago *Netega* modo diximus.

PAGVS NITGOVV. Memoratur in Chronico Halberstadensi MS. Fuit in eo villa *Brunnesheim*, in qua Henricus IV. Imp. vineas aliquot largitur Burchardo Episcopo Halberstadensi.

PAGVS NITENSIS. Memoratur ab Annalibus Francicis à P. Pithoeo evulgatis ad annum DCCCLXXV.

PAGVS NORDGOA. Fit ejus mentio in vita S. Ludgeri, primi Monasteriensis Episcopi lib. 2. cap. 1. Alibi vocatur *Nordergoa*. Scholia ad Adamum Bremensem inculcant pagum *Nordi*, assignatum à Karolo M. Ecclesiæ Bremensi, quem puto eundem cum hoc ipso esse. Nomen accepit à *Norda*, civitate Frisiæ Orientalis, hodieque florente. Henricus Wolterus Chron. Bremensi MS. vocat *Nordendam*

PAGVS NORTHVRINGOVVE. Hic pagus *ordinatione Karoli M. cessit Ecclesiæ Halberstadensi, constructa in honorem Christi,*

suiq; protomartyris Stephani, super fl. Holtemna, ut Ludovici Pij habet confirmatio, data anno DCCCXIV. Indict. IIX. IV Non. Septembris, Aquisgravi. Habet eadem confirmatio Henrici III Imp. ut testatur Chronicon Halberstadense MS. Dithmaro lib. 8. est *Northuringou*. Torquatus annal. Magdeb. & Halberst. part. 1. lib. 2. cap. 6. ista habet. *Omnis terra illa, quæ jacet inter Herciniam, Salam, Albim; immo ultra quoq; Brandenburgum, usque ad Haveli ripas, & Ducatum Brunsuicensem, seu Alarim amnem, dicebatur pagus Northuringorum.* CI. Guilelmus Budæus, pagi hujus terminos intra Albim, Bodam & Ohram fluvios, proxime pagum Derlingovve constituit. Sigfridus præsbyter Chronici Misnensis lib. 1. scribit, *Thuringiam terram fuisse spatiosam, quæ à natione Francorum protendebatur usq; ad Oceanum contra septentrionem.* Extant diplomata Ottonis I & II Impp. quibus memorantur multi vici Northuringoviæ quos ordine alphabeti, ut loqui solemus recitabo: *Adinge* seu *Atinge, Addustondorf, Aldenvvaddinga, Amenburgon, Apendorf, Bardrichsdorf, Biere, Bischopesdorf, Bizunzi, Bunesburg, Brunistedt, Buchuvi, Bobelstorf, Butturichstorf, Buzoboro, Calva* curtis, alibi urbs, *Chotirodizzi, Crupsize, Cununsteti, Crullingi, Dreilebe, Dudulon, Dunenste*, sive *Dunnensteti, Dudize, Flatungun, Fridumaresleben, Frosa* (Dithmaro lib. 4. *Frasu*) *Glinde, Grimi, Hurtararestorf, Haldenslebe, Heldun, Helmestede* (in vita Hildegrini Episcopi Halberstadensis) *Histardesdorf, Heresleven, Immenvvaddinge* vel *Himenvvattinge, Intesleven, Istarestorf, Kemundestorf, Kevoldestorf, Koboldenstorf, Kurlingovv, Limen, Liemannestorf, Ligzize, Magadaburg* castellum *Makkenstede, Mantesleve, Morisani, Mosavv* sive *Mosan, Medubeke, Michanantorf, Narturi, Nartestorf*, alibi *Narturitestorf, Nienvvaddingen, Ostervvattinga, Oskersleve, Othinga, Pelenitz, Pesekendorf, Pitinizi, Pridisci, Plochamsci, Pretalizi, Radible, Rodanburdi, Rhuodhardesdorf, Rinchardesdorf, Stauschid, Suldorf, Tachebechi, Thiecherisdorf, Trumisice, Valedorp, Velboze, Velpuchi,*

chi, Vnnesburg, castrum, alibi *Vnnereesburg, Vppelingen, Vrlaha, VVaddinga*, alibi *VVattinga*, & *VVeddinga, VVabbaresdal, VVansleve*, ut Chronicon Gandersheimense rithmicum, *VVarandesdorf, VVanderesdal, VVatanesdorf, VVedenesberg, VVelbizi, VVierichsdorf, VVindiscumburg, VViedrichsdorf, VVilmaresleba, VVestervvattinga, VViaculdorf, VViteresdorf, VVodenesvvege, VVutiridesdorf, VVolpuchi, VVinzuburo, Zolici, Zeliel, Zizice.* Hildegrinum, fratrem S. Ludgeri, Episcopum Halberstadensem, Northuringorum populis circa Helmestadium Evangelium prædicasse, ex vita Rhythmica S. Ludgeri affirmat Christophorus Brovverus Notis ad vitam Ludgeri cap. 34.

PAGUS NUDCICI, sive NUDZICHI. In eo fuit urbs *Sputinesburg*, cujus burgvvardium, sive munitio ab Ottone I donatur monasterio Magdeburgi constructo, anno DCCCLXI. IV Kal. Augusti.

O.

PAGUS OSTRACHA. Memoratur in vita D. Ludgeri Episcopi Monasteriensis, hodie die Ostergowe. Incipit à Leovvardia, & extendit se in Orientem, usque ad Lanum fl. Pars est Frisiæ occidentalis. In pago hoc fuit *Doccum*, ubi S. Bonifacius martyrio affectus. Io. Trithemius de origine Francorum.

P.

PAGUS PATHERGA. Meminit ejus Auctor vitæ Meinvverci cap. 9. affirmans Comitatus super pagos *Patherga*, Aga, Treverescha, Auga, Sorethvelt, datos pro decimis Novæ Corbeiæ ad monasterium pertinentes. Fuere in hoc pago *Alflaën* & *Elsinum*, in Comitu Amilungi comitis, quæ Meinvvercus Episcopus Padibornensis ab Imperatore Conrado obtinuit anno MXXXI, ut idem habet Auctor cap. 106. Nominatur *Paderga*, ut intelligatur pagum nomen accepisse à *Padera*, saluberrimorum fontium amoenitate incomparabili, de quo prolixe Gobelinus ætate 6. cap. 38.

Pagvs Plisni. Meminit hujus Dithmarus Merseburgensis lib. 3. & ultimo. *Bruno*, inquit, *Comes Parisiensis locuples, cum nulla haberet masculam sobolem (unicus enim ejus filius in venatione perierat) de consensu uxoris VVilla, aliorumque haredum suorum, fundavit monasterium virginum Smollense, illudq́, adeo ditavit, ut tertiam pagi Plisnensis partem cœnobio conferret, filia Gerburge abbatissa constiuta*, anno MCXXVII. Monialibus parum religiose viventibus, monachi Cistertienses fundatoris consensu ibi nidificaverunt, sed paulo post Portam migrarunt anno MCXXXVII. *Plisnam* invenies etiam apud Adamum Bremensem lib. 3. cap. 30. & lib. 4. cap. 24. Pagi nomen profluxit ab amne *Pleissa*, inter quem & Elistrum situs fuit. *Aldenburgum* Misniæ urbem olim *Plisne* dictam fuisse, scribit Arnoldus Lubecensis lib. 7. cap. 18. & ex eo repetit Crancius Saxoniæ lib. 7. cap. 27.

Pagvs Plvnensis. Nominatur ab Helmoldo lib. 1. cap. 58. Eidèm ibid. cap. 97. est *terra Plumensis*. Castri & urbis Plunensis, à qua pago nomen, mentionem idem fecerat jam ante, cap. 25.

Pagvs Prettin. Paruit olim Archiepiscopo Magdeburgensi, etsi situs esset in dioecesi Misnensi. Anno MCLXIII. inter Wigmanum Archiepiscopum Magdeburgicum & Gerungum Misnensem facta est permutatio, ut decimas Prettinensium agrorum perciperet Magdeburgensis, & quæ in pago Lubenizi provenirent, cederent ecclesiæ Misnensi. Vrbs *Prettin* hodieque superest non procul ab urbe Torga.

R.

Pagvs Rettega, alibi Rittega. Fuit in eo prædium *Marsfelde*, in Comitatu Vdonis Comitis, quod Conradus Salicus Imp. *interventu Gila Imperatricis & dilecti filij regis Henrici, ob servitium secundum votum sibi sæpe impensum, Meinvverco Episcopo Padibornensi donat* anno MXXXIV. III Idus Maji, Noviomagi.

magi. Præterea fuit in eo prædium *Hojestede* in Comitatu Bernardi Comitis, quod idem Episcopus ab Henrico II. Imp. anno MXIII acquisivit, *cum omnibus appendiciis & utilitatibus, quibus id Vnvvanus Archiepiscopus Bremensis possederat eiq; dederat legaliter*. Idem Henric⁹ II Imp. *interventu Benedicti Papæ, patris sui spiritualis, Cunigundæ Imperatricis, Erchanbaldi Moguntini archiepiscopi, aliorumque Episcoporum, quandam curtem HAMMENSTEDE, si tam in pago RITTEGA in comitatu Vdonis, Meinvverco Episcopo donat* anno MXXI. Auctor vitæ Meinvverci cap. 23. 68. & 121.

PAGVS RHIVSTRI. In Annalibus Francicis Adelmi monachi collocatur ad Wisaram, qui & Visurgis. Scriptor vitæ Ludovici I Imp. vocabulum corrumpens, vocat *Riustri*, simulque addit fuisse Comitatum Frisiæ, datum ab eodem Imp. Harioldo Daniæ regi, recens baptizato, ut si propter Christianismum patria ejiceretur, hospitium ibi & alimenta haberet. Adamus Bremensis varians, Horicum, Harioldi sive Haraldi fratrem *Rustriam* ab Imperatore accepisse affirmat. Scholiastes Adami *Rustringe* vocat. Superest etiamnum *Rustringiæ* nomen, estque tertia pars Ieverensis ditionis, quam *Iada* mediam scindens in duas partes dirimit. Qui cis Iadam habitant, vetus Rustiorum nomen retinent: ultra Iadani *Butjadæ*, hoc est, Transladani & Statlandi appellantur. In Rustris fuit villa *Pleccazze*, hodie Bleren/ locus emortualis Willehadi primi Archiepiscopi Bremensis lib. I. cap. 10. Historia Archiepiscoporum Bremensium à Lindenbrogio edita, corrupte admodum scribit *Blokegen*.

PAGVS RIEN. Meminit ejus Iacobus Mejerus Annal. Flandric. lib. 2. In eo fuit *Bocholt*, quod cum suis pertinentijs Otto II Imp. restituit & confirmavit Ecclesiæ Gandensi ad annum DCCCCLXXIV.

S.

PAGVS SCALDIS. Memoratur ab eodem Mejero Annal.

nal. Flandric. lib. 2. Fuere in eo *Crebca*, & *Papinglandia*.

PAGVS SELON. Meminit hujus Dithmarus Merseburgensis lib. 1. Fuit vel in Daniâ, aut ditione aliqua vicina. Forte *Seland* insula, quam Adamus Bremensis describit lib. 4.

PAGVS SELPOLI. Fuit finitimus pago Lusizi, intra Albim & Oderam, teste bulla confirmationis Episcopæ Misnensis, quam Ioannes XIII. Pontifex dedit anno DCCCCLIIX. Paruit Geroni Marchioni, ut est apud Dithmarum lib. 2. qui ejus itidem meminit lib. 4. & 6. sed ut utrobique habeat *Selpuli*.

PAGVS SEREMODE. Otto M. Imp. *ob interventum Ottonis Ducis, nepotis sui, concessit cuidam Livvoni, pincernæ suo, villam BIENDORP, in pago SEREMODE, in Comitatu Thietmanni sitam, in proprium*. Actum Dornburg IV. Non. Novembr. anno Domini DCCCCLXX. Idem Imperator meminit *PAGI SERMVND, quem filio suo Luidolfo in proprietatem donarit: Luidolfus vero, Conradi Ducis & Marchionis Geronis interventu, tres marcas ejusdem prædictæ regionis, cum omnibus suis appendiciis, supra nominato Marchioni suo jure perenni in proprietatem manu sua donarit, sitas in pago SERMVND, in comitatu Theotmari, civitatis Osterburgensis*. Diploma datum est V Kal. Augusti, anno Dominicæ incarnationis DCCCCLII. Indict. IIX. Nomen huic obvenit à fluvio *Zere*, à viculo hujus nominis, quem præfluit, ita nuncupatus, prius nomen, die Hammey/ amittens, unde pagus hic quibusdam *Zeremunde*. Chronicon Pegaviense meminit provinciæ Scringorum, quæ an cum hoc pago eadem sit, pronunciare non audeo. Pagus Sermundius complectitur totum illum tractum, quem vulgo *Marchiam Soltvvedelensem* sive *Veterem* appellant. *Zera* fl. alio nomine *Balsamus* dicitur: unde hic pagus etiam *Balsamorum regio* nuncupatur. In literis Gardolfi Episcopi Halberstadensis ad annum MCXCVI mentio fit Romari, Archidiaconi Balsamiæ. Pertinuit ad *pagum Balsamicum*, ut notat

notat Christophorus Encelius in Chron. March. *Stendalia, Osterburgum* & *Arenburgum*. Adi & Helmoldum lib. 1. c. 89. & Chronicon Pegaviense pag. 1. & 3.

PAGUS SILENSIS. Meminit Dithmarus lib. 7. Est regio illa florentissima, quam hodie *Silesiam* indigitamus. Nomen ab *Elysiis* derivat Curæus in Annal. Silesiæ. Alij à novis colonis *Slavis*, prolatione nonnihil mutata, ut habes apud Peucerum lib. 4. Chronici Philippici. Cromerus lib. 6. Historiæ Sarmaticæ, è vocabulo Polonico *Slesack*, convenas interpretatur. Celtes lib. 2. Amor. eleg. 5. Silesiæ nomen à *Sleso* fl. quem in Oderam se exonerare affirmat. Parum rectè omnes. Vera origo nominis Silesiæ est à monte excelso & grandi, ut loquitur Dithmarus, cui nomen *Silensi*: quemadmodum ista accurate exponit idem auctor loco antedicto. Vulgo mons iste vocatur *Zabothus*, Germanis der Zottenberg/ de quo vide Poëma Francisci Fabri, cui titulum *Zabothi*, à monte fecit. Vide insuper Davidis Milesij descriptionem montium Germaniæ.

PAGUS SIRIMUNCI. Fuit ultra Salam fl. In eo situm erat opidum *Rosburg*, quod Otto M. Imp. anno DCCCCLXV. V Kal. Apriles, & deinde Otto II. Ecclesiæ Magdeburgensi donarunt & ratum habuit Otto III. anno DCCCCXCII. V Kal. Sept. sub dato, Magdeburg.

PAGUS SIUSLI. Dithmarus Merseburgensis lib. 3. at lib. 7. vocat *Sinsili*. Hodie nominant die Pflege umb Seselitz

PAGI SLAVORUM. Adamus Bremensis *Slavaniam* (sic enim scribit) in duodeviginti pagos dispertitam fuisse refert lib. 2. cap. 18. quæ ex eo repetit Helmoldus lib. 1. cap. 14. Sunt autem isti, ut conjicio. Pagus *Erizanorum, Circipanorum, Doxanorum, Herulorum* sive *Heveldorum*, Dithmaro *Hevelunorum provincia, Kizinorum, Leubusiorum, Linonum*, sive *Lingonum*, (Paullus Æmylius putat *Livonos* fuisse) *Obotritorum*, sive *Rinduriorum*, qui alio nomine *Tolenzi* (vide Dithmarum) *Rugianorum*, sive *Ranorum, Stoderanorum, VVagirorum, VVarnavorum, VVilinorum, VVilzorum*. De quibus vide Adamum Bremen-

mensem lib. 1. Helmoldum lib. 1. cap. 2. Reinerum Reineccium in appendice ad Helmoldum & Petrum Albinum Chronici Misnensis pag. 371.

Pagus Stormariorum. Adamus Bremensis lib. 1. tres facit Transalbinorum populus, *Thietmarsgoos, Holzatos* & *Stormarios* reliquis nobiliores, qui nomen habeant à seditionibus, quibus agitentur: die Stormen. Rectius fortasse Crancius, loci appellationem deducens à flumine *Stora*, qui Reginoni & Adamo *Sturia*. In hoc pago fuit castellum *Hamaburg*, nomen habens non à Iove Hammone, neque ab Hama pugile, vel pernis salitis & fumo siccatis, sed à silva vicina Hamme dicta, teste Adamo Thracigero Chronico Hamburg. MS.

Pagus Sturma. Ita habet Karoli M. diploma fundationis Episcopæ Verdensis, datum anno DCCXXCVI. In diplomate alio ejusdem Imperatoris apud Henricum VVolterum Chronico Bremensi MS. nominatur *Sturmi*. Literæ fundationis Ecclesiæ Bremensis, recitatæ ab Adamo Bremensi, repetuntur ab Alberto Stadensi, pagumq; hunc vocant *Sturmgoë*. Otto III Imp. Brunoni Episcopo Verdensi *concessit jus venandi sub limes feras, hoc est, cervos & cervas, in PAGO STURMIO*. Literæ datæ sunt anno DCCCCLXXXV. Vide Crancium Metrop. lib. 3. cap. 36. Cum Saxones contra fidem datum rebellassent, ac Legatos regios, Adalgisum & Geilonem, contra Slavos cũ exercitu ituros, trucidassent: Karolus M. cæsorum manibus parentaturus, quater mille & quingentos Saxones in pago Sturmio, ad Alleræ & Visurgis confluentem capite truncari jussit. In hoc pago fuit *Ferdium*, ut est in diplomate Karolino, *Phardum* scribit Henricus VVolterus, super Alleram fl. ubi Karolus M. Episcopatum instituit. Francici Annales ad annum DCCLXXXII nominant *Ferdi*; VVernerus Rolevincius *Fardan*: hodie Vehrden.

Pagus Suavia. Habetur in diplomate Ludovici Pij Imp. à Guilhelmo Budæo edito: diciturque inclusus fuisse terminis diœcesis Halberstadensis.

Pagus Sudergouve Indicatur ab Auctore vitæ D. Ludgeri lib. I. cap. 24. *Villa est* inquit, *in Saxonia in pago SUDERGOE, ALUA nuncupatur*.

Pagus Susle. Nominatur ab Helmoldo Bozoviensi lib. 1. cap. 58. 65. & 84. Incolæ in Annal. Francorum Pithœanis pag. 74. & 89. vocantur *Suuli*.

PAGVS SVTTHVRINGEN. Fit ejus mentio in privilegio Ottonis M. dato Ecclesiæ Gandersheimensi anno DCCCCXLVI, cum Comitatum teneret Otto Comes. Nominantur in eo *Erich, Donstede & Blisterstorp.* In alio Ottonis II Imp. diplomate ad annum DCCCCXCIII in quo *concenobium* inter Adalbertum Adalbertum Archiepiscopũ Magdeburgensem & VVerinharium Abbatem Fuldensem, in præsentia patris sui factum, confirmat, nominatur *Thuringia Australis,* tribuunturque ei *Dungede, Donnaha, Brohem, Ostruilinge, Cruciburg, VVestruilinge, Thachebechi, VValeslebi, Cameri, Heilinge, Rockestadt, Saltzung.* Vide Brovverum in Antiquit. Fuldens. lib. 3. cap. 12. Georg. Torquatus existimat ad Sutthuringam pertinuisse totam regionem quæ hodie Thuringia appellatur.

T.

PAGVS THETMARSGOE. Memoratur in literis Adelberti Archiepiscopi Bremensis ad annum MLXX. Incolæ Adamo Bremensi *Thiatmarsgoi* dicuntur lib. 2. cap. 8. Helmoldo Buzoviensi lib. 1. cap. 25. *Thetmarchy,* hodie Die Ditmarschen

PAGVS TRANSALBIANI. Inculcantur ab Annalibus Francicis ad annum DCCCIV. Meminit eorum Auctor vitæ Karoli M. à Pithœo editus pag. 266. ubi scribitur donatos esse *Abodritis.* Meminit etiam Regino ad annum DCCCIIX, sed nomina omittuntur. *Thetmarsorum, Holsatorum & Stormariorum* pagos fuisse nullus dubito. Tota ista regio ab Adamo Bremensi Hist. Eccles. lib. 4. cap. 31. & Helmoldo lib 1 cap. 6 & 26, *Nordallingi;* incolæ ab Auctore vitæ Karoli M *Nordleudi* nominantur.

PAGVS TRIENE, in Comitatu Hermanni Comitis. In eo fuit situm monasterium *Liesbornense,* quod Henricus II Imp. Thiederico Episcopo Monasteriensi donavit. Actum Goslariæ anno MXIX. Auctor vitæ S. Meinvverci cap. 58

V.

PAGVS VALIM. Nominatur in privilegio à Conrado Salico Imp. Ecclesiæ Mindensi dato ad annum MXXV.

VV.

PAGVS VVANGE. Hujus meminit Scholiastes Adami Bremensis. Adrianus Papa vocat *VVangiam,* veteres membranæ *VVangriam* Hodie Wangerland/ pars Dynastiæ Ieverensis in orientali Frisia.

PAGVS WESSEGA. Donatur ab Henrico Claud. Imp Meinvverco Episcopo Padibornensi, anno MXIX. Fuit situs in Comitatu Fri-

therici Comitis. Monasterium monialium *Schelдice*, fundatum anno regni Ottonis M. V. fuit in eodem pago. Auctor vitæ Meinvverci cap. 59.

PAGVS VVESTERGOE. Memoratur in historia S. Bonifacij, Frisiorum Apostoli. Pagos *Ostergoë* & *VVestergoë* diremit fluvius *Borne*, ut habet Cornelius Kempensis lib. 2. rerum Frisicar. Opida hujus pagi fuere *Stauria, Sneca, Bolsvverdia, Franekera* &c. Lotharius Saxo VVestergoviorum Comitatum Ecclesiæ Trajectensi ademptum, Comitatui Hollandiæ adjecit.

PAGVS VVESTFALORVM. Indicatur in vita S. Auctoris Trevirensis. In *pago VVestvala* fuit Abbatia *Fredena*, sita in Comitatu Gerardi Comitis, quam Henricus IV. Imp. Lienaro Episcopo Hamburgensi dono dedit. In *Pago VVestfala* Saxonico curtis fuit regia *Driburc*. Verum an hi duo pagi unus idemque fuerint, haut dixero. In VVestvalia, regione vasta & porrecta puto pagos fuisse multos: ex quibus aliquot intra Rhenum & Visurgim, à Carolo M. vastatos, recenset Auctor Annalium Francicorum, auctore Astronomo, ad annum DCCLXXXIV. Vide auctorem vitæ Meinvverci cap. 84.

PAGVS VVETTIKA, in Comitatu VVidekindi Comitis. In eo fuit prædium *Sannabiki*, quod Imp. Conradus II Meinvverco Episcopo Padibornensi contulit. In eodem fuerunt aliquot villæ quas recenset Auctor vitæ D. Meinvverci cap. 107.

PAGVS VVIMODI. Nominatur ab Henrico IV Imp. in literis ad annum MLXII. Indict. I. In eo fuit *Liestmuona*, curtis in comitatu Vdonis Marchionis. Meminit ejusdem Karolus M. in privilegio Episcopæ Bremensis, ubi scribitur *VVigmodia*. Sita fuit in eo *Bremon*, hodie *Brema*, super VVirraham fl. Auctor vitæ Caroli M. *VVimuados* in Franciam abductos inculcat; fortassis VVimodię incolas.

PAGVS VVINNOTI. Mentio ejus fit in diplomate Ottonis M. dato anno DCCCCXXXVII. Id Octobr. in quo scribitur situs fuisse in Comitatu VVichmanni. In pago hoc fuere *Vrlaha, Otinga, Morlsani, Ligzize, Heldun*.

PAGVS VVOLTZATORVM. Inculcatur in diplomate Philippi Imp. donantis Ecclesiæ Bremensi Comitatum Stadensem, anno regni sui secundo. Diploma ipsum est apud Hermannum Hamelmannum præfat in Chronicon Oldenburgense. *VValzatiam* inter cæteras provincias tenuisse Vdonem Marchionem testatur Chronicon Rastedense MS. Fuit in hoc pago burgvvardium *Stadi*, ut est apud Dithmarum lib. 4.

BAR-

BARDEVICUM,

Sive

Hiſtoria urbis iſtius, omnium Germanicarum antiquiſſimæ: à quibus & quando condita: quas experta mutationes & qua demum occaſione funditus ſit deleta:

Congeſta ex probatisſimis ſcriptoribus, antiquis & recentibus, editis & MSC. adhibitis veterum Impp. Principumque diplomatis & literis:

opera & ſtudio

HENRICI MEIBOMII.

P. Orosius lib. VI. cap. XI.

Multum ad coërcendam audaciam valet propositum punitionis exemplum, cùm, ipsa miseri persona viventis, & ad recordationem admonet conscios, & ad sciscitationem cogit ignaros. *Repetit eadem Paulus Aquilegiensis Diaconus historiæ Miscellæ lib. VI.*

GEOR-

GEORGIO ET CONRADO,
à DASSEL,
LUDOLFI filijs: GEORGI
nepotibus,

patricijs Luneburgensibus,

juvenibus lectissimis, ornatissimis,

amicis meis carissimis

S. P. D.

Est mihi animus, juvenes humanissimi, post multos eâdem in re hactenus occupatos, quorum laudi nihil derogo, institutum valde probo, antiquitates Saxonicas, & investigare & illustrare: si non felicius, saltem scrupulosius: cum videam, quod & alibi dixi, unius atq; alterius scriptoris fidem apud recentiores tanti esse, ut in eâ securi acquiescant, non inquirentes amplius, rectène ac verè omnia dicta sint, an verò sæpiusculè aberratum. Ut & ipse mihi, & de me reipublicæ literariæ policeri possim aliquid, faciunt, quæ ad manus sunt adminicula minimè reticenda. Exiere in publicum intra annos XXXV. Antiquitatum Germanicarum Scriptores veteres non pauci, pluresq; evulgantur quotidie: cum quibus etiam ex suo penu aliquid conjungent illi, quos μὴ ἐκδιδομένους auctores asservare, & colligere diligenter, novimus. Editæ sunt etiam farragines aliquot veterum diplomatum Imperialium, traditionumq; quas vocant: bullarum item Papalium, veritatem historicam curiosè investiganti permultum profuturæ. His diligenter lectis, interque

se eum curâ collatis, animadverti infinita ab alijs, vel oscitanter prætermissa, vel minus rectè tradita, non sine veritatis, tum jactura, tum obscuratione. Contigit etiam mihi (quod in aliquâ felicitatis parte colloco) facultas inspiciendi complurium monasteriorum, partim archiva, partim libros copiales, quos vocant: in quibus inveni Imperatorum nostrorum diplomata, Paparum bullas, Episcoporum, Principum, Comitum, nobiliumq́ literas: instrumenta donationum & contractuum innumerabilia: quæ me omnia de multis, alibi non obviis, præclare erudierunt. His adminiculis fretus, iter, quod dixi, ingressus sum; editisq́ proximo anno IRMINSULA *meâ & Originibus Marcanis* LEVOLDI NORTHOVI, *viri nobilis, notis nostris illustratis, in aliis ejusdem generis publicandis concinnandisq́ nunc sum totus. Dabo autem, σὺν θεῷ, aliquot rerum Saxonicarum Scriptores, hactenus invisos & ineditos: dabo nonnulla historica proprio marte composita; in quibus erunt vita & res gestæ* HENRICI LEONIS, *filijq́ cognominis* PALATINI *Rheni, ac nepotis* OTTONIS, *primi* Brunsuicensium *& Luneburgensium Ducis. Quæ omnia ex editis manuq́ scriptis auctoribus, immane quantum inter se, quà notationem temporis, quà res ipsas & gesta, dissidentibus, collecta, maturo cum judicio ad veritatem infallibilem reduxi, tabulisq́ & instrumentis, quæ inspexi, confirmavi. Ejus generis sequentur familiæ nonnullæ veteres, in quibus enucleandis à recentioribus* plus vice simplici, *ut Lyricus inquit, hallucinatum:* BILLINGANA, *nimirum,* STADENSIS, VVALBECENSIS, & SOMMERSE-

BVR-

BURGIA: quæ temporibus OTTONUM *&* HENRICORUM, *affinitate Imperatorum, rebusq́ pro patriâ fortiter feliciterq́ gestis, longe lateq́ inclaruerunt. Non dicam omnia, quæ meditor, multa enim sunt: maloq́ prodire illa inopinata, quam ut diu exspectentur promissa.* BARDEVICUM, *urbem olim nobilem, Saxoniæ lumen, hoc tempore extrudere placuit. Cui verò, dicat aliquis, bono? Certè non pauca habet historia ista, etsi brevis (longiorem enim, tum penuria, tum negligentia scriptorum, qui nostra posteritati tradiderunt, esse non sinunt) quæ nos omnes commonefacere & erudire possunt de multis, tum jucundis, tum utilibus rebus. Ab antiquitate urbi huic honos & splendor: ab emporio fuere opes: magnum præterea adeo maturè, & quidem cum incunabulis propagationis, Christianam religionem agnovisse, nisi tam salutare beneficium sceleratè fuisset repudiatum. Cujus detestandi contemtûs pœna etsi dilata, non tamen sublata fuit. Christianismus denuo introductus, & experta inter ancipites rerum vicissitudines divina protectio, cùm animos civium ad modestiam & gratitudinem inflectere potuisset, certè debuisset, sine fructu abiit, plerisq́ non in Deum felicitatis humanæ auctorem, ejusq́ se vera mandata, sed in illud, quod vel arrideret, vel ex usu videretur, oculos intendentibus: unde necessariò secuta animadversio divina: talis quidem, ut, videntes eam, cohorruerint, qui nunc audiant cognoscantq́, aures illis tinniant, ut Prophetæ verbis utar. Operam hanc nostram Bardevico impensam, alicujus certè industriæ & laboris, vobis, juvenes ingenui, dedicare & inscribere volui, cum sciam*

amare vos historiarum studium, seduloq; conjungere cum iuris civilis cognitione, praeeunte fideliter vobis nobili & erudito viro, IOANNE à LANGEN, populari meo percaro, praeceptore vestro solertissimo, qui & ipse antiquitatis notitiam plurimum amat & suspicit. Eadem mens hospiti vestro V. CL. HENRICO ANDREAE CRANIO, ICto, academiae hujus professori ordinario, collegae & amico meo conjunctissimo: quantum enim memoriae rerum gestarum ille tribuat, quomodoq; ad usum transferat, id ostendit scriptis suis, flosculis hujusmodi respersis. Horum auctoritate moti, iuvenes ornatissimi, quod incoasse vos dixi, feliciter pertexite iter, operae pretium reperturi suo loco & tempore. Possem & aliam dedicationis caussam adferre, nimirum quod vobis avita & hereditaria bona eo in loco, ex quo cominus funestum cadaver, & campos, ubi Bardevicum fuit, quotidie conspicitis. Quod igitur, non temerè, nec sine caussâ gravi, à vestri amante proficiscitur munus, id benevolo animo accipite, vestrisq; patruis, GEORGIO & FRANCISCO, quos honoris caussa nomino, viris reverenda dignitate & excellenti doctrinae eruditione conspicuis, aliisq; ex pervetusta honorataq; familia vestra, patriae antiquitatis amantibus, Bardevicum nostrum, imo etiam vestrum, legendum cognoscendumq; transmittite, simulq; diu & feliciter valete. Dabam Helmestadii in academia Iulia idibus Martii anno cIɔ Iɔc XIII. qui est ab exciso Bardevico CCCCXXIV.

HENRICVS MEIBOMIVS.

HISTO-

HISTORIA
Bardevici, urbis antiquæ & nobilis.

BArdevicum, sive Bardorum vicus, Annalibus Francicis *Bardenvvig*: Poëtæ anonymo in vitâ Karoli M. & Ansegiso in Constitut. Karoli M. lib. III. cap. VI. *Bardenvvich*: Brunoni de bello Saxonico *Bardanvvick*: Arnoldo Lubecensi & Alberto Stadensi *Bardevvig*: & alibi *vicus Bardorum*. Chronico Bremensi *Bardevvich*: Slavico *Bardevvik*: Irenico Exegef. lib. XII. quem sequitur Iacobus Spigelius commentario ad XII. lib. Austriados Bartholini, *Bardejugum*. Nicolao Marschalco, Comment. ad Annales Herulorum *Bardorum vicus* & *Bardero polis* Henrico Basseo *Bardonis vicus*. Si vera est fama, antiquissima fuit urbs totius Septentrionalis Germaniæ, sita super fl. *Lunevv*, qui nunc *Elmenovv*, ut ex Hermanni Corneri Chron. universali MS. notat Henningesius præfat. in opus Geneal. Saxonic. Etenim Româ vetustiorem faciunt: Buntingus primâ parte Chronici Brunsvicensis annis *centum* & *duobus*: Eberus in Calendario, & Abrahamus Saurius in Diario, *ducentis*: Spangenbergius Chronici Saxonici cap. XXIII. *ducentis quadraginta duobus*: alij *ducentis triginta quinq*. Qui posteriori subscribunt sententiæ innituntur testimonio versuum leoninorum, qui hodieque leguntur inscripti foribus Basilicæ cathedralis in ruderibus Bardevici. Recitantur à Casparo Bruschio in catalogo Episcoporum Verdensium: repetitque eosdem Lucas Lossius in farragine epitaphiorum in inferiori Saxoniâ exstantium, qui liber prodijt Vitebergæ anno MDXXC. Sunt autem hi:

Abram dum natus mox Treveris incipit ortus.
Hinc annis Barduic mille, sex X. quoq, quinq.

Post

Post Barduic Româ duo C. cum quinq; triginta.
M.C. post Nat. junctis octoginta novemq;
Dum Brunsuicensis Dux Henricus Leo dictus
Simonis in festo Barduic subvertit ab alto.

Si fidem merentur versus, urbs condita est anno mundi MMDCCCLXXXV. ante natum Christum DCCCCXC. anno post distractionem regni Salomonis XIV.

Nomen urbs accepit non à *Bardone* fundatore, ut Crancius opinatur Saxoniæ lib. VII. cap. II. & Vandaliæ lib. III. cap. VI. cui conjecturæ subscribit Adrianus Romanus in theatro urbium, Brunsuicensium aduocatus in der Stadts Kurtzer abfertigung pag. 170. & Buntingus citato loco: ubi, nescio quâ licentiâ, Bardonem istum *regem* facit: nec à Longobardis, ut putat Beatus Rhenanus lib. II. sed à *Bardis* gente Boreali. Crancius quidem, locis adductis, Bardorum gentis nomen apud nullum se scriptorem legisse scribit, Latinos tantum Bardos vocare barbaros, & omnem indisciplinatum & barbarum populum. At venire in mentem ipsi debuisset, minimè eos præteriri, tum ab Adamo Bremense, tum ab Helmoldo, quos equidem ipse legit, peneque de verbo ad verbum exscripsit, licet nominare vix dignetur. Adamus Bremensis lib. I. cap. III. mentione quamvis obscurâ, indicat Bardos: disertiùs expressiusque Helmoldus lib. I. cap. XVI. XXV. & XXVI. ubi *Stormariis, Holsatis, & Dytmarsis* confines, *Magnoq; Billingano* subjecti fuisse commemorantur. Helmoldi verba ipse Crancius repetit Saxon. lib. V. cap. XXVII. Vandaliæ lib. III. cap. VII. IX. & XX. eoque minus ignorare Bardos potuit. Quid, quod vetus interpres Juvenalis, editus à Pithoeo, ad Satyr. XVI. *Bardos* vocat *gentem Galliæ*? comprehensos autem Gallorum appellatione etiam Germanos nemo doctus ignorat.

Bardo-

Bardorum nomen merè est Germanicum, apud Saxones nec-dum desitum, ductum à qualitate loci. Est autem Saxonibus, tam Cis-Veseranis, quam Trans-Veseranis vocabulum Börde/ *locus planus & uber*, ut Ioannes Neovvaldius IC. commentario de antiquis VVestvaliæ colonis. Peucerus lib. IV. Chron. Cario-Philippici, edit. Francofurt. intelligit agrum oneratum de proventu annuo frugum, ac velut horreum cæterarum partium aridiorum. Suffragatur utrique Spangenbergius Chron. Saxon. cap. XIII. istis verbis: Börde das ist ein gar fruchtbares tregtiges Land/ das Getreidig und Einkommend genug tregt oder böret. Nec dissentit Christophorus Entzelius in Chronico veteris Marchiæ, ubi hæc habet: Es ist aber die Börde auff alt Deutsch/ quasi horreum, das es ein fruchtbar Land von Korn ist.

Hæc non improbo: nam & hodie usitatum, ut quæ reliquis fertiliora sunt loca, hoc nomine veniant. Atque inde Bördæ Magdeburgicæ, una *alta*, die Hohebörde/ altera *sylvatica*, die Holtzbörde. Et secundum has Börda Halberstadiana, Göttingensis & Embecensis, cis Visurgim: ultra eum, Susatensis & Wendena in agro Lippiensi. Dissentio autem in hoc, quòd Neovvaldius & Peucerus vocabulum Börde *ab onere proventuum* quasi Bürde: Spangenbergius à *ferendis frugibus*, Saxonicè Bören/ profluxisse velint, cum hæc ipsa agris fertilibus communia sint cum minus fœcundis: nam & hi ferunt, quantum natura dedit, & sua quoque sentiunt onera.

Conjectura verò mea hæc est, Börde nihil esse aliud, quàm Bawerde/ *terra cultui apta*: vel si mavis Bawart/ nam & hodie nobis arthafftig Land/ est *terra frumentaria*. Eodem modo Garde/ latinè hortus, Saxonibus est idem quod Garerde/ *terra stercorata*, sive pingue facta: sive Garart. Vocabulum autem trisyllabum Bawerde/ vel si id magis placet, Bawörder/ per synæresin factum est dissyllabum Börde/ eodem

R modo,

modo, quo Bawer / agricola, ex dissyllabo abijt in monosyllabum Bawr: & ex illo compositum Naherbawer sive Nacherbawer / hoc est, colonus vicinus, fit Nachbawr. Quemadmodum igitur palustrium regionum incolæ nominati sunt à paludibus Brôker / Romanis *Bructeri*: pascuorum locorum habitatores Marscher / ijsdem Romanis *Marsi*: sic à fundis feracibus nomen sumsere die Brôder / Latinis Bardi: sicuti *Angrivarij* etiam ab agris (nos Anger appellamus) antiquitus dicti sunt. Est autem ager Bardevicensis jucundus & fructuosus, cum in viciniâ admodum macer sit & exilis.

Ab his verò Bardis, agrorum cultoribus, segrego omnino *Bardos* Gallicos, quorum meminere Lucanus lib. I. Pharsaliæ, Festus Pompeius, Strabo lib. XIIII. Ammianus Marcellinus lib. XV. Fuere illi, ut Strabo, *ὑμνηταὶ καὶ ποιηταί*: quæ eadem habent Diodorus Siculus & Athenæus lib. VI. Nomen adepti sunt à *veneratione*, quâ digni habiti, quasi dicas die Werden / quale nostrum lieb und werth. Litera autem E. mutata est in A more Septentrionalibus Saxonibus familiari, quibus Werder / *insula*, pronunciatur Warder / & pro Kercke templum, Vercken / porcellus, Wercken / operari, dicitur Karcke / Varcken / Warcken / ꝛc. VV. verò Germanicum mutatum est in B. Latinum à scriptoribus, uti in multis alijs vocabulis usu venit, qualia sunt Degenwert / Hernwert / Siegewert.

A *Bardis* igitur, nosttatibus colonis, nomen suum habet Bardovicum. *VVic* vero vocabulum *πολύσημον* est & plura significat. Alfricus Anglo Saxo, scriptor pervetustus, quem laudat Guil. Camdenus in sua Britannia pag. cccɪv, vult esse *castellum*. Ejus sententiam sequi videtur Nicolaus Marschalcus Thurius Comm. ad Annales Herulorum, ubi ait: Wic in alter Sachsischer sprach heist ein Fleck oder Stättlein / darinnen sich die Bürger vnd einwohner des Landes vor gewalt enthalten. Registrum, ut vocant, vocabulorum veterum, Iuri

Saxo-

Saxonico subnexum *VVic* sive *VVeich* interpretatur *Iurisdictionem:* Weich heist so viel als Iurisdictio Gericht oder Gebiet: Weichbild heist so viel/ als weit ein Gebit ümb eine Stad ist. Huc pertinere credas, quod in literis antiquis *VVicmanni* dicuntur cives honoratiores, & qui sunt in senatu. Hinc *VVicgrave*, judex in vico. Crancius Saxoniæ lib. II. cap. XXX. & Metrop. lib. II. cap. III. affirmat *VVic* dici sinum excurrentis fluvij, aut maris. Hanc sententiam persuasit Beato Rhenano & Andreæ Althamero, viris doctissimis: nam hic commentario ad Tacitum, ille libro III. rerum Germanicarum idem inculcant, infinitosque ex recentioribus habent suffragatores.

Fridericus Lindenbrogius *VVic*, *lucum* vult esse, & vocabulum Wicgreve idem esse scribit, quod Græcis ἀλσοφύλαξ, custos luci: à cujus opinione non abludit Hier. Henningesius qui in præfat. operis Geneal. pag. XI. *VVic* interpretatur *asylum*: asyla enim plerumque in locis & lucis alijs sacris. Vide etiam Georg. Torquatum Chron. Magdeb. MS. lib. III. cap. VI.

Hadrianus demum Iunius per *VVic* intelligit stationem securam ubi conjunctioribus ædificijs habitatur: qualis statio Latinis *vicus* dicitur, quem ICti dicunt esse partem urbis quæ ex multiplicatis domibus constat, quemadmodum deinde ex multiplicatis vicis fit urbs. Neque absurde fieri credam, *VVic* nostrum à Latino *vicus* dici, ut alia apud nos vocabula plurima, quæ Latinam originem sapiunt. Ita *vinum* Saxonibus nostris est Wijn, *flamma* Flamme/ *porta* Porte/ *furca* Forcke/ *puteus* Putte/ *palus, pali* Pahl/ *palus, paludis* Poel/ *fenestra* Fenster/ *corbis* Korb/ *cavea* Kove/ *axis* asse/ *tectum* Dack/ *murus* Müre/ *mus* Muß/ *saccus* Sack/ *vas* Vaß/ *semen* Samen/ *ager* Acker/ *gramen* Grammen/ *facula* Fackel/ *macula* mackel/ *nomen* Nahm/ *catus* Katte/ *herus* Herr/ *caput* Kop/ *pix* pick/ *pilum* pijll/ *sigillum* Siegell/ *lyra* Lyre/ *par* Paar/ *vannus* Wanne/ *ventus*

Wind/ *nemo* niemand/ *pœna* Pyn/ *rapa* Röve/ *caulis* Kohl/ *piscis* Fisch/ *auris* Ohr/ *calix* Kelck/ *postis* Post/ *pila* Ball/ *fluvius* Fluet/ *verus* war/ *mica* Micke/ *sicula* Sichell/ *novus* New/ *turris* Thurm/ *limus* Lehm / *vermis* Worm/ *rectus* Recht/ *rota* Radt/ *templum* Tempel/ *festum* Fest/ *pes* Fus/ *pullus* Füllen/ *tenuis* Dünne/ *lassus* Laß/ *vallum* Wall/ *scrinium* Schryn/ *caseus* Kese/ *cella* Keller/ *plaga* Plage/ *calx* Kalck/ *vellus* Wülle/ *vastus* Woest/ *macer* Mager/ *crassus* Groß/ *clarus* Klar/ *flagellum* Flegell/ *iugum* Joch/ *bucca* Bacce. Ita *scabere*, Schabben/ Schaben/ *vadare* Waden/ *regere* Regeren / *frigere* Freren/ *durare* Düren / *rigare* Regen / *domare* Temen / *tonare* Tonneren/ *vacillare* Wackelen/ *monere* Manen/ & plurima alia. Ita etiam non dubitarim à *vella* (ita veteres vocabant *villam*, quasi *vehillam*, à convehendis frugibus. ut vult Varro lib. 1. de re rust. cap. 11.) ortum esse vocabulum Welle/ significans domum, vel modicam domorum congeriem, ut Rotwelle in agro Mansfeldico: Cowelle cujus mentio in literis monasterij Mariævallensis. Pleniore idem sono enunciatur Wedel/ quo nomine est opidulum in Holsatiâ, & pagus prope Riddagshusium. Composita inde passim invenias, Norchwedel & Steinwedel in agro Luneburgico: Lavvenvvedel arx quam ex Olsburgo condidit Henricus Mirabilis teste Onufrio Meienrose. Soltwedel in veteri Marchiâ Brandenburgica: Langewedel in diœcesi Bremensi. V. verò geminatum remansit ex veterum pronunciatione, quod indicant similia vocabula, puta, vacillo, vallum, vanus, vannus, vastus, verbum, vermis, verum, vespa, vidua, quæ nobis, wackeln/ wall/ wahn/ wanne/ wöste/ werb / worm / war / wespe/ witwe.

Composita à Wic etiam invenias passim, ut *Carvvic* Cattorum colonia, & *Nortvvic* apud Batavos: *VVarvvic* & *Norvvic* & *Harevvich* in Saxoniâ Transmarinâ sive Angliâ: *Holtvvic* & *Guttersvvick* in Westvaliâ: *Cosvvic* ad Albim non procul à Wite-

Witebergâ: *Slesvvic* ad lacum Sliam in Holsatiâ: *Ostervvic* in dioecesi Halberstadensi: & *Brunesvvic* in viciniâ nostrâ.

A Bardevico, Bardorum castello, sive propugnaculo, sive vico, nomen accepit totus iste pagus sive tractus, à quo circum circa ambitur & quasi includitur. Annales Francici Adelmo auctore ad annum DCCXXCIV. *Bardengavv* Poëta anonymus *Berdango*: diploma Ludovici secundi Imp. datum Francofurti *Bardengoa*: Bulla Nicolai I. Papæ data anno DCCCLXIV. *Berdangoa*: Regino *Bardenguni*: monachus Egolismensis in vitâ Karoli M. *Bardingovin* appellat. Rectissimè omnium annales: nam Gow antiquis Germanis *pagum*, id est, *tractum seu districtum unius ditionis seu regionem significavit*, quod alibi pluribus docuimus.

Ignotum mansit Bardevicum tam Romanis, quàm Græcis scriptoribus, sicut omnis penè Germania, exceptis quæ à Cæsare, Paterculo, Tacito, Strabone, Ptolemæo, alijsque paucissimis strictim breviterq; commemorantur. Solus Rhenanus, nescio cujus fide, rerum German. lib. I. auctor est, *Tiberio* imperante, *Longobardos* prope Bardevicum sedes habuisse: quam assertionem in medio relinquimus. Vero tamen simile est, floruisse Bardevicum cum *Julino* & *VVinetâ* urbibus nobilissimis. Quarum cùm hæc intestinis odijs, civilibusque dissidijs exhausta defecisset: illa à *Danis* expugnata deletaque esset, superstes utique Bardevicum emporium fuit continentis longe celeberrimum.

Innotuit demum annalibus per occasionem Evangelij de filio Dei Christo Iesu ibi prædicati, minime tamen admissi. Testis est Henricus Hervordiensis, monachus Dominicanus San Paullinæ ædis apud Mindenses. Verba ejus lib. de factis memorabilibus, hæc sunt: *Duo ex LXXII. Christi discipulis missi sunt per B. Petrum Apostolum in Teutoniam verbum Dei prædicaturi: unus quidem in Treverim super fl. Mosellam, scilicet Maternus:*

ternus: alius autem, scilicet Ægistus, *in* Bardevv. *super fl. Elmenovv, cum* Mariano, *qui fuit archidiaconus ejus, & in Bardevvic coronam martyrij perceperunt, & adhuc eorum corpora requiescunt, AEgisti quidem in loco ignoto in majori altari, ad S. Petrum ibidem.* Hactenus ille. Repetuntur hæc in Historia Magdeb. centuria I. lib. II. cap. II. & x. & inde à Michaële Vranio, tractatu de LXXII discipulis Christi. Meminere etiam Petrus Albinus titulo XI. Chronici Misnensis & Erpoldus Lindenbrogius Historia Caroli Magni. Nicolaus Marschalcus cædis autores facit *Thurios*, qui ipsi ijdem cum *Thuringis*, exemplo fortassis Donati Acciaioli, qui vitam Caroli M. descripsit, & Thuringos, Thurios vocat. Crancius Metrop. lib. I. cap. I. unum ex D. Petri discipulis Bardovicum venisse memorat, sed nec nominat ipsum, nec de martyrio verbum facit ullum. Addit tamen Evangelistæ transmissi λείψανα à rege Danorum *Kanuto*, qui Henrico Leoni socero Bardevicum expugnanti præsto fuerit, exorata, & tanquam nobilem laboriosæ expeditionis mercedem, in Daniam transmissa. In his omnibus famam se ait secutum, cum in annalibus nihil tale inveniatur. Crancio assentitur Andreas Vellejus Danus. Wernerus Rolevingius parte I. cap. III. de laude veteris Saxoniæ, de Ægisto eadem refert cum Hervordiense: à Crancio dissidet, scribens suo tempore, anno scilicet MCCCCLXXXIIX. adhuc Bardevici demonstratas fuisse Ægisti reliquias. Divo vero Mariano sepulchrum exscindi fecisse Brunonem, Episcopum Verdensis ecclesiæ, refert Crancius Metrop. lib. III. cap. XXXVI. Vide etiam Suffridi Petri librum de scriptorib. Frisiæ Decadis II. cap. IV.

A Karolo M. Bardevicum *sede Episcopali* donatum testatur Chronicon Mindense & prolixè Hermannus Bothe, qui etiam vult primum ejus loci Episcopum fuisse S. Svvibertum, & à Karolo ædem ibi in honorem SS. Petri & Paulli constru-

constructam. Crancius hoc non tam affirmat, quàm conjicit: nam Saxoniæ lib. II. cap. XVI. *Kinitude*, quod in Metropoli lib. I. cap. VI. & XXIX. *Konende* dicitur, primam fuisse cathedræ Verdensis sedem affirmat, eumque locum Bardevicum esse suspicatur. Sed hanc Crancij sententiam, etsi suffragatores habeat Munsterum Bruschium, & Peucerum, refutat diploma Karoli M. quod exstat in Chronico Bremensi MS. Henrici Wolteri. Verba Karoli hæc sunt: *Terram autem illorum (*Saxonum*) secundum antiquum Romanorum morem in provincias redigentes, & in Episcopatus certo termino distribuentes, quandam Aquilonarem illius partem Domino nostro Jesu Christo, & sanctissimæ ejus genitrici obtulimus, & in loco* Phardum *vocato, super Alleram fluvium in pago, qui dicitur* Sturmi, *ecclesiam & cathedram Episcopalem statuimus, & Maguncienfis ecclesiæ Episcopatui, interventu Lullonis illius Metropolis ecclesiæ Episcopi, eam subiecimus &c.* Vide etiam pagos nostros Saxonicos.

Hoc constat ex historicis, durante bello Saxonico, Karolum Magnum aliquoties Bardevicum intervisisse. Venit illuc anno DCCLXXXV. stipatus non paucis ex primoribus regni. Hi *VVitichindo* & *Albioni* belli Saxonici ducibus spem fecerunt veniæ rebellionis & contumaciæ, modò Karolo, principi naturâ miti moderatoque, supplices fierent, quodque unum ab eis postulasset hactenus, neque etiamnum denegari sibi vellet, obsequenter præstarent, nempe ut nefandam maiorum religionem abijcerent, siquidem hoc ad salutem ipsorum æternam pertineat, utrique verò genti, tam Francicæ, quam Saxonicæ, pacis & tranquillitatis optatissimæ spem ostendat indubitatam. Iidem proceres Karolo hortatores fuere, mitteret ex proceribus aliquem ad Saxones, indicatum quid fieri vellet: non hîc periclitari libertatem, cujus vindices se profiteantur: nihil hujus metuendum: quæri ipsis

ipsis summum bonum. quod mortalibus evenire possit, nempe ut veri Dei agnitione imbuti, de æternâ beatitudine acquirendâ certi reddantur: deinde felicitate, quæ ab animæ salute proxima est, pace videlicet, cum vicinis perfruantur securâ inviolataque. Probavit consilium Karolus, missoque *Amalvvino* aulico cum obsidibus, principes, rebelles hactenus, Attiniacum in Franciam evocavit. Quo in loco, & in religione Christianâ fideliter instituti, & sacrâ baptismatis undâ abluti sunt. Bardevici degentem Karolum salutarunt, quotquot ante quinquennium, in viculo præfecturæ Sladensis in Ducatu Brunsvicensi, *Orheim*, *Orbem*, sive *Horm* dicto (Georg. Torquatus Chron. Magdeburg. MSC. lib. III. cap. I. parum rectè intelligit de *Hornburgo*) in ripâ fluminis *Obacri*, qui nobis est *Ocris*, sive *Oucer*, baptismum acceperant. Erant illi partim pagi Bardingovij incolæ: partim ex *Nordluidis*, hoc est, populis septentrionalibus. Karolus benignè comiterque exceptos, muneribus donavit, diligenterque hortatus est, in agnitâ veritate persisterent, nec desultoria levitate novis bellis occasionem præberent.

Represserat nonnihil Saxones reliquos Witichindi & Albionis Christianismus, verùm quòd imperium Francicum, quantumvis moderatum, plane aversarentur, de rebellandi occasionibus nunquam non cogitabant: idque eò magis, quòd animadverterent, barbaras gentes Henetas, Francis confœderatas, Saxonum virtutem despicatui ducere, ipsisque servitutem exprobrare. Apud *Abodritos* (nonnulli Obodritos sive Obotritos vocant) cum imperio tum temporis erat *VVitzan*: monacho Egolismensi in vitâ Karoli M. est *VVinetzin*, Adelmo in Annalib. Francicis *VVilzan*, Sigeberto Gemblacensi *VVithan*) is militarat Karolo contra *VVilzas* Slavos, ab eo tempore in socijs regni Francici habitus. Cùm autem commoverent se, qui versus septentrionem habitant

Saxo-

Saxones, Karolus cum exercitu descendit Bardevicum, suosque fœderatos Abodritos cum copijs auxiliaribus ad esse sibi mandavit. Witzan regulus èvestigiò itineri se accingebat, comparatisque navigijs in eo erat, ut oppositum flumen Albis transmitteret. Saxones de molitionibus adventuque hostis commonefacti, in utrâque ripâ insidias instruxerant, quas ille â fronte pariter & tergo videns, cum nec recedere, neque progredi tutò posset, in ipso alveo fluminis interemtus est. Iniuriam tam atrocem, socio & amico illatam, Karolus acerbè ultus est, cæsis in hostico pugnatorum millibus XXX. ut scribit monachus Egolismensis. Idem locum, ubi Witzan occubuit, vocat *Luini*, qui annalibus Fuldensibus *Liuni*, Reginoni *Hiliuni*: estque sine dubio *Lüne* prope Luneburgum, ubi hodie illustre cœnobium monialium conditum anno MCLXXII. Cædes VVitzanis incidit in annum DCCXCV. Poëta anonymus in vita Karoli M. historiam hanc recitans *Bardonvvich*, sic enim scribit, ut suprà etiam meminimus, *nobilem vicum indigitat*. Witzanis nomen videtur à *lumine* sumtum, nam, Hieronymo Emsero teste, *VVitz* Henetâ linguâ est lumen.

Quadriennio pòst Karolus M. iterum cum fortissimorum militum exercitu Saxoniam ingressus, cohortes aliquot secum Padibonæ remanere jussit, reliquas copias tradidit filio primogenito Karolo, ut Septentrionem versus proficiscens, â Nordleudis, Francorum imperio se subjecturis, fidelitatis juramentum reciperet, simulque vicinos eorum Wiltzos & Abodritos, Francis confœderatos, ut in fide, semel datâ juratâque, firmiter permanerent, parentis nomine cohortaretur. In hac expeditone Karolus junior Bardevici aliquamdiu commoratus scribitur. Nec plura de Bardevico in historiâ Francorum invenias, nisi quòd Ansegisus, qui vixit circa annum DCCCXL. in constitutionibus Karoli M.

lib. III. cap. VI. mentionem Bardevici faciat: *De negociatoribus*, inquit, *qui partibus Slavorum & Havarorum pergunt, quousq; procedere cum suis negotijs debeant: id est, partibus Saxoniæ usq; ad* Bardenvvich, *& ad Magadeburg, & ad Erpesfurd, & ad Halaxstad, & ad Forachaim, & ad Breemberg, & ad Reginisburg & ad Lauriacum: & ut arma &* brunias, *non ducant ad venum dandum &c.* Ubi *Bruniam*, (quæ vox sæpe occurrit in Lege Salica, Lege Ripuar. & Capitulario Caroli M.) Lutherus in Etymol. Germ. interpretatur *galeam*, præsertim cristatam & cornutam: Frid. Lindenbrogius *thoracem*, sive *loricam*: Vitus Amerbachius Notis in constit. Caroli M. *domunculam*, sed male; ad arma enim & armaturam pertinet.

Ab obitu Caroli M. muta omnis historia de Bardis, eorumque vico, usque ad tempora Ottonis M. Cæsaris. Dubium tamen non est, posteris Karoli bellis civilibus mutuò se atterentibus, avitâque Francorum virtute & fortitudine quasi consenescente, Bardevicum, tum à Nordmanis, qui Dani, tum à Slavis graviter afflictum fuisse. Erant hæ gentes à religione Christianâ alienæ, sine humano civilique cultu, feris non absimiles, tantùm hoc agentes, ut vicinos rapinis & cædibus molestarent. A Slavis major semper metus & calamitas, quòd vicini: nam Abodritis Karolus eam Saxoniæ partem, quæ trans Albim est, inhabitandam dederat, veteribus colonis in Franciam migrare jussis. Protulerunt advenæ isti imperium longè lateque, quod tùm diplomata & literæ veteres, in quibus *Slavitica* villæ crebrò occurrunt (etiam apud Helmestadium, ubi Bendorfium, nobilibus Velthemijs parens, Slavitica fuisse villa indicatur) tùm sermo *Henetus* in agro Luneburgico apud colonos etiamnum usitatus, manifestum faciunt.

Luctatos tamen cum barbaris Saxonum proceres, ostendit expeditio *Brunonis* Ducis, *Henrici Aucupis* Cæsaris patrui, qui

qui pro patriâ contra Nordmanos fortiter pugnans, cum duobus Episcopis & Comitibus XII. occubuit: ostendit historia *Ottonis*, magni Ducis Saxoniæ, & demum ipsius Aucupis, qui omnes continua cum Henetis bella gerentes, universâ penè Saxoniâ eos eiecerunt.

Otto autem magnus, Aucupis & filius, & in Imperio successor, ut tam patriæ, quàm reipublicæ consuleret, Saxoniam *Aquilonialem* (sic vocatur à Bertoldo Constantiensi) ne à barbaris circumsessa sine certo esset defensore, illustri & generoso viro *Hermanno Billingo* non agricolæ sive rustici, neque pauperis alicujus ex ordine equestri hominis, ut falsò affirmatum creditumque fuit hactenus sed Comitis sive Dynastæ Saxonici filio, qui prope *Soltovium* in agro Luneburgensi possessiones avitas fortè non ita magnas habebat, primò administrandam, deinde jure hereditario fruendam possidendamque concessit, addito titulo Ducis Saxoniæ, Hic novus princeps provinciam suæ fidei commissam, & in eâ Bardevicum, continuis superiorum temporum impressionibus, bellis, & tumultibus, penè in nihilum redactum, quantum potuit restituit, instaurato emporio, civiumque numero adaucto. Cumque regionem propugnaculo, reprimendis barbaris, & subditis tutandis idoneo, destitui videret, non longè à Bardevico ad fluvium Elmenovium (cui, sicuti etiam Albi, ab undecim rivulis in unum flumen ibi coalescentibus, quasi dicas, die Elvenow/nomen inditum volunt, licet Henningesius ex Hermanni Corneri Chron. MS. affirmet antiquitus flumen hoc Lunow vocatum) monti excelso castrum imposuit firmissimum. Mons iste à calce fossili, quam ad radices gignit copiosè, nomen accepit, insignis olim splendido familiæ Benedictinæ cœnobio, cujus auspicem faciunt *Ottonem*, magnum Saxoniæ Ducem, instauratorem *Hermannum* Billingum, perfectorem *Bernhardum*, hujus filium. Floret

hodieque de monte in urbem Luneburgum translatum. Atque hoc modo Bardevicum pervenit ad familiam Billinganam, quæ in Saxoniâ cum imperio fuit annis circiter centum & quinquaginta, ut Crancius Saxon. lib. V. cap. XXIIX. defecitque in Magno Hermanni Billingi abnepote.

Temporibus Conradi Salici Imp. *Mistivvoi* Abodridorum regulus, antea Christianus, mox apostata, atque iterum Christianus, & à suis vel pulsus, vel sponte exul, Bardovici vixit & vitam finivit, circa anum MXXV. Videatur Helmoldus Buzoviensis Chron. Slav. lib. I. cap. XVI. Hier. Henningesius in Genealogia Ducum Megapol. cap. CCXCI.

Hujus temporibus *Buthue*, *Gotschalci* Abodritorum reguli, ob Christianæ religionis professionem propagationemque à suis trucidati, filius, adversarium suum *Croconem* (Stadensis & Crancius *Critonem* vocant) *Grimi* filium, per vim principatum adeptum, bello aggressurus, copias auxiliares à Magno Duce petit & impetrat. Erant hæ ex Holsatis, Ditmarsis, Stormarijs & *Bardis:* verùm quòd Buthue non satis cautè ageret, nec bene monenti morem gereret, interveniente proditione, contra datam fidem à barbaris inermis cum fortissimis quibusq; ex Bardis contrucidatur, anno MLXVII. ut Albertus Stadensis ex Helmoldo Buzoviense.

Non multo pòst ortum est funestissimum bellum civile, inter *Henricum IV.* Imp. iuvenili temeritate ferociâque lascivientem, & *Saxones,* quorum libertas quo magis periclitari videbatur hoc acrius defensa est. Induit tum etiam arma Magnus Billingus, inauspicatò tamen, etenim in potestatem Cæsaris deveniens *Hartesburgum* in custodiam parum clementem deducitur. Dum ibi detinetur captivus, Cæsar odio Saxonum totus furens, internuncio archiepiscopo Bremense *Adelberto*, alienigenâ, & Saxonibus æquè inviso ac infenso, *Suenonem* E-

strit-

ſtritium, cognomento magnum, Daniæ & Norvvegiæ regem, Bardevicum evocavit, de Saxonibus, vel ſubjugandis, vel prorſus exſtirpandis, delendisque, cum ipſo deliberaturus. Admodum ſecretum fuit hoc colloquium, in quod præter archiepiſcopum Bremenſem admiſſus eſt nemo. Emanavit tamen rumor de fœdere illic in hanc ſententiam ſancito: Daniæ rex Saxones, Imperatori rebelles, terrâ marique oppugnet, expugnet, expeditionis iſtius mercedem habiturus regiones Saxonicas omnes, Daniæ regno finitimas. Schafnaburgenſis ad annum MLXXIII. ſcribit promiſſam Dano ditionem *Vdonis* Stadenſium principis, ſive marchionis, ampliſſimam, de quâ Adamus Bremenſis lib. IV. cap. V. Verum mors Suenonis proximo anno ſubſecuta totum hoc negocium irritum fecit. Idem Adamus libro eodem, cap. XXV. ſcribit Reges in arce *Luneburgicâ*, quam Cæſar detento in carcere Duce Magno ſibi vendicabat, congreſſos. Cùm Adamo faciunt, Chronicon Bremenſe editum ab Erpoldo, Stadenſis, & Crancius metropol. lib. IV. cap. VI. nos ſequimur Brunonem belli Saxonici ſcriptorem.

Paulo ante obitum Magni Billingi, non in carcere (ut penè omnes, invitâ & reclamante veritate, recentes hiſtorici ſcribunt) ſed domi ſuæ placidè defuncti, alter Gotſchalci Abodriti filius *Henricus*, ex Daniâ, ubi apud ſuos (quippe qui *Syrithâ* Suenonis Eſtritij filiâ natus eſſet) hactenus exſulaverat, domum rediens, de Crucone quem diximus, è ditione paternâ pellendo cogitabat. Quem cum hominem vaferrimum inſidioſumque experiretur, iiſdem artibus uſus, inſidijs circumventum trucidari curavit. Hoc modo majorum ſuorum ditione potitus eſt, ſed quòd Chriſtianus eſſet, & Magno Saxoniæ Duci juramentum fidelitatis præſtitiſſet, Slavorum quorundam odia invidiamque incurrit, factâque conjuratione bello petitur. Enituit tum fides Ducis Magni, qui, etſi

hodieque de monte in urbem Luneburgum translatum. Atque hoc modo Bardevicum pervenit ad familiam Billinganam, quæ in Saxoniâ cum imperio fuit annis circiter centum & quinquaginta, ut Crancius Saxon. lib. V. cap. XXIIX. defecitque in Magno Hermanni Billingi abnepote.

Temporibus Conradi Salici Imp. *Mistivvoi* Abodridorum regulus, antea Christianus, mox apostata, atque iterum Christianus, & à suis vel pulsus, vel sponte exul, Bardovici vixit & vitam finivit, circa anum MXXV. Videatur Helmoldus Buzoviensis Chron. Slav. lib. I. cap. XVI. Hier. Henningesius in Genealogia Ducum Megapol. cap. CCXCI.

Hujus temporibus *Buthue*, *Gotschalci* Abodritorum reguli, ob Christianæ religionis professionem propagationemque à suis trucidati, filius, adversarium suum *Cruconem* (Stadensis & Crancius *Critonem* vocant) *Grimi* filium, per vim principatum adeptum, bello aggressurus, copias auxiliares à Magno Duce petit & impetrat. Erant hæ ex Holsatis, Ditmarsis, Stormarijs & *Bardis*: verùm quòd Buthue non satis cautè ageret, nec bene monenti morem gereret, interveniente proditione, contra datam fidem à barbaris inermis cum fortissimis quibusq; ex Bardis contrucidatur, anno MLXVII. ut Albertus Stadensis ex Helmoldo Buzoviense.

Non multo pòst ortum est funestissimum bellum civile, inter *Henricum IV.* Imp. iuvenili temeritate ferociâque lascivientem, & *Saxones*, quorum libertas quo magis periclitari videbatur hoc acrius defensa est. Induit tum etiam arma Magnus Billingus, inauspicatò tamen, etenim in potestatem Cæsaris deveniens *Hartesburgum* in custodiam parum clementem deducitur. Dum ibi detinetur captivus, Cæsar odio Saxonum totus furens, internuncio archiepiscopo Bremense *Adelberto*, alienigenâ, & Saxonibus æquè inviso ac infenso, *Suenonem* E-

stríti-

Fritium, cognomento magnum, Daniæ & Norvvegiæ regem, Bardevicum evocavit, de Saxonibus, vel subjugandis, vel prorsus exstirpandis, delendisque, cum ipso deliberaturus. Admodum secretum fuit hoc colloquium, in quod præter archiepiscopum Bremensem admissus est nemo. Emanavit tamen rumor de fœdere illic in hanc sententiam sancito: Daniæ rex Saxones, Imperatori rebelles, terrâ marique oppugnet, expugnet, expeditionis istius mercedem habiturus regiones Saxonicas omnes, Daniæ regno finitimas. Schafaburgensis ad annum MLXXIII. scribit promissam Danoitionem *Vdonis* Stadensium principis, sive marchionis, amplissimam, de quâ Adamus Bremensis lib. IV. cap. V. Verum mors Suenonis proximo anno subsecuta totum hoc negocium irritum fecit. Idem Adamus libro eodem, cap. XXV. scribit Reges in arce *Luneburgicâ*, quam Cæsar detento in carcere Duce Magno sibi vendicabat, congressos. Cùm Adamo faciunt, Chronicon Bremense editum ab Erpoldo, Stadensis, Crancius metropol. lib. IV. cap. VI. nos sequimur Brunonem belli Saxonici scriptorem.

Paulo ante obitum Magni Billingi, non in carcere (ut penè omnes, invitâ & reclamante veritate, recentes historici scribunt) sed domi suæ placidè defuncti, alter Gotschalci Obodriti filius *Henricus*, ex Daniâ, ubi apud suos (quippe qui Sirbiâ Suenonis Estritij filiâ natus esset) hactenus exsulaverat, domum rediens, de Crucone quem diximus, è ditione paternâ pellendo cogitabat. Quem cum hominem vaferrimum insidiosumque experiretur, ijsdem artibus usus, insidijs circumventum trucidari curavit. Hoc modo majorum suorum ditione potitus est, sed quòd Christianus esset, & Magno Saxoniæ Duci juramentum fidelitatis præstitisset, Slavorum quorundam odia invidiamque incurrit, factâque conjuratione bello petitur. Enituit tum fides Ducis Magni, qui, etsi

annis gravis, laboribusque exhaustus, cum cliente in Slavos progressus feliciter & prosperè pugnavit, hostibus partim cæsis, partim fugatis. Interfuere huic expeditioni *Bardi* magno numero, cladémque superiori bello acceptam probè ulti sunt.

Post Magni Billingi obitum, in annum Christi MCVI. incidentem, *Lotharius* natus ex illustri *Querfurtensium* dynastarum prosapiâ, Henrici V. Cæsaris beneficio Ducatum Saxoniæ indipiscitur, neque multo post in Imperio succedit. Is Bardevici fuit anno MCXXXVII. vel quod comitia ibi haberet, ut Spangenbergius credit, vel quod in hereditariâ urbe degens, de constituendâ provinciâ, quoque modo vicini Slavi ab eâ arceri, & intra fines suos contineri possent, consilia cum suis agitaret. Habuit tum temporis secum *Richense* Augustam, quam ineptè admodum *Rixam* nonnulli vocant, & ex proceribus *Adelbertum* (qui aliijs *Adelbero*) archiepiscopum Bremensem, *Ditmarum*, Episcopum Verdensem, *Adelbertum*, marchionem Brandenburgensem, *Fridericum*, Palatinum Saxoniæ & Comitem Sommerscheburgium, *Sigfridum*, Comitem Homburgensem, *Adolfum*, Comitem Schavvenburgensem, *Sigfridum*, Comitem Ertelenburgensem, *Bernhardum*, Vicedominum Hildesiensem, *Ludolfum*, *dynastam* Woltigerodanum, *Ludolfum* advocatum, aliosque ex ordine ecclesiastico, & nobilitate complures. Venit tunc etiam Bardevicum, *Vicelinus*, Aldenburgensis Episcopus, natus *Quernhamelæ* ad Visurgim, hactenus Abodritorum apostolus. Is de vicinis Slavis, eorumque tyrannide multa cum Imperatore locutus, auctor fuit, ut in *VVagriâ*, ubi mons excelsus & propugnaculo extruendo naturâ loci idoneus esset, castrum pro defensione circumjacentis terræ extrueretur. Suasit etiam, simul haberetur ratio religionis propagandæ, quod fieri commodè posset, si ad radices montis templo extructo,

ructo, collegium religiosorum hominum adjungeretur. Paruit bene monenti Cæsar, operamque dedit, ut tam propugnaculum, quàm monasterium, summâ celeritate loco demonstrato exstrueretur. Qui cùm antea Alberg diceretur, mutavit nomen, à victorijs de Slavis hucusque habitis, & porrò cum Dei auxilio habendis, auspicatò Sigeberg appellatus.

His ex animi sententiâ confectis, Lotharius de invisendâ Italiâ curam suscepit. Vt autem domi salva essent omnia, Henrico Superbo, Boiariæ Duci, Magni Billingi ex Wolfhildis filiâ nepoti, cui filiam *Gertrudin* in matrimonium collocarat, Ducatum Saxoniæ, nuper doti promissum, solemni ritu commisit possidendum. Henricus hactenus Boiariæ, nunc etiam Saxoniæ Dux, socerum cum lectissimo exercitu comitatus est in Italiam. Defuncto Lothario, quod accidit anno MCXXXVII. mense Decembri, novi tumultus coorti sunt in Saxoniâ. Occasio hæc fuit: *Adelbertus* cognomento *Vrsus*, Marchio Soltvvedelensis, quòd matrem haberet *Elicam* eandem Magni Billingi filiam, Saxoniam sibi deberi contendebat: sed vivo Lothario nihil movit. Auditâ ejus morte, armatâ manu avi materni ditionem invasit, castro *Luneburgo* & *Bremâ* ac *Bardevicâ* urbibus occupatis. Nordalbingi nullâ necessitate cogente victori se submiserunt. Conatus Adelberti marchionis, tantum abfuit, ut improbaret *Conradus Suevus*, Lotharij in Imperio successor, ut palàm affirmaret, iniquum & contra leges, moremq;, & dignitatem Imperij esse, duos Ducatus uni principi committi. Sed hac sententiâ nil motus Superbus, contractis copijs consobrinum Adelbertum totâ iterum exuit ditione, adiutus à socru Richense Augustâ, neque multo pòst vivendi finem fecit, relicto filio unico Henrico, cui adulto *Leonis* cognomentum à suis tributum.

Con

Conradus Cæsar odium, quod sine caussâ in Superbum conceperat, ad filium Leonem derivari passus est: nam ut illum Boiariâ, ita hunc etiam Saxoniâ eijcere conatus est. Verùm Saxones exempli novitate, reique indignitate, cùm aliàs Vrsum aversarentur, commoti, Leonem minorennem contra vim omnem animose viriliterque tutati sunt. Quorum consensum, & nisi cederet, arma parata, Cæsar intuens, ut bellum averteret, Saxoniam quidem Leoni reliquit: verùm ut *Henrico Austrio* Bajoariam confirmaret, Superbi viduam ei nuptum collocavit: sicque placati Saxonum animi.

Potitus sine æmulo Septentrionali Saxoniâ Leo, nihil quod ad eam exornandam faceret prætermisit. Nam urbes ac opida ædificavit: ubi esse desierant, vel nondum instituti erant Episcopatus, aliaque religiosorum hominum collegia, condidit, annuisque proventibus munificè donavit. In urbibus ordinavit magistratus, leges tulit honestas, consuetudines superiorum temporum barbariem redolentes amovit: ut domi forisque reverâ esset, & ab omnibus, pater patriæ, publico natus commodo, bonique instrumentum seculi, grato animo prædicaretur. Sanè quantum fortunis Bardevici, de quo nunc nobis sermo, studuerit, ex eo animadvertas, quòd edoctus de jacturis, quas cives Bardevicenses, occasione urbis *Lubecæ*, auspicijs *Adolfi*, Holsatiæ & Schavvenburgi Comitis, recens conditæ, mercatoribus propter portus locique commoditatem certatim illuc confluentibus, quotidie acciperent, novum illud emporium inhibuit & impedivit. Refertur ab Helmoldo lib. I. cap. LXXVII. & in Chron. Slavorum, cap. XXIV. Addit Reineccius V. CL. ex Chronico Pegaviensi, (fortè manuscripto, nam editum hujus nihil habet) Luneburgum cum vicino agro fuisse sponsalitium *Mechtildis* Anglicanæ, conjugis Henrici Leonis, eamque, direptis mariti

mariti possessionibus, Cæsare non contradicente, tantulum hoc sibi vendicasse, de quo nihil affirmo. Ex Rogero tamen Hovedeno constat, Cæsarem concessisse Mathildi *pro amore regis Angliæ, ut ipsa libere & in pace remaneret, & totam dotem liberam ut quietam haberet, & si mallet cum Domino suo in exsilium ire concessit ei Imp. ut custodes suos poneret ad dotem suam custodiendam*, quæ verba sunt Hovedeni.

Proscripto autem Leone, bonisque publicatis, nihil Cæsari Friderico potius fuit, quàm ut per acerbam invidiam prostrati optimi principis exsuvijs quàm ocyssimè potiretur, easque in alios distribueret, priusquam adversario colligendi se facultas præberetur. Diviso igitur exercitu, quem penes se habebat maximum fortissimumque, partem ejus tradidit archiepiscopo Coloniensi *Philippo*, ut *Brunsuicum* obsideret: cum alterâ ipse Septentrionem versus processit, *Luneburgum* propugnaculum, & *Lubecam*, loca opidò munita obsessurus. Bardevicenses, quòd nullum in urbe esset præsidium, Cæsarem cum copijs adventantem, nullâ interpositâ morâ receperunt. Commendata est civitas *Bernhardo*, designato Saxoniæ Duci, ejusque fratri *Ottoni*, marchioni Brandenburgico. Regresso verò ex locis istis Cæsare victore, ac Leone paulo pòst in Comitijs *Erfordiensibus* cum conjuge & liberis in exilium ire jusso, in eodem conventu Bernhardus, hactenus titulo tenus Saxoniæ Dux, Bardevicum cùm circumjacentibus regionibus jure vicariæ possidendum accepit, atque è vestigiò opida & arces impositis præsidijs firmavit. Hoc modo tota regio iterum mutavit dominos, sic tamen, ut apud posteros Magni Ducis permanserit, ejus enim ex filiâ Elicâ Bernhardus & Otto Anhaldini fuere pronepotes. Cæterùm *quia sub Sole nihil permanet*, ut Ecclesiastes c. I. *nihilq́ humanis viribus laboratum, quod non humanis aquè viribus destrui*

T *posit,*

passit, siquidem mortalia sunt opera mortalium, Lactant. lib. IV. cap. XV.

—Summisq; negatum
Stare diu—

ut Lucanus lib. I. Pharsaliæ, hæc etiam urbs, ut perantiqua, ita celeberrima, periodo ævi felicitatisque suæ circumacta, fatis ipsam urgentibus, memorabili ad omnem posteritatem exemplo, sua ipsius culpa, momento in cinerem & favillas redacta est: prostrata non ab extraneo, sive hoste, sed à legitimo domino, patriæque patre, cujus infortunijs acerbè insultare, quàm vicem humaniter dolere maluit.

Occasio funesti admodum excidij hæc fuit. Fridericus I. Imp. voto obligatus ad bellum sacrum in *Palæstinâ* contra Saracenos gerendum, se accingebat: ne verò per absentiam suam in Imperio quicquam turbarum moveretur, Leoni ex Anglia nuper domum reverso, quem nimiò plus super rebellione suspectum habebat, alterum indixit exilium, ea tamen conditione, ut quod ex recenti calamitate superesset ei hereditatis & fortunarum, sine injuria & maleficio adversariorum sartum rectum retineret. Qui cùm agere aliter non posset, tempori cessit, eodemque penè momento magni isti Imperij principes, consanguinei, Leo exsulatum, Cæsar ad comparandam gloriam, sive ut superstitione dementati infelices tum credebant homines, saluti animæ consulturus, & ut Arnoldus loquitur lib. 3. cap. 28. in remissionem peccatorum; nunquam deinceps in hac vita congressuri, domo excessere.

Absente Cæsare recruduit hostium Leonis acerbitas & malevolentia, qui majore, quàm unquam anteà, libidine exsulis bona invaserunt, arbitrati publico imperij custode remoto omnia sibi licere. Qua enormi petulantia & improbitate

tate nimiopere exacerbatus Leo, domum ante præfixum tempus cogitavit, instigantibus eum, ut id faceret, & *Angliæ* & *Daniæ* regibus. Etsi autem alibi benevolè exceptum constet, haut tamen urbem suam hereditariam, licet per vim ademtam, præter omnem spem supra modum ferocem, ac insolentem, omniumque beneficiorum veterum & recentium planè oblitam invenit. Vix salvo pudore rem detestandam narraverimus: minimè tamen prætereunda erit, quippe quæ exemplum sit omni posteritati, punitæ proterviæ, improbitatis, & petulantiæ.

Leonem ab exsilio reversum, *Hartvicus*, archiepiscopus Bremensis, non tantum amicè & comiter exceperat, verum etiam agrum *Stadensem*, in Comitijs Erfordiensibus edicto & decreto Cæsaris Leoni ademtum, ecclesiæ Bremensi traditum, libere ei resignarat. Antistitis exemplum secuti sunt *Holsati*, *Stormarij*, & *Polabij*, Leoni sese adjungentes. Habebat ille secum *Bernhardum*, Raceburgensem, *Helmoldum*, Suerinensem, *Bernhardum*, Wölpensem, Comites, aliosque de nobilitate non paucos, quorum industria militaris, reique bellicæ scientia perspecta erat & experta. Quod de rege Daniæ Canuto Crancius in Metropoli & Henricus Aquilonopolitanus in priore poëmate de rebus Lubecensibus affirmant, interfuisse eum huic expeditioni, id ab annalibus non indicatur, neque vero est simile: ideo ad famam, quam solam secutum se Crancius ait, hoc totum relegamus. Gentium quas dixi, Ducumque robore suffultus Leo in spem recuperandi Ducatus Saxonici erectus, toto cum exercitu rectà adijt Bardevicum. Tenebat urbem cum præsidio Bernhardus Dux Saxoniæ: cives verò, aliàs rerum novarum cupidi, fortunamque secundam æquo ferre animo indociles, pluris præsentia, quàm præterita æstimabant. Etenim Leonem toto octennio, & ab æmulis, & ipso etiam Imperatore,

immisericorditer divexatum, tantumque non oppressum, in integrum restitui nequaquam posse, non tantum persuasum habebant ipsi, sed jactare apud alios non erubescebant. Denegatus igitur appropinquanti deliberatò introitus, jus verò suum urgenti, &, nisi pareant, vim præsentem minitanti, responsum est superbiùs. Quinimò inventi sunt homines flagitiosissimi, qui pietatis omnis ac reverentiæ, Deò opt. max. ejusque vicario legitimo magistratui debitæ, obliti, conscensis urbis mœnibus, partes corporis posteriores turpiter nudatas hosti obverterunt, improbo detestandoque gestu, quanti minas istas facerent: demonstrantes. Prætereuntur hæc ab Arnoldo Lubecense, qui istis temporibus vixit, & quod constat, in viciniâ Lubecæ monasterij S. Johannis, familiæ Benedictinæ abbatem egit: nec satis accuratus in Saxoniâ lib. V. cap. II. Crancius, contentus dixisse, *crescente obsidionis labore intervenisse pugnantium invicem contumeliis plena verba & facta probrosa, pro alterno contemtu.*

In quem sensum etiam Vandaliæ lib. VI. cap. XIII. ait: *Bardovicenses Duci venienti portas clausas habuere & de mœnibus nonnihil irrogasse feruntur contumelia, quod jam exosum cernerent & à Cæsare laborantem.* Chronicon vero Saxonicum vernacula lingua scriptum, ut & Henricus Aquilonopolitanus lib. II. de primordijs urbis Lubicanæ cap. XII. ex Chronicis Magistri Echardi historici (diversi, ut puto, ab illo, cujus meminit Helmoldus lib. I. cap. IV.) vel forte ex ejus Continuatore, nude & simpliciter rem gestam exposuere; dubio procul eo fini, ut posteritati ostenderent, acerbam vindictam flagitio insignite improbo provocatam, quasique extortam fuisse.

Erat Leo naturâ mitis & mansuetus, alienus ab omni crudelitate: injurias tamen & contumeliam difficulter concoquebat. Vbi illatæ essent, vidisses effervescentem oculis scintillantibus, corporisque tremore iram demonstrare, ut

non

non sine causâ à generoso animali cognomen ei inditum affirmares. Dici verò non potest, quantoperè contumeliosi obsessorum gestus exacerbarint universos, adeo, ut, interposito juramento, convenerit, tamdiu oppugnandam urbem, donec per vim eâ potirentur: trucidandos incolas omnes armis habiles, cæteros inde abigendos, totumque locum flagitio antea inaudito pollutum, flammis vindicibus funditus desolandum. Evestigiò igitur ad arma conclamatum, propiusque urbi admotus exercitus, & ne quis fugâ periculum evaderet, abitus omnes diligenter obsepti. Tum verò miles ab omni parte operibus armisque urbem invadere: missilia in propugnatores, phalaricas (nostratibus *blidæ* sunt) in mœnia confertim evibrare, nec minus arietibus subtus rem agere, ut parte muri aliquâ labefactatâ, irruptioni locus esset. In opidanis contra animi erant non inferiores: quicquid enim tela aut lapides levare, aut arma ferre poterat, fortiter propugnabat. Qui verò atrocis, quam dixi, injuriæ scelerati auctores fuerant, eos desperata salus, si cum patriâ in hostis manum pervenirent, in rabiem magis, quàm audaciam accendebat. Schedæ veteres, quas laudavi, urbem per biduum frustrà oppugnatam, tertio demum die expugnatam volunt. A victoriâ cum impetu per totam discursum urbem: cædes inde passim fugientium pariter ac repugnantium editæ, vix ullo, qui jam militaris ætatis esset, non, aut trucidato, aut in vincula conjecto: post inquisiti primores, & qui cum magistratu fuerant: hi ad principem deducti, patibulis affixi sunt omnes; ut Henricus Aquilonopolitanus scribit. Cum poëtarum principe exclamare licet:

Quis cladem illius lucis, quis funera fando
Explicet? aut possit lacrymis æquare dolorem?

Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos:
Plurima perq; vias sternuntur inertia passim
Corpora, perq; domos, & religiosa Deorum
Limina. quaque oculos vertas, *crudelis ubiq;*
Luctus, ubiq; pavor & plurima mortis imago.

Postquam vero iræ nonnihil deflagrassent, impuberes cum fœminis solum mutare jussi: quibus parentes aut consanguinei deerant, in locum aliquem, ubi viverent, deportati sunt. Auri, argentique, aut preciosæ suppellectilis, quicquid inventum fuit, cessit militi: instrumenta ecclesiastica, puta, thuribula, calices, nolæ, cymbala, unaque rituales libri, adeoque fenestræ parietibus evulsæ, omnia Raceburgum, basilicæ, quam ibi una cum Episcopatu Leo condiderat, exornandæ caussâ, translata sunt.

Exinanitâ hoc modo, spoliataque urbe ad funus ejus properatum. Ædificia publica.

—— veterum decora alta parentum,

ut iterum Poëtarum princeps loquitur, dejecta sunt, turres & muri solo æquati, fossæ completæ, ut jam non urbs ampliùs, sed infelix ejus videretur cadaver. Ei demum immissus ignis, qui longè lateque vagatus intra paucas horas quicquid reliquum fuit, absumsit. Sola templa cum diligenti cura illæsa conservata sunt, miserius, si rectè consideres, quàm si commune incendium subijssent. Vacuis enim & inanibus, situque & squalore marcescentibus, pars miseriarum est, audire quid fuerint.

Atque hoc modo perijt urbs antiqua copiosa & opulenta, cujus ruinæ, sicut lugubre, ita insigne sunt vindictæ cœlestis, instabilitatisque rerum humanarum documentum, peneque prodigium. Jugis illa & continuata tot seculis felicitas,

citas, quæ pietatis, modestiæ & gratitudinis incitamentum esse debuit, insolentiam peperit, indubitatum fontem calamitatis & miseriæ subsecuturæ. Qui verò hîc Leonem crudelitatis arguunt, misericordiamque desiderant, cogitent eam pudendâ enormis flagitij deformitate victori quasi ereptam fuisse: cogitent generosos animos maledictis, quàm malefactis graviùs lædi: difficiliusque perferre contumeliam, quàm damnum, etsi ingens & acerbum. Vehementer doluit injuria, quæ contingebat insperata: quodque inde proveniebant convicia, unde oppresso auxilium fuisset exspectandum. Consimilem historiam, nec dissimilem pœnam de Thuringiæ opido *Salza* commemorat Auctor Historiæ Thuringicæ de Landgravijs, à Pistorio editæ. Obsidebat Salzam Fridericus Marchio Misniæ & Landgravius Thuringiæ, cives vero (verba sunt auctoris) *stantes in muris, deponentes braccas, fecerunt Marchioni contumelias & multa alia opprobria. Quod videns Marchio, præcepit sagittari ignea tela in civitatem & totaliter combusta est, & perierunt XVI. Sexagenæ hominum & XIIX. non potentes habere exitum, cum prohiberentur ab armigeris, qui portas tenuerunt clausas.* Cæterum Lubecenses tam acerbâ animadversione in urbem Bardovicensem consternati, cùm & munitioni urbis recentis diffiderent, & auxilia desperarent, ne eandem subirent fortunam, victori portas aperverunt: qui idem paulò pòst Laoburgum expugnavit.

De tempore excidij Bardevicensis apud scriptores nonnulla est discrepantia. Concorditer omnes funestum cladis diem nominant Octobris XXIIX. qui in Fastis Christianis *Simoni & Judæ Apostolis* sacer est: etsi pro die noctem inculcet Henricus Wolterus in Chronico Bremensi. De anno controvertitur. Fasti Hildesienses MS. ponunt annum MCLXXX. perperam omnino. Chronica duo, edita ab Erpoldo Lindenbruch, unum Sclavicum, alterum Bremense, sicut & vetus

Saxo-

Saxonicum, habent annum MCLXXXIIX. His subscribunt Crancius Saxon. lib. VII. cap. II. Metropol. lib. VII. cap. XI. Munsterus Cosmographiæ lib. III. cap. CCCCII. Spangenbergius Chronico Spangenburgensi. Dissentiens Arnoldus abbas Lubecensis lib. IV. cap. II. disertè indicat, Bardevicum eversum eo anno, quo Fridericus Barbarossa abijt cum exercitu in Palæstinam: atqui hoc factum est anno Christi MCLXXXIX. ut omnes affirmant historici: versiculi etiam, quos recitat Otto de S. Blasio, attestantur idem.

Annis undenis demtis de mille ducentis,
Christus ut est natus, transit mare rex Fridericus.

Arnoldum Lubecensem sequuntur, Albertus Stadensis, Rudimentum novitiorum, Henricus Wolterus, Joannes Schiphovverus. Nec dissentiunt versus inscripti foribus templi cathedralis Bardevicensis, antea recitati:

M.C. post Nat. iunctis octoginta novemq́,
Dum Brunsuicensis Dux Henricus Leo dictus,
Simonis infesto Bardvvic subvertit ab alto.

Hermannus de Lerbeke Chronic. Schauenburgensi, nostra opera edito recitat aliud distichon his verbis:

Dux post M. post C. post octoginta novemq́
Bardevvic destruxit, Simonis sol quando reluxit.

Idem repetit Ertvvinus Ertmannus in annalibus Osnaburgensibus. Abrahamus Bucholcerus ab utrisque discedens habet annum MCXC. secutus, ut ait, Pauli Eberi Calendarium; sed ille ponit præcedentem. Deleta est civitas anno, postquam condita fuit MMCLXXIX. climacterico novenario CCXLII. exacto.

Elapsis ab hâc calamitate annis XXXV. cum infelix Bardevvicum in pagum sive vicum se colligere cœpisset, venit eo

nit eo Henricus, Friderici II. Imp. primogenitus, deſignatus Romanorum Rex, qui ſe in diplomate quodam monaſterio Walckenredenſi dato, Henricum VII. appellat, conventumque vicinorum principum ibi habuit. Erat cum eo Engelbertus Archiepiſcopus Colonienſis, vir magnæ in Imperio auctoritatis. Occaſionem conventui præbuit infortunium Waldemari II. regis Daniæ, ab Henrico, Gunzelini F. Comite Suerinenſe mira audacia ex proprio regno in Saxoniam abducti Dannebergam, ac in carcerem rege indignum compacti. Eum ut Comes dimitteret, nullis vel blanditijs, vel minis adduci potuit. Omnem movit lapidem Cæſar Henricus, ut regem è vinculis liberaret, ſed fruſtra dicta factaque omnia. Evenere hæc anno MCCXXIV. & indicantur ab Alberto Stadenſi ad annum quem dixi: repetuntur à Crancio Metropol. lib. VII. cap. XL. Saxoniæ lib. VII. cap. XXXIIX. Daniæ lib. VII. cap. XIIX. Quod vero compilator Chronici Saxonici aſſerit, Henricum quem dixi, deſignatum Cæſarem, vivo patre Bardevvici occiſum eſſe, id inauditum ignotumque eſt omnibus probatis hiſtoricis: affirmantibus uno ore, Henricum affectati imperij convictum à patre in Calabriam, unde nunquam redierit, relegatum.

Inventi ſunt, qui affirmarunt, Bardevicum fuiſſe *urbem Imperialem*. In ijs eſt Auctor Chronici Raſtedenſis MS. quod Schiphovverus penè totum tranſtulit in ſuam hiſtoriam Oldenburgenſem, cui appellatur *civitas regalis*, & additur *Leonem pro crematione & deſtructione Bardevici Imperio dediſſe civitatem Lubecenſem cum alijs multis circa Hartonem*, verba ſunt Schiphovveri: cui aſſentitur Dominicus Dreverus in Genealogijs Saxonicis MS. Verùm hæc ſcriptores iſtorum temporum ignorant. Fuiſſe Bardevicum Leonis *peculium*, ex ſupra dictis ſatis apparet, confirmaturque ſcriptorum te-

stimonijs. Chronicon Slavicum cap. XXXV. sic loquitur, *Dux Leo obsedit Bardevvic suam civitatem, & obtinuit.* In annalibus monasterij S. Michaëlis apud Hildesiam vocatur *propria Leonis urbs.* Henricus Wolterus Chron. Bremensi MS. hæc habet, *Henricus Leo Dux Brunsuicensis cepit civitatem Bardevvic, & incendit, & funditus destruxit, demtis ecclesiis,* & sua antea erat. Vide etiam Crancium Metrop. lib. VII. cap. XI. & Helmoldum Buzoviensem lib. I. cap. LXXVII.

Gubernatam fuisse urbem principis nomine à legato, *Comitis* dignitate tituloque insigni, persuaderi possis ex Henrico de Hervordia, Chronico Schavvenburgensi Hermanni Lerbecij, ubi mentio fit *Henrici Comitis de Bardvvic.* Meminit etiam Reineccius in scholijs marginalibus ad LV. caput primi libri Helmoldi, codicem istius auctoris Puchenianum, quo usus sit, eandem lectionem retinuisse. Verùm error hic est librarij, ac pro Bardevvic legi debuit *Badvvid.* Et sic habet diploma Leonis apud Lindenbrogium, datum anno MCXLVII. neque aliter scribunt Albertus Stadensis, Crancius Saxon. lib. VI. cap. IX. & X. De familiâ Baduicensi, quæ postea *Raceburgensis* dicta, præclarè explicat Arnoldus Lubecensis lib. IV. cap. VII.

Amplitudinem urbis colligas ex templis, quæ novem supersunt, sine dubio olim Parochialia omnia. Basilica cathedralis, sive malis collegiata, quando, & à quo condita sit: an post, vel ante cladem eversionis, non inveni annotatum: hoc constat anno MCCXXXIIX. mediocriter floruisse. Anno etiam MCCIX. Joannes Præpositus Bardevvicensis profectus est cum Ottone IV. Imp. in Italiam. Anno verò MCCXXXIIX. die Ceciliæ virginis Nicolaus Becanus, & Capitulum Bardovicense Hunonem Comitem Oldenburgensem, ejusque uxorem Willam ac filium Fridericum in fraternitatem suæ congregationis receperunt, bonorumque

operum

operum ſuorum & meritorum, pro ſeculi ejus ſuperſtitione & credulitate participes fecerunt, ut habet diploma, apud Hamelmanuum Chron. Oldenburg. pag. XXXIIX. Maturè religionem, miniſterio Martini Lutheri repurgatam, auſpicijs Erneſti Ducis Luneburgici principis optimi, admiſit, ſuperſtitionibus Pontificijs profligatis, vitâque cœlibe, tanquam periculosâ, abdicatâ. Primum ibi Evangeliſtam egit *Matthæus Gindrig*, qui anno MDXXIIX. eò miſſus, amplius annis XXX. pondus & æſtum diei in vineâ Domini illic portavit. Excepit hunc *Erneſtus Boccius*, vir eloquens & doctus, qui ſummos antea honores in Academiâ Lipſenſi cum laude geſſerat. Vtrique epitaphium ſcripſit Lucas Loſſius. De ſucceſſoribus quod referam non habeo: collegio ipſi, ut in hoc felicitatis fortunarumque ſtatu cum ſolidâ pace quàm diutiſſimè permaneat, ex animo precor & opto.

Hactenus omnia, quæ mediocri diligentiâ antiquitatis noſtræ monumenta perſcrutanti, de *Bardis*, eorumque *vico*, ſeſe obtulerunt: ſi qui plura habent, huc etiam ſua liberaliter conferant. Cæterùm quod de *Phœnice* avi ſpeculatores, venatoresque naturæ, hoc eſt, Phyſici, referunt, nempe, quòd ætate confecta in rogum ardentem, propriâ induſtriâ præparatum, ſe conijciat: ex cujus, poſtquam flammis abſumta ſit, cineribus nova emergat volucris, id non ineptè quis accommodaverit ad Bardevicum urbem, quæ ſecula admodum multa vivendo egreſſa, quaſi vitæ pertæſa, morique deſiderans, ipſa ſibi ferale excitavit incendium, quo deſolata, ex infelicibus deploratisque ruderibus feliciſſimam produxit ſobolem, matri nullo modo imparem, ſi non clariorem. Ea eſt *Luneburga*, ſeptentrionis lumen: de quâ etſi fortaſſis melius fuerit tacere omninò, quàm pauca loqui, attamen cùm iſtis dotibus, quæ urbes beatas facere poſſunt, multis jam ab annis floruerit, floreatque etiamnum hodie, pauca de eâ ſubijciemus.

Explodendi autem hic primò nugatores inepti, sine dubio monachi indocti, qui arcis Calcariæ primordia retulerunt ad *Julium Cæsarem*, primum Romanorum monarcham, quem satis constat nunquam in has regiones pervenisse. Nec audiendi, qui arcem istam *Juliam* à Karolo M. Saxonum domitore eversam asserunt, cùm quod rerum naturâ nunquam fuit, destruere ille nequaquam potuerit. Quid? quod annales Francici, non ab uno perscripti, auctores etiam vitæ rerumque gestarum Karoli, ne verbulo quidem hujus rei meminerunt? Tantùm recentes nonnulli, & hoc, & similibus commentis anilibus sese oblectarunt. Crancius Metrop. lib. III. cap. XIX. Saxon. lib. IV. cap. XVI. constanter affirmat, Hermannum Billingum arcis conditorem, cui meritò suffragamur.

Fontes Salis aliqui erupisse volunt sub *Ottone*, magno Saxoniæ Duce, *Ludolfi* F. Verum Hermannus Bothe in Chronico MS. adfirmat id eo tempore factum, quo in Rammelsbergo prope Goslariam venæ argenti fertiles fuerint apertæ: quod collocatur in annum Christi DCCCCLXXII. imperante eodem *Ottone*, jam *Cæsare*. Hic *Otto* decimas, sive vectigal Salinarum monasterio S. Michaëlis condonavit. In diplomate fundationis Regiæ Lothariæ prope Helmestadium Lotharius Imp. monasterio ex Salinis in Luneburg largitur *unum chorum salis cum medio*, ut verba sonant Imperatoris.

Quæ de nobili illâ tabulâ, cui laminæ ex auro Arabico unionibus & gemmis preciosissimis rutilantes obductæ sunt, referuntur, nempe quòd de tributo Sarracenis anno DCCCCLXIX. extorto, jussu *Ottonis* II. fabrefacta, & in victoriæ illustris memoriam gratique animi testimonium S. Michaëli dono data sit, illa etiam à recentioribus tantum commemorantur, ignota veteribus.

Primus

Primus veterum, quantum ego quidem reperire potui, Luneburgæ mentionem facit Ditmarus Mersburgensis lib. VI. narrans prodigiosum terræ motum, & ex eo hiatum, qui ibi contigerit anno MXIII. Imperante Henrico II. Scribit ibi Ditmarus *Luinberg*, & *civitatem* vocat, quâ appellatione priscis i ſtis temporibus etiam tenues vicos, ſive pagos ac villas veniſſe, ipſosque colonos *cives* nuncupatos, alibi demonſtravimus: ingerit idem Spangenbergius Chron. Saxon. cap. CXXI. Idem Imperator Henricus Claudus meminit hujus loci in privilegio, dato eccleſiæ Mindenſi anno MXXII. ubi tamen omnia corrupta: nam pro *Luinburc* legitur *Biunburc*, & *Riddagus* abbas S. Michaëlis *Rihedagus* indigitatur. Vide Appendicem ad Chron. Mindenſe tomo hiſtoricorum German. à Piſtorio evulgato.

Sub Friderico Barbaroſsâ Luneburgam nondum fuiſſe *opidum* affirmat Crancius Saxon. lib. VI. cap. XLIII. ſed huic præjudicat teſtimonium Lamberti Schafnaburgenſis, cui ad annum MLXXIII. Luneburgum dicitur *opidum maximum* Ottonis (alij *Orthelfum* vocant) Ducis Saxoniæ, ſitum in confinio Saxonum & Luticiorum. A Lamberto non diſſentit Bruno in hiſtoriâ belli Saxonici, nam & ibi urbem appellat.

Quomodo ſecunque res habeat, & quæ mutationes intervenerint, hoc conſtat, tempore everſi Bardevici ad pedem montis Calcarij fuiſſe viculum, ſive pagum, nomine Modeſtorp/ ut Crancius Vandal. lib. XII. cap. XII. & Sebaſtianus Münſterus Coſmogr. lib. III. (vetus Chronicon Saxonicum ſcribit Moterſtorp/ Buntingius Heimerſtorp) ex illo Leo condidit novam urbem, cui idem cum arce manſit nomen. Annum fundationis vetus Chronicon Saxonicum annotavit MCXC. Exſtructioni accelerandæ permultum profuere rudera Bardevici. Fuiſſe Modeſtorpij *Archidiaconatum* Epi-

scopæ sive diœcesis Verdensis ostendunt historiæ, supersuntque etiam hodie in presbyterio, sive choro, templi S. Johannis Lunæburgæ saxa epitaphijs insignita quorundam archidiaconorum, videlicet N. MCCCLXXXII. M. *Eggerdi* MCCCCXV. *Conradi Openburg*, MCCCCXLIV. Hoc defuncto eodem anno archidiaconatus in *Præposituram* mutatus est, munus primùm obeunte Joanne à Mindâ, qui obijt post quadriennium. Successores ejus usque ad annum MDLXXX. recitantur à Lucâ Lossio in farragine epitaphiorum Saxonicorum.

Annò MCCLXXIX. studio sumtuque Joannis Ducis Luneburgici Salinæ factæ sunt uberiores apertâ novâ venâ. Centum & duobus annis pòst, occupatâ per cives arce, ædificia in monte omnia diruta ac destructa, monasterio ad montis radicem in urbe locus assignatus est. Reformatum est collegium ab antistite ejus loci *Herbordo* ab *Holle*, Johannis F. equite Saxonico, sinceram Evangelij doctrinam amplexo, qui pastorem rectè docentem, & scholam ad S. Michaëlem instituit, libros irrituales ad normam verbi divini emendavit anno MDXXXIV. Quadriennio antè in urbe emendatio religionis inchoata fuerat, jacente prima præsentis ordinis ecclesiæ fundamenta *M. Stephano Kempio*. Primarij pastores, quos vocabulo Isidori *Superintendentes* vocamus, fuere, *Vrbanus Regius*, *Paulus de Rhodâ*, *Christophorus Hegendorfinus*, *M. Fridericus Henningus*, *M. Joannes Eichenberg*, qui vitam cum morte commutavit anno MDLXIIX. IX. Aprilis. Primus studiorum doctrinæ post factam religionis reformationem, Rector fuit *Hermannus Tulichius*, natus Stenhemij in agro Padibornensi: cui anno Christi MDXL. defuncto, successit *Joannes Bathelius* Cosfeldianus, mortuus MDLXXIIX. Vtrique collega fuit *Lucas Lossius*, qui postquam annos amplius quinquaginta feliciter pubem literariam erudierat, septuaginta & sex annos

egressus

egressus in cœlestem scolam translatus est MCLXXXII. Cætera aliunde peti possunt.

Cum Boëmi propter Joannem Hussum, & Hieronymum Pragensem in conciliabulo Constantiensi contra datam fidem, flammis crudeliter absumtos, supra modum in vicinos desævirent, omnisque Germania in magno esset metu, Luneburgenses cives immensis sumptibus urbi munitiones circumduxerunt, quæ res in grande æs alienum eos conjecit, præbuitque occasionem excogitandi modos, quomodo isto se onere liberarent: unde magna & diuturna lis excitata, de quâ Crancius in Vandaliâ, lib. XII. cap. XII. Anno MCCCLXX. *Carolus IV. Imp.* ex Marchia Brandenburgensi, quam suis ditionibus adjunxerat, filioque Wenceslao possidendam tradiderat, Tangermundâ, ubi aliquamdiu aulæ sedem habuerat, in Saxoniam profectus est. Luneburgum Lubecâ appulit in profesto D. Martini, exceptus ea qua debuit reverentia. Reperi de hoc ejus in urbem ingressu in Codice quodam MS. versus quatuor, quos subjicio.

Post tria C. post M. post Septuagintaq́ septem,
Sancti Martini profesto, mense Novembri:
Tunc Cæsar Augustus Romanus, rexq́ Bohemus.
Ad Luneburgensem Karolus pervenerat urbem.

Luneburga Carolus XV. Nov. Mindam venit, & triduum ibi commoratus, Bilfeldiam abijt, inde Hervordiam, Tremoniam atque alias invisit Westphaliæ urbes. Verum ista abrumpo, alijsque omnia uberius splendidiusque tractanda relinquo. Qui hodie urbis florentissimæ status, quà ecclesiam, quà scholam, quà politicam gubernationem, nemini ignotum est: laudant omnia prudentes: optant pij, ut de istâ felicitate nihil decedat.

Sed

Sed priusquam manum de tabulâ tollam, libet hanc subjungere coronidem: nimirum esse longitudinem Luneburgæ XXXI. Gr. XV. minut: Latitudinem LIV. Gr. Patere in longitudinem MCCCCL. in latitudinem passus DCCCC; secundum dimensionem institutam à Joanne Sceppero Sueco, anno MDXLI.

FINIS.

NOTÆ

In historiam Bardevici.

PAg. 3. *Borda Magdeburgica*) In archiepiscopatu Magdeburgico tractus est, quem vocant silvestrem, vulgò das Holtland. Quâ ille sinistrorsum protenditur ad Salam & Bodam in Austrum, vocatur die Hohebörde: Quâ verò extenditur Magdeburgo dextrorsum ad occiduum Solem & Arcton, is tractus dicitur die Holtzbörde. Inde habitatores veteres Suevi *Longobardi* nomen adepti, Georgius Torquatus in annalib. Magdeb. & Halberstadensib. MS. parte I. cap.II. & III. Rectè ille: inepti verò, qui vel à longis bardis, vel à bipennibus, vel quod custodes sint regionis, id est, Landwarter/ etymon Longobardorum deduxere. Historiam horum descripsere, Paulus Diaconus Forojuliensis libris VI. & ex eo Crancius Daniæ lib. III. Cæterum in agro Magdeburgensi plura adhuc supersunt Bardorum vestigia in pagis, Bardeleben/ Ekenbardeleben/ Bardenbeke/ &c. de quibus aliâs.

Pag. 4. *Dagobertus, Heribertus, Sigebertus*) Hæc & similia vocabula à Bardis profluxisse auctor est Wolfgangus Lazius lib. V. de migrationib. gentium, cujus opinio etsi nostræ contraria est, verba tamen ejus, quia de *Druidibus* quædam non inutiliter admonent, subjiciam. *Nec aliâ ratione* à Bardis, *hoc est*

hoc est, ſacerdotibus Gallorum, ac Druidibus fatidicis fœminis, nomenclaturæ deſumtæ claris paſſim viris fœminabusq; acceſſerunt. Ac viris quidem à Bardis Gallorum ſacerdotibus, ut exempli gratiâ, Degenbardus, Sigenbardus, Heribardus, Dietbardus, Rotbardus, Hildebardus, Longobardus, Lambardus, & Hugobardus: quæ poſtea vicio pronunciari cœpta ſunt, Dagobertus, Sigebertus, Heribertus, Theobertus, Ruotbertus. Hildebertus, Lambertus, & Hugobertus. Si Latinè vertas, repræſentant hæ nobis voces, heroicum ſacerdotem, victorem ſacerdotem, militantem ſacerdotem, Teutonicum ſacerdotem, rubeum ſacerdotem, miſericordem ſacerdotem, humilem ſacerdotem inſtar agni. Similiter & celebres mulieres, cùm apud Gallos illos veteres, tum apud majores noſtros primævos Germanos, à fatidicis fœminabus, Druidibus nempe, cognominatæ fuerunt: *Gertrudis*, *Himeltrudis*, *Erentrudis*, *Ameltrudis*, *Adeltrudis &c.* Hactecus Lazius. Nomenclaturæ iſtæ viriles, quod iterum affirmo, non ſunt à Bardis, ſed à vocabulo Werth/ quod etiam Bardis originem præbet, ut dixi,

Ibidem.p.122. *A Bardis igitur noſtratibus)* Crancius hoc invertit lib. III. cap. VI. Vandaliæ, vultque à Bardevico dictos Bardos, qui vero nomine Saxones. Quis verò ignorat Saxonum nomen iſtis in locis longe recentius Bardis, modo vera illa, quæ de antiquitate Bardvici creduntur?

Pag.123. *Iulino & VVinetâ)* De his Arctoi maris urbibus & emporijs olim ſplendidis, nunc verò deſolatis, multa apud hiſtoricos: celebrantur etiam veteribus accolarum cantilenis. De Winetâ, quam ipſe *Vinnetam* vocat, præclarè Helmoldus lib. I. cap. II. Philippus Melanchton in oratione de Joanne Bugenhagio, *Venetam* appellat, reſpexitque eodem interpres Chronici Carionis. *Julinum* ſive *Julina*, ut anonymus auctor vitæ Ottonis, Pomeranorum apoſtoli, editus à Caniſiò, deſcribitur

X à Cran-

à Crancio Vandaliæ lib. II. cap. XXXIII. refutatis fabulatoribus, qui à *Julio Cæsare* conditum volunt. Excidium ejus exponitur lib. V. cap. XXXIX. De utrâque urbe habet etiam quædam Hermannus Bonnus lib. I. Chron. Lubecensis, sed πάντα περὶ πάντων præstitit clarissimus polyhistor & Theologus David. Chytræus, quem adi Chron. Saxon. lib. I.

Ibidem. *Mariano Diacono*) Hujus reliquiæ scribuntur asservatæ & cultæ Verdæ, vide Crancium in Metropoli, lib. III. cap. XXXVI.

Pag. 130. *Expeditio Brunonis*) De hac vide annales Francicos Fuldenses ad annum DCCCLXXX. Ditmarum lib. II. Helmoldum lib. I. cap. VI. qui omnes concorditer affirmant, cæsos ibi cum reliquis proceribus, duos solummodo Episcopos Marquardum & Theodoricum, quorum hic Mindensem, ille Hildesiensem tenuit cathedram. Quæ Crancius assuit de multis Episcopis cum Brunone interemtis, Metropolis lib. II. cap. IX. quorum catalogum texit in confutatione Legendæ de Pontificis Benedicti V. martyrio, ea fabulosa sunt: nec enim scriptores coætanei: neque qui paulo post vixere tale quid referunt: imo Episcopatuum annales planè dissentiunt. Pertraxit tamen Crancius in errorem eundem, Georgium Fabricium & Cyriacum Spangenbergium, quorum ille originum Saxon. lib. II. hic Chron. Saxon. c. CIIX. eadem affirmat.

Pag. 132. *Suenonem Estritium*) Quàm hic antiquitatis cognitioni, & in primis historiæ patriæ studuerit ostendunt Adami Bremensis narrationes lib. I. cap. XL. & XLIV. Vide ejus encomium apud Crancium in Daniâ lib. IV. cap. XXXII.

Pag. 134. *Vicelinus, Aldenburgensis Episcopus*) Sic omnes ferè scribunt, solus Hermannus Lerbeccius *VVisceliunm* vocat: unde conijcias esse nomen idem cum *VVessele*. De patriâ & studijs

studijs ejus præclarè Helmoldus lib. I. cap. XLIII. de laboribus & peregrinationibus in sequentibus aliquot: obitus, qui incidit in annum MCLIV. exponitur cap. LXXIX. Vitam ejus carmine perscriptam edidit Erpoldus Lindenbrogius amicus noster.

Ibidem *Quernhamelæ ad Visurgin*) Helmoldus lib. I. cap. XLIII. vocat *villam* publicam: auctor vitæ Vicelini *vicum:*

Saxoniæ Vicus Quernhamele sit benedictus,

hodie urbs est Ducatus Brunsvicensis florentissima vulgo Hameln: à fluvio ejusdem nominis, qui in Comitatu Schavvenburgensi ortus, ad urbem ipsam fossam ingreditur, atque inde in Visurgim se exonerat. Quæ apud nos in ore omnium, neque alibi ignoratur, historia de pueris aliquot & puellis, tenerioris ætatis, ab in auspicato quodam circulatore, ipsa die nativitatis præcursoris Christi, nescio quo magico cantu, ex urbe evocatis, neque post unquam visis, etsi nonnullis suspecta sit, verissima tamen est, quod multa evincunt: nempe majorum quædam in archivo asservatæ consignationes, fama constans per manus tradita, picturæ in templis, & rithmi ac versus veteres, quos, etsi rudes, propter antiquitatem, omnibus gratam, subjungemus.

Im Jahr MCCLXXXIV. na Christi gebort/
Tho Hamelen worden uthgevort/
Hundert vnd XXXIII. Kinder dasülvest geborn/
Dorch einen Piper/ vnder den Köppen verlohrn.

Intelligit autem locum ubi fontes capite truncantur. Nam ibi in colliculum vicinum dehiscentem pueri ingressi perhibentur. In eam sequentes versus, qnibus tempus portæ cujusdam conditæ indicatur, recitantur à Jo. Leznero in appendice ad Chron. Corbejense, cap. XVII.

Centum terdenos dum Magus ab urbe puellos

Duxerat ante annos. condita porta fuit.

In veteri membrana inveni ſequentia, cum additis verſiculis leoninis: *Anno milleſimo, ducenteſimo, octuageſimo quarto, in die Joannis & Paulli, perdiderunt Hamelenſes centum triginta triginta pueros, qui intraverunt montem Calvariam. Maria audi nos, nam tibi filius nil negat.*

Poſt cc mille, poſt octuaginta quaterq;
Annus hic eſt ille, quo languet ſexus uterq;,
Orbantes pueros centumq; triginta, Ioannis
Et Paulli caros Hamelenſes, non ſine damnis.
Fatur ut omnis, eos vivos Calvaria ſorpſit.
Chriſte tuere reos, ne tam mala res quibus obſit.

Adde quæ hac ipſa de re habet Joan. Wierus lib. I. de præſtig. Dæmon. cap. XVI. Lucas Loſſius, qui verſibus hiſtoriam deſcripſit, Hiſtor. Eccleſiaſt. pag. CCLXIV. Philippus Camerarius Horar. ſubciſiv. Centur. II. cap. II. Buntingius Chron. Brunſuic. part. III. qui tamen in anno variat. Ponit enim MCCLXXXII. Meminere hiſtoriæ etiam Joan. Pomarius Chron. pag. CCCCXIX. Joan. Lampadius Mellificij Hiſtor. part. III. Petrus Albinus in der BergChronica pag. CXII. Hiſtorias diverſas quidem alias, non abſimiles tamen prorſus, vide apud Guilielmum Pariſienſem Hiſtor. Anglic. pag. CCXXX. edit. Tigur. & Joan. Becchererum Chron. Thuring. pag. CCLXXII.

Qui vero addunt in felicem iſtum caſum novam peculiaremque Hamelenſibus peperiſſe Epocham, ſive Æram, næ illi vehementer falluntur: cum nihil hujus unquam publicè ſcriptum fuiſſe, à fide dignis ejus loci hominibus non ſemel audierimus.

Pag. 135. *Richenſe)* Sic habet diploma Leonis, datum eo ipſo

ipso anno, quo pater Henricus Subertus vitam cum morte commutavit. Ab alijs aliter scribitur. Helmoldo est *Rickenze:* eodemque modo habet diploma Lotharij Cæsaris. Ottoni Frisingensi lib. VII. cap. XXIII. *Richinza:* hunc sequitur Stadensis: Vrspergensi *Richensa*: Dodlchino in append. ad Marianum Scotum *Richnisa:* Chronico Lauterbergensi *Richsa.* Quam scripturam inveniens Crancius in veteri Chron. Saxon. nostra lingua *Rixe*, inde inauspicatum nomen Latinum fecit, *Rixa*, novam videlicet Xantippen. Est autem vocabulum compositum ex duobus, Reich & Segen/ divitijs nempe & benedictione.

Pag. 136. *Henrico Austrio)* Hujus fratri *Leopoldo*, cognomento *Largo*, filio *Leopoldi Pij*, Conradus Suevus Imp. Bojariam, Henrico Superbo Guelfio ereptam, tradidit possidendam: quæ res excitavit bellum civile in Germania. Verum utroque, tam Superbo, quam Leopoldo defuncto, idem Cæsar *Henrico Austrio*, Leopoldi Pij filio primogenito, dedit Bojariam, & cum ea Gertrudin Lotharij filiam, superbi viduam.

Pag. 137. *Elica)* Nomen est Germanicum, diminutivum ab *Eila*, cui respondet *Hilla:* utrumque vocabulum est à celeritate in negotijs expediendis. Ab illo composita *Eilardus, Elimarus, Eilbertus:* quæ Germanice Eilant/Eilmeyer/Eilwant: ab hoc *Hillebrandus, Hilleboldus, Hillebodo, Hildegardis* &c. quorum etymologia nota.

Pag. 139. *Et Angliæ & Daniæ regibus)* Angliæ rex hoc tempore erat *Richardus*, cognomento *Cor Leonis*; Daniæ *Canutus*, Woldemari F. hujus nominis sextus. Hic gener ac sororius Henrici Leonis.

Pag. 148. *Nobili illa tabula)* Vide Buntingium Chron. Brunsuic. parte II. & Georg. Agricolam de natura fossil. lib. IIX. cap. IV.

FINIS.

BARDEVICVM DESTRUCTUM:

SEV

PARENTALIA,

DIVO IVLIO PACIFICO,

DVCI BRVNSVICENSI AC LUNEBURGENSI,

FVNDATORI ACADEMIAE IVLIAE,

ANNO cIↃ IↃ c II

decimum quartum facta,

ab

HENRICO MEIBOMIO.

Seneca Epist. LXXI.

Omnes quæ usquam rerum potiuntur urbes, ubi fuerint aliquando quæretur, & vario exitij genere tollentur.

Rutilius Numatianus Itiner. lib. I.

Non indignemur mortalia corpora solvi
Cernimus exemplis opida posse mori.

BARD.

BARDWICI tumulos & fata suprema protervis
Accelerata alijs, gentemque à stirpe recisam,
Dicere fert animus. Lux postulat annua sacrum
Pacifico indigeti: cui dum præconia solvo,
Mavortisque odium & curam dilaudo quietis,
Eminus intueor tua busta & triste cadaver,
Causarumque memor, quæ te mersere profundo,
Exemplo obtestor populos sine more furentes,
Decretumque tuis inculco sororibus illud,
Discite justitiam monitæ & non temnere Reges.
Phœbe fave, tuque ò custos industria gestæ
Musa rei: fac fama meas vetus involet aures,
Et repetita novos decurrat ad usque nepotes.
Vrbs antiqua fuit, Bardi struxere vetusti,
Sub rigidi flabris Boreæ, qua gurgite nigro,
Emensus steriles campos & tristia rura,
Elmana spumosum declivis anhelat ad Albim.
Dives opum, bellique patens, cum sola sub Arcto
Emporium commune foret. Nam Balthica nondum
Æquora sulcabat peregrinis navibus hospes.
Nec portu Lubeca suo, nec Luna salinis
Accumulabat opes, nondum numerosa videbat
Carbasa Gambrivius Zephyros captare secundos,
Et refluis pugnare vadis. Erat omnibus unum
Bardovviga forum, & socias regina per urbes
Iura dabat: donec vesana superbia cœcam
Impulit in scelus, & perjura rebellio totam
Funditus evertit. longa est injuria, longæ
Ambages, sed summa rei fastigia strictim
Persequar, & paucis involvam plurima verbis.
Ter Zephyri molles immitis frigora brumæ
Dispulerant, verique calens successerat æstas;

Exilij-

ijque probrum, raptique injuria regni,
ius occurrens animo, stimulare Leonem
ipit: antiquæ memor ut virtutis, & alti
guinis, oblatos iterum sese armet in hostes,
xilijs fretus socijs atque ære Britanno.

Ille quidem objectas acies atque agmina certis
ud nescit disposta locis, unumque reversi
pectare caput, quo belli finis & ævi
celeret: tamen ire juvat, fortique secundæ,
ɩod superest misero, totum committere. Sceptris
utus, capitisque minor, producere vitam
dignum putat esse viro. Iam merserat undis
œbus equos. fugiensque polo Titania lampas
axerat obscura piceam caligine noctem,
somnis ecce ante oculos Victoria sese
stit Guelfiadæ. Facies heroica & artus
oceri monuere Deam, nec sanguine cretam
ortali. Quæ postquam oculos per singula volvit
lembra viri, has visa est expromere fervida voces.

Non somni tibi tempus iners, ingentia dudum
usa vocant, regumque graves ignave paratus.
spice securos, qui te de culmine summo
ræcipitem stravere solo. Pars induit arma
ellatura foris magno cum Cæsare contra
arbarias Orientis opes. Pars exule spreto
orpet & ereptas custodit segniter urbes.
umpe moras omnes, nec tanto cardine rerum
)iffer iter. Me palma tuas præeunte sequetur
ndubitata manus, & erunt tibi præmia belli.
)ixit, & in tenues evanuit ocius auras.

Illi rupta quies sparsit sudoribus artus,
rigiturque toro: nec jam suspendit inaudax

Propositum, veteresque timet dejectior hostes.
Arma fremit, classemque rogat, non abnuit Anglus.
Auxilium præbere socer terraque marique,
Quantum opus est, jubet æra, manus, navalia tradi.
Nec mora, procumbunt quercus, sonat icta securi
Fraxinus, & serræ strident. Labor omnibus unus
Ædificare rates, & sternere puppibus undas.
Quas ubi perfectas didicit, portuque frequentes
Cæruleis innare vadis, valedicere Regi
Festinat Leo, vix lacrimas compescit uterque.
Rex prior: i felix, & post tot damna merere
Fortuna meliore frui. Matura senectus
Per se grande malum est, ærumnas adde, vagumque
Exilium. Quid pejus erit? deferbuit ultrix,
Vt spero, vindicta Dei. Vertigine cuncta
Sors rotat & pressis aliquando resurgere fas est.
Ille sub hæc: non me virtus antiqua reliquit,
Non animi robur, quantumvis cætera pridem
Abstulerit fortuna nocens. Sortem ire per omnem
Iam didici non tiro novus. Neque sceptra requiro
Circumfusa odijs, cum lucem instare supremam
Canicies rugosa probet. Sed perdere natis
Desidia, quod jure petunt, virtute Leonis
Indignum. Experiar sortem, mediosque per hostes,
Qua Rhenus, qua fertur Alar, qua turbidus Albis,
Marte ruam. Si non omnis mihi debita tellus,
Quam tenuere mei, quamque æquo fœdere rexi,
Non postrema tamen mihi portio cedet, & ultus
Invidiam casusque meos hæc astra relinquam.
Tu longum cum stirpe vale, geminique nepotis,
Quo res cunque cadat, veterem non exue curam.
Hæc ubi dicta dedit, notum festinat ad amnem,

Atque

Atque hic ingentem comitum coiiſſe novorum
Conſpicit admirans numerum. Rex providus ultra
Miſerat, & validis juvenes inſtruxerat armis,
Conſcendunt avidi puppes, hinc Britones, illinc
Germani, junguntque manus & fœdera, ituri
Quo fortuna vocet, quo Principis imperet ardor.
Nec mora, falcatum vagina diripit enſem
Nauclerus, ſtrictoque ferit retinacula ferro.
Aſpirant auræ faciles, longo ordine naves
Erumpunt portu, latumque feruntur in æquor.
Inſtant Æolij fratres, & flamine multo
Carbaſa diſtendunt. Vbi tertia fulſerat Eos,
Apparet ſtatio, nec ſe amplius occulit Albis.
Cælatum reliquos, tibi ſoli Hartvvice patebat
Conſilium Guelfi: poſtquam te Brema cathedræ
Pontificem & ſacris ephorum præfecerat aris.
Quid vellet cuperetque Leo. Te litera tectis
Admonuit præſcripta notis. Qui fata doleret
Exulis unus eras, & ſi ſors verſa regreſſum
Poſſet habere, tuis ſe totum crederet armis.
Nec latuit proceres illud, nec Cæſaris aulam
Irati: primum tenuis ſuſpicio miti
Crevit ab affectu, ſeu quod moderatior eſſes,
Cùm dicenda foret ſententia: ſive quod arma
Indueras nunquam, cum bacharentur in unum
Et gentes & regna caput. Perſuaſio crevit
Moliriq́ aliquid, totumque favere Leoni.
Urbs eſt antiquis patriæ notiſſima factis,
Ad ripas, vage Suinga, tuas: quod navibus eſſet
Appulſis ſtatio Stadium dixere vetuſti.
Aucupis à ſceptris Henrici pene ducentas
Per meſſes Comitum nunquam interrupta notantur
 Stem-

Stemmata. Poſtremus Bremenſi contulit urbem
Atque agrum cathedræ, ſed non ſine lite cruenta
Sanguine junctorum. Quos inter primus haberi
Guelfiades voluit, cui ceſſit Epiſcopus ultro
Hartvvicus, ſua jura manu tabulisque reſignans.
Vrbe Leo egregia & numeroſis civibus auctus,
Extemplo reficit muros, turresque ruinis
Deformes. Pax longa viris exemerat acre
Armorum ſtudium, foſſasque impleverat alga,
Et vallum dumis. Purgatur ſentibus agger,
Editiusque caput tollit, diffuſior unda
Ducitur in foſſas, cataractaque pendula valvis
Deſuper incumbens triplici tegit oſtia crate.
At Ducis Arctoas ſpargebat fama per urbes
Adventum, ſociasque manus, ſortisque ſecundæ
Auſpicium felix: gentem ſine Marte ſubactam,
Munitosque lares. Rumoris nuncia diri
Horrebant, quibus ingenium cœleſte Leonis
Indomitumque animi robur, atque impetus ardens
Notus erat. Nondum tot mœnia funditus igni
Hauſta, nec exciſæ tormentis grandibus urbes
Exciderant animo: ſtagnantes ſanguine rivi,
Sparſaque per latos cæſorum viſcera campos
Occurrunt oculis. Mallent in fœdera nunquam
Veniſſe, & notum non oppugnaſſe Leonem.
Eſt locus, Holſatiam noſtri cognomine dicunt,
Dives agri, dives nemorum, gens Cimbrica quondam
Incoluit, nunc Saxo tenet: dant flumina fines
Quatuor: ad Zephyrum proniquecubilia ſolis
Terminat exundans Albis: Trava ſalſus ad ortum.
At latus, unde nives Boreas jacit aſper & imbres
Concretos, claudit piger Eidora: limes ad Auſtrum

Gam-

mbrivios vitreo discernit gurgite Billa.
Hæc sese reduci submisit prima Leoni,
ıſa datam temerare fidem. Schomburgius olim
unere Lotharij regnandam acceperat heros:
mque aberat ferrum accinctus, pro nomine Christi.
nmemor absentis Domini gens tota Leonis
ıbditur imperijs, sceptroque subesse recentis
iaudet heri. Tantis successibus auctior ille
ngentes vomit ore minas, totumque reposcit
Conjurata manus procerum quod ademerat armis.
His animadversis socij fidique clientes,
Quos olim armorum comites, dum fata sinebant,
Mox etiam ærumnæ conversis rebus habebat
Participes, junxere manus, & quicquid iniqua
Tempestas reliquum dederat superesse, saluti
Vnius obstringunt. Primus se Wolpius offert
Iam senior, sed cruda viro pollensque senectus.
Ad vitreum tellus illi non parva Visurgim,
Sed populata armis, postquam civilia bella
Horruit, & tanta nihil admisisse Leonem
Dignum clade monet. Post hunc Raceburgius arma
Expedit: hunc gelido profugum submoverat Albi
Ascanius ductor, raptasque impune tenebat
Præsidijs arces. Suerinius ultimus istis
Accessit Comes, & vindictam totus anhelans,
Iam satis incensum pergit stimulare Leonem.
Magnanimi heroës, & non invisa Gradivo
Pectora, vos cælo sublimes gloria tollit.
Cum belli rabies flammata cupidine regni,
Cognatasque oblita domos, damnata feriret
Fœdera, & audaces sceleraret crimine dextras;
Vos pietas insons cognatæ stirpis amore

Imbuit, & vetitis mites dimovit ab armis.
Dum vehet Albis aquas, hirtoque cacumine cælum
Hercynius pulsabit apex, dum Balthica Tethys
Dividet æquoreis pugnacem Saxona Danis
Æternum vos fama canet, patrioque triumphos
Carmine posteritas festa inter pocula dicet.
Quo convertat iter, quem primum provocet hostem,
Addubitat Guelfus. Pars debellanda Visurgi
Et Rheno interjecta putat, quod grandius illic
Robur, & infestus reliquis magis omnibus hostis,
Vrbis Agrippinæ Præsul: quo Marte repulso
Concidat omne nefas, odiumque immane tepescat.
Pars jubet Ascanij terras inimicaque castra
Primitus invadi, cum nemo nocentior illo,
Seu vim seu fraudem spectes. Hunc Cæsaris aulam
Implevisse odijs, proceres ad iniqua vocasse
Fœdera, nunc præda & spolijs immaniter uti.
Qui nisi mature vicino pulsus ab Albi
Exulet, haud pacem populis, nec tuta futura
Otia. Posterior placuit sententia Guelfo,
Visaque commodior, jam tum bis quina virorum
Millia, selectos equites peditumque cohortes
Ille recensebat, quorum se credere dextris
Ausus & ingentis quærens exordia belli,
Bardorum ad vicum mittit, qui nuntia portet
Civibus; adventare Ducem, cui totius urbis
Ius vetus, obsequium cui debeat incola plenum.
Arma quidem secum atque instructas ære phalangas
Ducere, sed patriæ mitem, blandumque venire,
Hosti terribilem. Tota trieteride passum
Vim, probra, exilium: mirum quod vita supersit!
Quæ nec tuta satis. Post tot fastidia presso

Surgere spem reditus, dextrumque affulgere sidus.
Hic minime desint, qui nunquam justa petenti
Defuerit. Pandant portas, & mœnibus ipsum
Accipiant: quicquid pacta & conventa reposcant,
Facturum primo ingressu. Non copia fandi
Prolatis aberat, meruitque modestia laudem.
Æqua peti dixere patres, plenoque senatu
Responsum: veniat qualem promittitis ipsi,
Nos cupimus. Tantum melior fortuna sequatur,
Et penset commune malum. Nos obruit idem
Fluctus, & extremos capitis dolor ivit in artus.
Ille exul, nos oppressi: procul audijt hostem,
Vidimus hic coram. Nondum tamen omnia Guelfo
Iuratam minuere fidem. Si pristina salva est
Libertas, veniat, devotaque tecta reviset.
Hæc illi. Incertum an vero candore. Negabant
Expertæ toties fraudes, & lubrica semper
Vsurpata fides. Nil ultra poscere jussi,
Laudavere animum & prompti responsa Senatus
Legati, mentemque rogant tueantur eandem,
Quicquid fata ferant, dubitent de Principe nunquam.
Atque ita dum reficit labefactam curia pacem,
Divulsosque animos in mutua fœdera ducit
Comiter. En ingens varia crudescit in urbe
Seditio, motusque ciet temeraria plebes.
Scilicet hæc facies, & longo tristis ab ævo
Vrbis conditio: retinebat nuda Senatus
Nomina, rem populus. Fas illi condere leges,
Huic abolere iterum. Patrum consulta tribuni
Mutabant quoties libitum, nec turpe putabant
Circumstare forum, canisque extrema minari.
Hoc libertatis studium solemne vocabant.

Hoc odium commune jugi. Turpissimus illic
Quisque ferebatur, pulsisque aliunde receptus
Tutus erat. Mores hi diffudere sinistros
Latius, & totam macularunt sordibus urbem.
Ac nisi maturas properasset sumere pœnas
Ira Ducis, placidumque alias traxisset in arma
Profligata manus; civili quassa tumultu,
Legibus eversis, pietate & jure subacto,
In flammam & cineres urbs subsedisset inanes.
Non erat is populus, cui pax tranquilla placeret,
Quem sua libertas projectis pasceret armis.
Sic eat, ô Nemesis, quando pietasque fidesque
Excessere foro: quando reverentia sceptri
Nulla super, populique furor bacchatur acerbus.
Verum ubi fama loquax, resolutis libera linguis.
Vulgaret responsa patrum, quæ commoda Guelfi
Legatis dederant, & discordantia passim
Iudicia & tacitos cieret serpendo susurros:
Mox omnes, ceu dira animos turbasset Enyo,
Aut aliud monstrum, furiata mente ruebant
In commune nefas. Fora, compita, strata viarum
Plena armis & plena minis. Fragor undique multus
Et rauci strepitus, atque indignatio frendens
Atque aliquis spreta vulgi de fæce, vel udus
Fullo, vel horrentes gelidis abstergere alutas
Suetus aquis cerdo, dubium vaga fama reliquit,
Torva viro facies, oculi livore cruenti,
Hirsutumque supercilium, propexaque barba,
Congeneres inter socios, notosque tribules,
Huc illuc volvens oculos, sic ore profatur.
Quem rebus tumidum gestis, magnoque superbos
Æquantem imperio reges, nisi comiter illud
Posceret, haut unquam portis admisimus, isti Omni

inibus afflicto jam casibus omnium inani,
saris obliti mandata, ducumque potentum,
idiam, fasces dabimus, dominumque feremus?
quo libertas nobis sive ære repensa,
e alijs extorta modis? rescripta, tabellæ,
conventa probant nunquam servire coactam
dopolin. memini, sæpe est quæsita potestas,
ud admissa tamen. Nec vis nec jura movebant
ociles jurare aliena in verba. Sed esto:
illi fuerit, nostri servisse ferantur,
ertum qua lege, reor. Iam tempus iniquum
clinare jugum, atque oneri subducere colla.
quæ se melior nobis occasio sistat?
ımen, opes, virtus una calcata ruina:
id restat misero? fatis accedite segnes,
spoliatereos. Si quem hic pudet esse malignum,
speret meliora humilis. Non provenit ulli
perium sine fraude, nec est ditescere promptum
modicè justis. Discant orare, quod optant,
on mandare Duces, & clausis objice portis
suescas minor esse Leo. Non nasceris hæres
perio, sed lectus adis. Non subdita vere
ns sumus. insolitis quid inique vocibus uris?
c socios, dic immunes, nec plura, clientes.

Vix ea fatus erat, cum tota veste cruentus
osilit in medium lanio, qui cæde patrata
rnificis nuper strictum vix fugerat ensem:
omptus ad omne nefas. Is fandi tempora nactus,
rcumfusum orbem torvo sic increpat ore.

O natum servire genus, jussusque minaces
clementis heri nullo sufferre tumultu!
ud juvat hic agitare moras, & tempora fando
rdere, & alternis animos suspendere verbis?
e domum, curate focos, disponite mensas:

n cupiant: ridentque moras. ô cæca nocentum
ora delirosque animos ! quid fingitis hostem,
sine bile venit? Quid jurgia nectitis illi,
pacem tranquillus agit? ne poscite Martem:
muros cataphractus obit, jam lampada quassans
gladiosque manu, quod sanciit æther
:lerare parat. Jam flamma Tonantis inarsit
:stras ruitura domos, jugaque aspera sumpsit
:ribus mœstum bos inducturus aratrum.
Sunt tamen inventi, mihi fas ita credere cives
lati, quos ille furor lymphatus & effrons,
nploque carens extremè offenderet. Urbem,
d urbem, sed nequitiæ sceleris que nefandi
inam, ac stabulum latronum infame, quietos
ımare Deos pœnasque exposcere cernunt.
l faciant? obstare malis & frangere motus
guineos æquum est: mature incendia sisti
let amor patriæ. Sed totos fusa per artus
nsierat pestis, medicamque exhorruit ulcus
ale manum. Non sic Euripus inundans
arit alternos volvens ad littora fluctus:
simili Syrtis fremit impacata tumultu,
tolidum vulgus, non illo bellua pejor,
ne audere scelus, atque omnia vertere fundo.
Audierat Guelfus placidi responsa Senatus:
iit & plebis furias. spes creverat inde,
ic plane exstincta est. superos testatur & astra
tum propriis se irasci civibus, ægreque
pugnare suos. Ergo mihi Marsus & acres
runt Cimbri, tellusque aliena subacta est,
ores voluere mei, sua juraque longe
nscripsere tibi? nempe ut violentior ires
uodcunque nefas. Exemplum turpe dedisti
idiæ moturum alias non segniter urbes

Vt parere negent. non hoc ego lævus inultum
Permisisse legar facinus. contagia fero
Sistam dira truci, ne dilatata vagentur
Vlterius. Tu posteritas, quæcunque futura est,
Hæc longe exaudi, dignasque rebellibus iras
Hauri oculis. cum legitimo sub Principe posco
Pace frui, & nullas belli sentire ruinas,
Maluit esse nocens atque irritare quietum.
Vrbs oblita sui. Si quid crudelius ardens
Miles agit: Si pœna sequax manabit in omnes,
Parcat fama mihi. Sic postquam fatus ad urbem
Haud trepidam convertit iter. Tunc mœnia clausa
Conspicit, atque hominum densa vallata corona.
Vincit adhuc, reprimitque iras, vulgumque furentem.
Si coram videat vultus & principis ora,
Flecti posse putans, iterum sibi mœnia dedi
Postulat, & veniam in consulti criminis offert.
Excipiunt risu, infandùm! suprema loquentis
Verba Ducis, salibusque nigris convicia miscent
Improba. tum vero audaces effusus in iras;
Non audita alias furibunda mente profatur.
Audite hæc proceres, & vos lectissima bello
Pectora, quos hujus testes mihi lucis & actus
Sors dedit, an pejus terris quid perpetret ausis
Gens infrena virum? portis me excludere spretum
Non satis est, addunt turpi ludibria facto.
Heic fidei immemores. Alibi clementia virtus,
Hic scelus est amens. Atque ô prius ima dehiscat
Terra mihi, atque umbris alio sub sidere jungat,
Quam ferar opprobrijs istis laceratus inultus.
Festinate viri, fontesque invadite muros:
Sæviat ignis edax, istoque inimicior ensis.
Nesciat ira modum, & nullo discrimine cives
Innocui cum sonte cadant: non impetret ætas
Non sexus veniam. Furor omnes obligat idem

...rilegus, sit pœna eadem commune sepulchrum
...ma, viros, ædes, ceu dira cadavera condat.
Dixerat & totis inflari classica campis
...licit: mox caussa nocens tam præpetis æstus
...iditur in castris, facinusque infame patescit.
...um vero increscunt animis flagrantibus iræ,
...ertatimque volant ad propugnacula: vallum
...ars ruit, & fossas revolutis molibus implet.
...uærunt pars aditum, & scalis ascendere muros
Qua minor est agger. Telorum effundere contra
Omne genus Bardi, ac duris detrudere contis.
Ante alios Guelfus patrijs insignis in armis
Nunc picea jactat stridentem lampada flamma,
Nunc sude nunc saxis, jaculo nunc impiger instat.
Pugnanti sublimis adest Victoria, & ictus
Desuper, ut nunquam sine clade ferantur in hostem,
Dirigit. Hic jaculo ruit, alter pondere saxi,
Illum flamma necat, pice multa & sulphure stridens:
Mors pretium commune venit. Stupet æmula turba
Sudores fremitusque Ducis. Nec sustinet armis
Esse minor, dubiumque adeo cuj bella gerantur.
Turris erat Zephyrum contra, solemque cadentem
Ardua, prospectu vasto, cum cætera pridem
Fama Deum pietas alios vertisset in usus,
Huic uni parsum est. Persuaserat impius error
Numen inesse loco, minimeque impune noceri.
Hanc oppugnandam sortito acceperat heros
Wolpius, antiquo Comitum de sanguine princeps,
Dilectus multum Guelfo; speculatus hiantes
Ille oculis rimas, lapidisque foramina crebra
Coctilis, haud dubiam in spem pervenit inde futuram
Ancipitis pugnæ finem. Iubet ergo sodales,
Nomine quemque vocans, fragiles invadere muros.

Nec mora, contortos implacatiſſimus ictus
Fert aries, ſemperque aliquid de parte petita
Diſſipat: inſiſtunt cocca teſtudine tuti
Nituntürque aditu laxas aperire feneſtras.
Heu nihil invitis fas quenquam fidere Divis!
Sive hîc aut numen, ſeu tantum machina pugnet,
Arietis impulſu turris pars magna ruinam
Traxit, & ingenti lateres diſſolvit hiatu.
Inſtat vi patria miles, patefactaque caſu
Oſtia perrumpit: ſed non & ſegnius intus
Objectis trabibus, ſparſoque repellitur igni.
Vincuntur numero cives, totamque repente
Vndique concurrens exercitus occupat urbem.
Quis cladem illius lucis, quis funera dicat,
Calliope? cædes, incendia, ſtupra, rapinas,
Non mea centena ſi laxet pectora voce,
Enumerare queam. Nati cecidere parentum
Ante oculos, inque amplexu mactata mariti
Occubuit conjunx, & fruſtra voce rogantis
Auxilium patris conſpexit funera natus.
Interijt gladio cui flamma pepercit, & igni
Illæſus ferrum ſenſit. Non profuit ætas,
Non ſexus. Iacuere ſenes per compita cani
Admiſti pueris, & nondum luce petitus
Occidit ante diem tenebris immortuus infans.
Nec minus in totas Vulcanus ſæviit ædes,
Quam ferro inſtructi juvenes. tum mœnia quaſſa
Procubuere ſolo, turresque dedere ruinam
Aurataque domus, & celſa palatia flammis
In cinerem & tenues abierunt hauſta favillas.
Vix templis parſum eſt, ſuperant deformia nimbis
Et ſenio, quæque urbs fuerit & quanta loquuntur.
Hic finis vici Bardorum, hæc obruit illum
Tempeſtas, ipſi ſibi buſta rogosque parantem.
Hei mihi! quam tenues vertunt ingentia cauſſæ!

Vrbs

›s antiqua ruit, longum dominata per ævum,
rte opibusque potens: momento concidit uno
icquid erat magnum, quicquid spectabile, priscus
endor, & à multis quæsita potentia seclis,
tenues instar fumi disparuit auras.

Noluit hoc Guelfus. Potuisses fulminis expers
n diri florere solo, terrisque superbum
entare caput. Clementia victa benigni
sit, & in rigidum patiens induruit hostem.
ic nunc miseranda jace, mundoque ruinas
ineres ostende tuos. Ubi marmora quondam
:a renidebant; ubi cultu divite multus
ificium labor in se oculos rapiebat & ora,
nc dumi steriles arbustaque vilia crescunt,

Non hoc fortuito Divisque absentibus actum.
:de mihi, meruere tui, meruere furores
orem sentire Deum, qui numen in esse
;ibus affirmat, tantumque vicaria cælo
ptra dari, non marte rapi. Perjura tulisti
:rnum opprobrium, nec spes neque gratia restat.

Audite hæc gentes, & quas Hyperione natus
icet exoriens, & quas sublimior intrat:
sque superbificis incinctæ mœnibus urbes,
;norum tituli. Multis ignoscere norunt
minibus superi, veniamque invenit adulter
›ius & raptor. Violenta rebellio nunquam
›unita fuit: nullum truculentius odit
itione nefas æterni providus auctor
linis & tutor. Veteres evolvite fastos.
acient exempla fidem; nec secula nostra
orant. Deus est, per quem Respublica nata est,
o servante manet, quo dissolvente fatiscit.
jus sceptri sanctum, illi purpura numen.

Discite ab hoc casu, miseræque à clade sororis
re magistratus, æquasque assumere leges.

Deci-

Desipit egregio quisquis sub principe credit
Servitium: multos alibi persuasio lusit,
Hic rata libertas, quæ nusquam verior exit,
Quàm sub rege pio. Tantùm moderatio præsit
Consilijs, mediumque tenens extrema repellat.
Hoc ubi neglectum est, oritur suspicio & impos
Effrenumque odium, ac tandem lacrymabile bellum.
Hæc sunt, quæ nostro liceat vos ore monere,
Intuitæ clades & mœstæ fata sororis,
Discite justitiam monitæ & non temnere Reges.
At tu, quem cælo pietas & plurima virtus
Inseruit pridem, rerum pater optime, Iuli:
Haudquaquam invitus generosi facta Leonis,
Vindictamque gravem, sumptasque à numine pœnas,
Audieris hac luce tua. Te pacis alumnum
Vidimus expertique sumus, non classica miles
Sub te pulsavit, non induit arma Gradivus.
At secura quies urbes habitavit & agros,
Cui sociæ junxere manus, præstoque fuerunt
Relligio, leges, artes, opulentia, cultus,
Libertasque auro potior, cælestia dona.
His tua regna frui bellorum ignara volebas.
Si tamen impatiens flectique regique tumultus
Movisset rabies, turbasque incensa dedisset,
Haud equidem sine vindicta, sine marte fuisses.
Dissimulare aliquid, lapsuque ignoscere noras;
Dummodo majestas regni tibi salva, nec ulla
Parte minor respectus heri, cautumque supremis
Legibus obsequium nunquam hæc violata tulisti
Salve heros heroum. Atque his insistere prolem
Cerne tuam, jurisque sui pactique tenacem.
Quem si in bella ciet cumulata injuria, caussa
Pro meliore Deus cælestibus excubet armis.
Salve iterum, magnoque hæc non ingrata Leoni
Ad placidas defer sacer internuncius aures.

FINIS.

ANDRONICI,

ejusdem nominis secundi,

IMPERATORIS CONSTANTINO-POLITANI,

AVREA BVLLA,

DATA

HENRICO, HENRICI MI-RABILIS F. ALBERTI MAGNI N.

DVCI BRVNSVICENSI,

regiones Orientis perlustranti,

ante annos penè

CCC.

Cum Notis ad Bullam, deq; Principis eiusdem posteris Narratione exquisita,

HENRICI MEIBOMII.

Pars Genealogiæ Ducum Brunſuicenſium,
in quâ aliquot Perſonæ ab alijs ſcriptoribus omiſſæ indicantur.

Henricus Leo

- *Henricus Dux Saxoniæ & Palatinus Rheni, cognomento* Longus.
- *Otto Roman. Imp.*
- *VVilhelmus* Craſſus.
  - *Otto* Puer.
    - *Albertus* Magnus.
      - *Henricus* Moroſus, *ſive* Mirabilis.
        - *Henricus.*
          - *Otto princeps Tarenti in Italiâ.*
          - *Balthaſar Comes Fundarum.*
          - *Riddagus.*
          - *Melchior Epiſcopus primum Oſnaburgenſis, deinde Suerinenſis.*
        - *Erneſtus.*
        - *Ioannes.*
        - *VVilhelmus.*
        - *Alſine.*
        - *Alheidis.*
        - *Hagna.*
        - *Facie.*
      - *VVilhelmus.*
      - *Albertus* Pinguis.
        - *Otto. Albertus. VVilhelmus. Henricus. Luderus. Ioannes. Magnus. Erneſtus. Adelheidis. Richēſe. Mechtildis. Iutta.*
    - *Ioannes.*

Alber-

ALbertus cognomento Magnus, sive Senior, *Ottonis* primi Brunsuicensis Ducis Filius, *VVilhelmi* dynastæ Lunæburgici Nepos, *Henrici Leonis* Bojoariæ & Saxoniæ Ducis Pronepos, ex *Adhelizâ*, sive *Adelheide*, sorore *Ottonis* marchionis Montisferratensis, quam in Angliâ, ubi apud reginam materteram educabatur, sibi copulavit, sex filios genuit, & vnicam filiam. In filijs enituere maximè, *Henricus* primogenitus, conditor familiæ *Grubenhagensis*, ut vulgò loquimur, & *Albertus* domus *Brunsuicensis* ac *Lunæburgensis* auspex. De horum posteris aliquid nunc dicemus, sic tamen, ut de Alberto primùm verba faciamus.

Ei ab obesitate corporis, quâ avum *VVilhelmum* penè æquavit, *Pinguis* cognomentum coætanei indiderunt. De matrimonio consentiunt omnes, quòd nimirum cum eo nupta fuerit *Richense* filia Dynastæ alicujus Herulorum, sive VVerlensium in Henetis ad mare Balthicum. Ex hac sustulisse scribitur filios sex: *Albertum, Henricum, Joannem, Ottonem, Magnum* & *Ernestum*. Referuntur hi ab auctore Chronici Saxonici vernaculâ linguâ exarati. Hieronymus Henningesius addit filiam unicam N. quæ magna fuerit sacerdos in pervetericœnobio *Gandesiano*.

Habuisse autem Pinguem plures utriusque sexus liberos, dubium non est: quorum aliquot ab alijs non animadversos prætentosque, hoc loco per commodam occasionem indicabimus.

Vidi literas donationis Principis Alberti, communicatas mecum ab admodum reverendo, amplissimoque viro, Dn. Petro Windruvio, illustris cœnobij Riddagshusani abbate laudatissimo, datas A.C.MCCCIX. earum initium tale est: *In nomine Domini, Amen. Albertus Dux de Brunsuik, omnibus*

Pars Genealogiæ Ducum Brunsuicensium, in quâ aliquot Personæ ab alijs scriptoribus omissæ indicantur.

Henricus Leo

- *Henricus Dux Saxoniæ & Palatinus Rheni, cognomento* Longus.
- *Otto Roman. Imp.*
- *VVilbelmus* Crassus.
  - *Otto* Puer.
    - *Albertus* Magnus.
      - *Henricus* Morosus, *sive* Mirabilis.
        - *Henricus. Ernestus. Ioannes. VVilbelmus. Alsine. Albeidis. Hagna. Facie.*
          - *Henricus*
            - *Otto princeps Tarenti in Italiâ.*
            - *Balthasar Comes Funderum.*
            - *Riddagus.*
            - *Melchior Episcopus primum Osnaburgensis, deinde Suerinensis.*
      - *VVilbelmus.*
      - *Albertus* Pinguis.
        - *Otto. Albertus. VVilhelmus. Henricus. Luderus. Ioannes. Magnus. Ernestus. Adelheidis. Richesa. Mechtildis. Iutta.*
    - *Ioannes.*

Alber-

*A*Lbertus cognomento Magnus, sive Senior, *Ottonis* primi Brunsuicensis Ducis Filius, *VVilhelmi* dynastæ Lunæburgici Nepos, *Henrici Leonis* Bojoariæ & Saxoniæ Ducis Pronepos, ex *Adhelizâ*, sive *Adelheide*, sorore *Ottonis* marchionis Montisferratensis, quam in Angliâ, ubi apud reginam materteram educabatur, sibi copulavit, sex filios genuit, & vnicam filiam. In filijs enituere maximè, *Henricus* primogenitus, conditor familiæ *Grubenhagensis*, ut vulgò loquimur, & *Albertus* domus *Brunsuicensis* ac *Lunæburgensis* auspex. De horum posteris aliquid nunc dicemus, sic tamen, ut de Alberto primùm verba faciamus.

Ei ab obesitate corporis, quâ avum *VVilhelmum* penè æquavit, *Pinguis* cognomentum coætanei indiderunt. De matrimonio consentiunt omnes, quòd nimirum cum eo nupta fuerit *Richense* filia Dynastæ alicujus Herulorum, sive VVerlensium in Henetis ad mare Balthicum. Ex hac sustulisse scribitur filios sex: *Albertum, Henricum, Joannem, Ottonem, Magnum* & *Ernestum*. Referuntur hi ab auctore Chronici Saxonici vernaculâ linguâ exarati. Hieronymus Henningesius addit filiam unicam N. quæ magna fuerit sacerdos in pervetericœnobio *Gandesiano*.

Habuisse autem Pinguem plures utriusque sexus liberos, dubium non est: quorum aliquot ab alijs non animadversos prætermissosque, hoc loco per commodam occasionem indicabimus.

Vidi literas donationis Principis Alberti, communicatas mecum ab admodum reverendo, amplissimoque viro, Dn. Petro Windruvio, illustris cœnobij Riddagshusani abbate laudatissimo, datas A.C. MCCCIX. earum initium tale est: *In nomine Domini, Amen. Albertus Dux de Brunsuik, omnibus*

Christi fidelibus, præsentibus & futuris in perpetuum. Etsi proprietas bonorum jure terræ consuetudinario dari debet in comicilio: verum quia id in desuetudinem propter defectum abÿt comicilÿ, necessario alÿs aminiculis quæsitis & habitis, hujusmodi datio in publicam redigitur notionem. Inde est, quòd tenore præsentium oblivioni locum subducentes, & labili hominum memoriæ succurrentes, duximus lucidè protestandum, quòd habito consilio, & requisito consensu omnium, quorum consensus fuerat requirendus, & præcipuè heredum nostrorum, filiorum videlicet: Ottonis, Alberti, Wilhelmi, Luderi, Joannis, *& filiarum,* Adelheidis, Rikecen, Mechtildis: *nec non omnium aliorum, quorum interest &c.*

Vidi præterea alias literas Ottonis primogeniti Alberti Pinguis, datas decennio pòst, hoc est, A. C. MCCCXIX. qui ab obitu parentis proximus, in quibus recenset fratres suos, *Albertum* Præpositum S. Alexandri Embecæ, *Henricum* Canonicum Hildesiensem, *Luderum, Joannem, Magnum, Ernestum:* sorores *Mechtildin* & *Iuttam*. Idem in alijs literis agros sibi resignatos donat monasterio Hujesburgensi, & nominat *Albertum* Canonicum Halberstadensem, & *Henricum* Canonicum Hildesiensem, utrumque ad annum MCCCXXIII.

Harum beneficio litterarum (quibus & quartas ejusdem Alberti Pinguis A. C. MCCCIII. datas, ejusque filios *Ottonem, Albertum, VVilhelmum* & *Henricum* inculcantes, adjungo) manifestum est, Alberto Pingui filios fuisse minimum octo: *Ottonem, Albertum, VVilhelmum, Henricum, Luderum, Joannem, Magnum, Ernestum:* filias quatuor, *Adelheidin, Richense, Mechtildin, Iuttam.*

In his *VVilhelmus* & *Luderus* cum sororibus suis, ab alijs præteriti, nostro munere nunc quasi reviviscunt. Nihil autem nunc ulterius de Alberti Pinguis posteris addam, satis esse ratus, demonstrasse, quantum ad pleniorem verioremque familiarum illustrium deductionem conferat, si ab histo-

riarum

riarum scriptoribus diplomata, literæ & instrumenta antiqua ex archivis deprompta inspiciantur.

Alter Alberti Magni filius familiæ *Grubenhagensis* conditor *Henricus*, (quòd austero more modoque omnia ageret, neque in præsenti fortunâ facilè acquiesceret, *Morosus*, sive ut vulgus scriptorum loquitur, *Mirabilis*, popularibus suis der Wünderliche/ nuncupatus) fœcundo & ipse usus est conjugio, quippe qui septem liberûm parens exstiterit. Hi in Chronico Saxonico, quod diximus, isto recensentur ordine: *Joannes* Præpositus Embecensis, *VVilhelmus* in juventute mortuus, *Henricus* & *Ernestus* ditionis paternæ heredes. Ex filiabus idem Chronicon affirmat, *Alheidin* nubsisse filio regis Græciæ, *Hagnam* principi Carinthiæ, *Elisabetham* Comiti Bichlingio. Chronico adstipulantur Henningesius & Reusnerus, addunt tamen *Margaritam* Barnimi II. Pomeraniæ Ducis conjugem, quod in medio relinquo.

Ego verò in litteris Henrici Mirabilis, datis Hertzbergæ anno MCCCIX. inveni tres ejus filios, totidemque filias indicari. Illi sunt *Henricus, Ernestus, VVilhelmus*: hæ, *Alsine*, *Alheidis, Facie*. In literis his initiò suspectum mihi erat tertiæ filiæ nomen (nusquam enim id legeram antea, neque intelligebam, uti nec-dum satis intelligo) rebarque mendum subesse: sed cùm postea Dominæ *Faciæ*, uxoris Bertrami à Werl, nomen anno MCCLXXVI. in litteris Henrici & Alberti Ducum Brunsuicensium, atque idem deinde nomen in alijs etiam litteris invenirem, adquievi. Si vero conjecturis sit utendum, poterit *Facia* esse eadem quæ *Bonifacia*, sicuti *Mia* est *Euphemia*, Germanis usitata primarum syllabarum in nominibus expunctione.

Alsinen puto esse, quæ vernaculo sermone nobis Elße/ ut sit *Elizabeth*, quam Henningesius *Friderico* Comiti Bichlingio nubsisse affirmat.

Adelheidis secundo genita (hoc enim innuunt literæ parentis) data est in matrimonium filio Regis Græciæ, ut Chron. Saxon. Quis verò ille *Rex Græciæ*, & quo nomine fuerit *Filius*, turpi, sed scriptoribus nostris illius ævi admodum familiari negligentiâ non indicatur. Quibus tenebris ut lucem aliquam inducamus pro virili nunc enitemur. Priusquam verò id faciamus, de filijs Henrici Mirabilis ordine aliquid commemorabimus.

Joannes, quem primogenitum statuere videtur Chron. Saxonicum, etsi à patre in litteris, quas dixi, omittatur, à fratribus tamen Henrico, Ernesto & Wilhelmo indicatur ad annum MCCCXXIV. & quidem ut vocetur *Clericus*. Ad dignitatem *Præpositi* in æde collegiatâ S. *Alexandri* apud *Eimbecenses* ascendit A. C. MCCCLXII. sed non diu isto honore gavisus est, quippe quem post quinquennium mors abstulerit. Visitur etiamnum hodie in æde, quam dixi, sepulcrum ejus cum tali inscriptione: *Ioannes Dux & Dominus Brunsuicensis, filius illustrißimi principis & domini, Domini Henrici, Ducis Brunsuicensis, Præpositus huius ecclesiæ S. Alexandri, obijt an. MCCCLXVII. X. Kal. Iunii, cujus animam habeat Dominus.* Successorem in dignitate accepit fratris Ernesti filium parenti cognominem.

VVilhelmus à Crancio in Saxoniâ lib. IIX. cap. XXXII. in infantiâ: ab Henningesio in pueritiâ, mortuus memoratur. In quo uterque fallitur. Meminit Wilhelmi parens ad annum MCCCIX. & ita meminit, ut addat, se ejus consensum requisivisse, quod nemo certè de puero, multo minus de infante pronunciarit. Præterea ipse cum duobus fratribus Henrico & Ernesto consensit translationi quorundam bonorum feudalium ad monasterium Riddagshusense, factæ A. C. MCCCXIV. iterumque quadriennio post stabilitæ: quo

anno

nno etiam ejus fit mentio in literis Joannis Præpositi, ut & n aliis Ernesti & Wilhelmi, fratrum literis. Vt ita vixerit, post rimam mentionem à parente factam, annos adhuc XIX. Quis vero hunc in pueritia, imo quis in infantia mortuum lixerit?

Ernestus natu minimus in divisione paternæ hereditatis um fratre facta, accepit regionem, quæ hodie Ducatus Gruenhagensis nomine venit, descenderuntque ab eo nusquam nterrupta linea Wolfgangus & Philippus, familiæ Grubenagensis Principes ultimi, non ita pridem defuncti.

Henricus, primogenitus Henrici Mirabilis (de quo præipue aliquid dicemus) exemplo avi Alberti, qui biennium n Galliis, diutius vero in Britannia apud *Henricum III* Angliæ egem, cognatum vixit, ibique secundam conjugem Adhezam, quam dixi *Leonora* reginæ Angliæ consanguineam, xorem duxit: exemplo etiam atavi, Henrici Leonis (cujus er Orientem peregrinationes ab Helmoldo Buzoviense in list. Slavica, lib. II. à cap. III. usque ad XIIX. & Crancio axon. lib. VI. cap. XXIX. & sequentibus aliquot, luculenter escribuntur) exteras regiones, moresque multorum homium cognoscere satagens, non tantum Italiam, Austriam, annoniam aliasque regiones illis finitimas, sed Græciam tiam & Cyprum insulam perlustravit. Vnde & vulgo *Dux enricus de Gracia* fuit dictus, quo nomine etiam ipsum appelt Iutta, Abbatissa Quedlinburgia in literis ad annum ICCCXI III. Lustrata porro Græcia, Palæstinam quoque odem itinere invisit & Sepulchrum Domini, atque ipsam eniqut Arabiam & loca sacra in ea ad montes Oreb & Sinai. Docent hoc antiquitates monasterij Cellæ Paullinæ, ordinis Cisterciensis, non procul Arnstadio, in agro Suartzburgico, uas mecum communicavit vir optimus & doctissimus Henicus Eckormius. Ea vero de Henrico nostro hæc habent:

Anno

Anno MCCCLI *Henricus Dux Brunsuicensis donat monasterio in VValkenried duas spinas de corona Christi, quas de partibus transmarinis asportaverat, cum esset in Græcia. Ibi vidit reverendum Archiepiscopum monasterij siti in pede montis Oreb. Et cum postea Henricus Dux ad limina S. Catharinæ, in monte Sina, caussa peregrinationis transiret, ad monasterium Archiepiscopi devenit, & ipse eum multum benigne recipiens, cum non haberet majores reliquias, spinas sæpe dictas, cum oleo B. Catharinæ ei contulit &c.*

Anno MCCCXXVI. domi adhuc Henricum fuisse litteræ ab ipso tum datæ indicant: anno vero sequenti peregre abfuisse ex litteris Ernesti fratris patet, in quibus is inter alia sic loquitur: *Nos, ut cultus divini officii ex nostra, & dilecti fratris nostri Ducis Henrici, nunc in remotis agentis, cujus jurisdictionem & vices ex sua commissione gerimus, promotione augeatur &c.* Litteræ datæ sunt anno M.CCC.XXVII. Abiit autem tum fortè primum in Italiam, comitatus Ludovicum Bavarum Imp. qui eodem anno illuc profectus, triennium regionis pacandæ caussa inibi hæsit. Anno enim sequenti, XXIIX videlicet, Henricum in Italia cum Ludovico fuisse diploma Imperatoris eo anno datum docet, in quo Castruccius de Altelminellis in Ducem Lucæ sublimatur, & Henricus ejus rei testis nominatur. Videri potest Appendix ad Tomum I. Historic. Marq. Freheri pag. XXXI.

De peregrinatione Henrici in Orientem nihil habent scriptores nostrates, præterquam quod conjecturis occasionem præbent indicatione matrimonij, quod idem Dux inierit cum *Maria* filia Cypri regis: cujus nomen eadem qua superius negligentia omittitur. Hoc enim conjugium non nisi per occasionem alicujus longinquæ diuturnæque peregrinationis, & ex ea inter Principes diversissimarum nationum ac linguarum enatæ familiaritatis, contrahi potuit.

Fides vero conjecturæ nunc demum astruitur, confirmatur-

naturque testimonio BVLLÆ AVREÆ, sive literarum ANDRONICI Iunioris, qui ex familia *Palaeologorum* tertius imperium Orientis, sive Constantinopolitanum, gubernavit. Ille enim Principi Henrico affini suo, regiones Orientis perlustraturo, literas dedit commendatitias ad Reges, Principes & Dynastas vicinos: eo fini, ut sumptuosum periculisque plenum iter, tum securius, tum minoribus impensis, adeoque majori cum honore conficeret.


Deplorandum autem est infelix optimi principis fatum, destituti idoneo laboriosæ peregrinationis scriptore, quem Henrico Leoni, ut antea meminimus, obtigisse constat. Felicior hac in parte Henricus Morosus, cui præco laudum contigit *Henricus Rosla* Neoburgensis, Poëta, si tempora, quibus vixit, cogites, neque arte, neque ingenio destitutus dignusque, cujus poëma luci datum canescat seclis innumerabilibus, quod beneficium à me σὺν θεῷ habebit.


Cæterum *Bullam Andronici Augusti* conservavit nobis collegium SanBlasianum, quod in urbe Ducum Brunsuicensium hereditariâ Brunsuigâ per Dei gratiam multis jam annis floret. Ex archivo depromptam communicavit mecum vir reverendus ac doctrinæ eruditione excellens, *Valentinus Fullerus* ICtus, Decanus collegij SanBlasiani, internuncio & conciliatore *Antonio Colero*, Lubecensi patricio, ejusdem collegij Canonico, homine tum utriusque juris, tum antiquitatis omnis peritiâ optimè instructo. Bulla verò ipsa hoc modo habet.

ANDRONICHVS in χριστῷ Deo fidelis, Imperator & moderator Romeorum, Paleologus, excellentissimis Regibus, nobilibus & egregijs Principibus, Comitibus, Marchionibus, Capitaneis, Communitatibus, Dominis, Castellanis ac Potestatibus, Rectoribus, ac etiam universis & singulis, tam ecclesiasticis, quàm secularibus, ad quos præsentes advene- rint,

„ rint, salutem cum Imperiali affectione. Cùm magnificus & „ nobilissimus vir, HENRICVS DUX BRESVICENSIS, cognatus „ carissimus Imperij nostri, per diversas mundi partes gressus „ suos dirigere intendat. Inde nos rogamus attentè, ut amo- „ re Imperij nostri ipsum Henricum commendatum habere „ velitis, vestrumque ausilium, conscilium & favorem tribu- „ entes. Quicquid autem erga ipsum honoris & juvaminis no- „ stro Imperio proprio reputabimus fore factum. In cujus rei „ testimonium præsens privilegium aureâ Bullâ munitum „ munimine jussimus roborari. Datum in castro Dimonc à „ nostri Imperij, anno Dominicæ incarnationis MCCCXXX. „ die sextâ Ianuarij.

Subscriptio prima. **Subscriptio altera.**





Sigillum sive bulla aurea.



Hactenus

Hactenus Bulla Andronici, cujus orthographiam ita ligiose retinuimus, ut etiam vitia remanere passi simus. atinè autem ab Imperatore Græco scriptam non immeri- mirere: nisi suspicari libeat, sub *Latinis* sive *Franciscis Ca- ribus*, qui ut aliqui colligunt LX. vel ut Pachymeris frag- enta lib. II. annotant, L. annos & IIX. menses *Byzantij* nperarunt, Græcos externæ linguæ commercium admi- le. Cui suffragatur, quòd tunc temporis propter crebras æcedentium temporum ab Imperatoribus, Regibus & incipibus Christianis pro recuperandâ ex Barbarorum anibus Palæstinâ, institutas expeditiones, peregrini co- ni in Orientalibus regionibus magno numero consede- nt. *Veneti* etiam cum *Genuensibus* & *Pisanis*, qui mari o- nes multum poterant, in lacero isto & dissipato, vereque, Poëta loquitur, *lamentabili regno* Græciæ, partim invitanti- s, partim invitis Imperatoribus, nidificabant, deque po- atiâ ac ditione suâ cum alterius injuriâ amplificandâ dila- ndâque supra modum soliciti, linguam, quâ ipsi utebantur, occupatas regiones & regna paullatim inferebant. Neque notum, quomodo *Michaëlus*, qui ex Palæologis primus m imperio fuit (quòd tyrannidi suæ diffideret) de ineundâ teris & Novæ Romæ ecclesiarum concordiâ serio moli- s fit, missâque Romam legatione splendidâ, à Papâ, quan- nvis reclamantibus Byzantinis sacerdotibus, aliquid atæ & evanidæ consensionis impetrarit. Quid? quod ipse s rei caussâ ad Concilium Lugduni in Gallijs à Gregorio ad A. C. MCCLXXII. indictum accedere non detrecta- ! Vnde sine dubio per Orientem linguæ Latinæ, tàm in nplis, quàm aulis, major, quàm antea fuerat, usurpa- . Sed hac scholâ omissâ Bullam ipsam nonnihil dispicie- s,

Andronichus in Χριστῷ Deo) Vitiosa statim in initio scriptio, ab inscitiâ scriptoris profluens: neque enim apud Latinos, quod monumenta nostratia ostendunt, nedum apud Græcos, aliter quàm Andronicus scribebatur. Titulus modestior magisque compositus est illo, quem usurpavit *Manuel, Friderici Barbarossæ* coætaneus. Qui ita apud Albertum Stadensem ad annum MCLXXIX. ampullatur: *Manuel in Christo Deo fidelis Imperator, Porphyrogenitus, divinitus coronatus, regnator potens, excelsus & semper Augustus, & moderator Romanorum magnificus.* Reponitur crambe illa à Crancio Saxon. lib. VI. cap. XXXVII. & Metropol. lib. VII. cap. V. Inanior autem, multoque magis ridiculus alter ejusdem Manuelis strepitus, relatus à doctissimo *Camerario* in Chronologiâ Nicephorianâ ad hunc modum: Μανουὴλ ἐν Χριστῷ πιστὸς βασιλεὺς ὁ πορφυρογέννητος, ῥωμαίων αὐτοκράτωρ, εὐσεβέστατος, ἀεισέβαστος, αὔγουστος, ἰσαυρικὸς, κιλικὸς, ἀρμενιακὸς, δαλματικὸς, οὐγγρικὸς, βοσνιτικὸς, χροβατικὸς, λαζικὸς, ἰβηρικὸς, βουλγαρικὸς, σερβικὸς, ζηχικὸς, χαζαρικὸς, γοτθικὸς, θεοκυβέρνητος, κληρονόμος τοῦ στέμματος τοῦ μεγάλου κωνσταντίνου, καὶ ψυχῇ νεμόμενος πάντα τὰ τούτου δίκαια. Quæ Latinè ita sonant: *Manuel in Christo fidelis rex, purpurigena, Romanorum Imperator, pietate præstantissimus, semper venerandus, Augustus: Isauricus, Cilicicus, Armeniacus, Dalmaticus, Vngricus, Bosenticus, Crabaticus, Lazicus, Ibericus, Bulgaricus, Servicus, Zecbicus, Chazaricus, Gotthicus, qui gubernatur à Deo, heres coronæ Magni Constantini, & animo colens omnia iura ipsius.* En tibi ineptias variorum ac multiplicium titulorum coacervatorum, quas aliæ quoque gentes usurparunt, sive Græcorum levitatis imitatione, sive propriæ vanitatis arrogantiâ.

Palæologus) Fuit Andronicus ὁ δεύτερος, filius *Michaëlis* junioris, *Andronici* primi nepos, pronepos *Michaëli* senioris cognomento Palæologi, qui sub specie tutelæ filiorum

Theo-

heodori Lascaris imperium arripuit, coronatus A. C. MCC .IIX. Latinos Constantinopoli ejecit triennio pôst, utque nperium per tyrannidem occupatum sibi suisque confirnaret, ad concilium Lugdunense A. C. M CC LXXII. ce:bratum concordiæ cum Latinis ineundæ caussâ accessit, :d A. C. MCCLXXXIII. vitam cum morte commutavit, .im quinquagesimum octavum annum superasset.

Hujus filius fuit Andronicus, ὁ πρέσβυς sive senior, cui uæ fuerunt uxores: prima *Maria* Hungarica, mater Miiaëli junioris, qui vivo parente coronatus est A. C. MCC CIV. die Constantini: verum ante patrem obijt A. C. M CCXIX. relicto filio Andronico juniore.

Altera conjunx Andronici senioris fuit *Irene* Longo.rda, filia *Bonifacij* V. marchionis Montisferrati, mater ultorum liberorum, *Demetrij, Theodori, Ioannis*, & *Simonis* filiæ, nuptum datæ *Crali* Regulo Serviorum.

Atque hæc est prima affinitas inter duas familias æquè ustres, Palæologam Græcam & Brunsuicensem Germa:am: nam suprà meminimus in matrimonio Alberti Mai Brunsuigij fuisse Adhelizam Montisferratensem. Ex fiChronici ante CCC. & LX. circiter annos rithmis conınati hæc affirmo, neque moror, vel Chronicon Saxonin, vel recentiores, *Alexinam*, *Aldebrandini* Marchionis ensis filiam Alberti Magni conjugem secundam inculıtes. Sed quid vetat quin rithmos ipsos adjiciamus?

Von Bruneswich dher Vurste riche/
Reit darnach viel Vurstenliche/
Nach eyner Maget schone/
Zo Enghelant von dher 30 lone
Her süzer minne gerte/
Dher in dhe Köninginne werte/

Dhe jr Mune was.
Dhe Maget se im gaph alß ich las.
An eren harte menichvalt
Vil wunderen wol se was gestalt
Jr name was Adhelize /
Ghezirtet wol mit vlize
Was jr lip vern vnd na.
Marchreue Otto von Munsera
Seyt men / daz jr Bruder were
An Lumbardie ein Vurste mere.

Nunc in Græciam ad Palæologos redeundum. In his Andronicus senior nepoti suo Andronico conjugem dedit *Irenen Alemannam*. Hæc sine dubio Henrici Mirabilis filia est Adelheidis, quæ secundum Chronicon Saxonicum Græcorum Regis filio copulata fuit. Nec quemquam movere debet, quòd quæ Nicephoro Gregoræ est *Irene*, Chronico prædicto *Adelheidis* appellatur. Potuit enim Andronicus eodem modo, quo secundæ conjugis ex Longobardiâ, sive Sabaudiâ, ut aliqui volunt, oriundæ, nomen mutavit, prioris etiam nomen, utpote Græcis peregrinum & insolens, repudiare, aliudque substituere, de quo planè sum certus. Impingit autem Gregoras, quando Irenen, vel ex *Alemanniâ*, vel ex *Occidentali Franciâ* ortam fuisse dicit. *Orientalem* enim voluit (debuit sanè) dicere Franciam, quâ appellatione veteres magnam Germaniæ partem complexi sunt, ut Otto Frisingensis lib. VI. cap. II. & Godefridus Viterbiensis parte XVII. innuunt.

Nuptiæ hæ contractæ sunt anno Christi MCCCXIIX. ut observavit Gregoras lib. IIX. liberis tamen caruit Irene, ut idem historicus. Vivendi finem fecit anno conjugij VIII. qui est Christi MCCCXXVI. Cætera quæ ad Andronici historiam pertinent: quomodo avum Imperio exuerit, inque

Indque monasterium destruserit, à Nicephoro Gregorâ lib. VIII. IX. & X. prolixè exponuntur: sed quæ huc non pertinent.

Altera autem hæc est domus Brunsuicensis cum familiâ Palæologâ affinitas, & quidem propinquior, incertum per quam occasionem contracta: nisi suspicari velimus, generosam virginem apud cognatos Montisferratenses in Longóbardiâ, vel alibi extra patriam in regio, aut alio illustri gynæceo educatam, indeque petitam. Quam conjecturam sub judicium lectoris venire patimur.

Nobilibus & egregiis Principibus) *Nobilissimus* olim Imperator audiebat, ut est in L. quæris III. D. de natali restit. Postmodum designati Cæsares, Imperatorum uxores, & qui ab Imperatoribus dignitate proximi erant, hoc tituló fuerunt honorati, quod pluribus docet Iul. Cæs. Bulengerus de Imperat. Rom. lib. II. cap. IX. Andronicus igitur Imp. hoc in loco Principes sibi subjectos, Comites & Marchiones respectu sui *nobiles* tantum vocat, & *egregios*, qui infimæ nobilitatis alias tantum erant. At *Henricum Brunsuicensem*, principem exterum, hospitem & cognatum, vocat *nobilissimum*, tanquam à se proximum, vocat *magnificum*, qui titulus cum illustribus & illustrissimis coincidebat. Vnde in L. XXXII. Cod. de appellat. Præfectus prætorio §. I. illustris, §. IV. magnificus appellatur. Sequentibus temporibus, & cumprimis in Germania magna simplicitas in titulis & modestia viguisse deprehenditur. Imperatores ipsi, Principesque sæpe magni, tum Ecclesiastici, tum Politici, longe inferiores jam dictis titulos non aversati fuerunt, quod multa me docuere monumenta. Exempla quædam addam. In literis Conradi de Dorstad, nobilis Dynastæ, sive Baronis Saxonici, ad annum MCCLVII. hæc habentur verba: *cum conniventia honorabilis viri, Domini VVilhelmi regis*

Roma-

Romanorum. Literæ Magni Torquati Ducis Brunsuicensis hoc modo clauduntur: Hir hefft over gewesen de Erbare Vorste/Bischop Albert von Halverstadt/anno MCCCLXX. Wernerus & Otto, nobiles Dynastæ in Hadmerschleven & Egelen/ita affantur Ottonem Ducem Brunsuicensem: Werner und Otte/ de Edlen van Hadmerßleve / vnd Heren tho Egelen/ beden dem Achtbaren Vorsten/ useme Heren Hertogen Otten van Brunßwick / use berede vnd willege denste: literæ datæ sunt A.C. MCCCXLI. Hugo miles & Joannes famulus, dicti de Escherte, scribunt Domino suo, Joanni Comiti de Roden & Wunstorpe: *Viro nobili & honesto:* in literis datis anno MCCCXXIX. Otto Dux Brunsuicensis jam dictus, vel alius ejusdem nominis, in instrumento quodam donationis seipsum nominat *Domicellum de Brunsvick:* annus ascriptus est MCCCXXIX. Quantum vero discrepat simplicis istius seculi modestia ab insolenti lascivientis temporis nostri fastu!

Dux Bresvicensis) Alterum σφάλμα scriptoris. Familiare autem tam Græcis, quam! Latinis auctoribus, nostratia nomina fœde corrumpere, partim imperitia linguæ, partim præpostero quodam elegantiæ studio. Exempla invenias apud Strabonem, Cæsarem, Florum, Tacitum, aliosque ex veteribus. In recentioribus nemo ea in re magis ineptit, seu potius insanit, quam Paullus Iovius. Nec reticendum, quod Ottonem Comitem Tarentinum, Henrici Mirabilis filium, de quo multa mox dicturi sumus, Bonfinius Hungar. rer. decade II. cap. III. pro Brunsuicensi, Brundusiensem Ducem appellat. Audiant hac de re scriptores Aventinum recte sentientem in Nomenclatura Annalibus præmissa: *Propria nomina*, inquit, *non sunt vertenda, sed literis aucta aut diminuta, Romana incude formanda: ita Plinius docet: sic Hermolaus Barbarus commonet, & ego apud illustres rerum scriptores diligentius observavi.*

Cognatus

Cognatus carissimus) Cognatum vocat, quem *affinem*, vel *sororium* dicere debebat. Forte, quia Irene Augusta, Henrici soror, in vivis esse desierat, arctioris necessitudinis vocabulum omissum.

Privilegium aureâ bullâ munitum) Bullæ appellatione inclinantis & sequioris Latinitatis scriptoribus veniunt literæ ab Imperatoribus aut Pontificibus profectæ: aut potius sigilla literis ipsis appensa. Huguvvicio, Lexicographus vetus: *Bulla etiam quandoque dicitur sigillum, quod cera imprimitur; unde bullare, sigillare; bullatus, signatus.* Græcis recentioribus est βύλλα: unde βυλλεύειν, *signare:* ἀβύλλωτος, *non obsignatus.* Erant autem bullæ illæ, sive sigilla, nunc aurea, nunc argentea, nunc plumbea, nunc cerea, quibus Imperatores olim pro diversitate personæ, ad quam, aut materiæ, de qua scribebant, utebantur. *Aurea bulla*, Græcis communiter χρυσόβυλλον dicitur. Luitprandus Episcopus Cremonensis Histor. Legat. suæ ad Niceph. Phocam, Imp. Constantinopolitanum, χρυσοβύλλιον appellat, & interpretatur *epistolam auro scriptam*; sed male. *aureo* enim *sigillo signatam* dicere debuisset. Talis bulla fuit Caroli IV Imp. illa, quæ καθ' ἐξοχὴν hodie AVREA BVLLA dicitur, nemini non nota: talis hæc est de qua nos agimus. Datum autem hoc honoris Henrico Brunsuicensi, ut aurea bulla ipsi provideretur, quum Papam Romanum sui temporis eo dignari honore noluerit Nicephorus, quem dixi, satis arbitratus, si litteras argento signatas ei mitteret, ut idem habet Liutprandus. Erant autem Bullis impressæ imagines Cæsarum. etiam apud Romanos: hinc diplomata non pauca ita clauduntur: *Ad cujus rei memoriam, & robur perpetuo valiturum, præsens privilegium fieri, & bulla aureâ typario nostræ majestatis impressâ jussimus communiri.* Vide Cuspinian. in Austriâ, & Knichium in Eposi, ubi Friderici II. Imp. Diplomata.

Anno Dominicæ incarnat. MCCCXXX.) Græci annos suos, non à Christo nato, sicut Latina Ecclesia; sed ab Orbe condito numerant: secuti tamen non fontes Hebraicos, sed vitiosam Septuaginta interpretum translationem. Fuit autem annus, quo datæ hæ sunt litteræ, Græcis ab Orbe condito MMMMMMDCCCXXXIIX. quo tempore Andronicus II. annorum erat XXXIV. Irene, quæ nostris annalibus Adelheidis, conjunx ejus ante quatuor annos tum è vivis excesserat.

Hactenus de Bullâ sive literis Andronici Imperatoris: sequitur, ut de subscriptionibus, sive signis aliquid adjungamus. Subscriptiones rubri sunt coloris, unde conjicio eas ipsius Andronici esse. Nam istiusmodi morem usurpasse Augustos, alijsque indulsisse, patet ex Gregorâ, cujus lib. IV. hæc sunt verba: *Pater* (Michaël) *Andronico* (seniori filio suo) *permisit subscribere rubris litteris.* Pachymerius lib. IIX. *Imperator cinnabari subscripsit.* Vide Iul. Cæs. Bulengerum loco adducto, cap. X. Nisi forte credamus subscriptionum alteram ex his esse magni *Logotethæ*, qui nobis est *Cancellarius.* Fidem facit Curopalates lib. de officialibus Palatij Constantinopolitani. Vbi sic scribit: ὁ μέγας λογοθέτης διατάττει τὰ περὶ τοῦ βασιλέως ἀποστελλόμενα προστάγματα καὶ χρυσόβουλλα πρός τε ῥῆγας, Σουλτάνους, καὶ Τοπάρχους. Καὶ τοῦτο μὲν ἴδιον τοῦ μεγάλου λογοθέτου ὑπηρέτημα. Hoc est: *Magnus Logotheta disponit mandata & bullas aureas, quæ ab Imperatore mittuntur ad Reges, Sultanos & Toparchas. Atq; hoc quidem proprium est magni Logothetæ ministerium.* In hoc munere temporibus Andronici junioris erat *Metochites*, teste Nicephoro Gregorâ.

Sigillum, sive ipsa bulla aurea, cujus ab utraque parte figuram repræsentamus, serico violacei coloris ligamento, litteris ipsis in membranâ rudi scripturá exaratis, adstringitur. Est autem ex auro, non Pannonico, sed Rhenano, fabre-

fabrefactum ex duabus laminis tenuissimis ita conferruminatis, ut in medio leniter extuberantes cavitatem efficiant, per quam filamenta deorsum versus transeuntia, subtus se in nodulum colligunt.

De titulo Δεσπότου, qui Andronico in sigillo tribuitur, sciendum, generaliter pertinuisse ad ipsum Augustum, quique ab eo proximi, sive natura tales essent per sanguinis necessitudinem, sive institutione. Specialiter ejus erat proprius, qui secundus à majestate Imperatoria, quem recentiores alioqui Σέβαστον appellarunt: Nadabus Agmonius Notis in Curopalatem. Animadvertas autem geminum σφάλμα scriptionis in sigillo: primum est quod in ultimâ syllabâ vocis ΔΕΣΠΟΤΗΣ pro Η usurpatur Ι. alterum, quòd ΠΑΛΕΟΛΟΓΟΣ scribitur pro ΠΑΛΑΙΟΛΟΓΟΣ.

Et hæc sunt, quæ ad illustrationem Bullæ Augustalis (cui & nostræ historiæ aliquid lucis debent) in medium adferre voluimus: libet nunc reverti ad Ducem Henricum peregrinatorem, deque ejus posteris nonnulla apud alios fortasse minus obvia, cum candido lectore communicare.

In divisione hereditatis paternæ accepit eam partem, quæ hodie Eichsfeldia nuncupatur, unà cum urbe Duderstadio. Tractum istum nomine Marchæ Duderstadensis venire puto in Additionibus ad Lambertum Schafnaburgensem, & Chronico Pegaviensi: quemadmodum idem etiam a Iutta Abbatissa Quedlenburgensi in litteris anno M. CCC. XLV. XVI. Decembris datis *Marchionatus in Duderstade* appellatur.

Duæ adsignantur ei conjuges, prior *Helena* Waldemari I. marchionis Brandenburgici filia, mater Ottonis primogeniti, ut Chronicon Saxonicum vetus: altera *Maria* Cypria, cujus suprà memini. Hæc peperisse scribitur Balthasarum & Melchiorem. De Balthasaro certum est, cum non fuisse uterinum

rinum Ottonis fratrem, sed ex patre tantum, indicante Theodorico Niemio de schismate lib.I. cap. XXIII. ubi in edito exemplari perperam legitur *ejus fratrem ex parte*, pro *ejus fratrem ex patre*, ut codex meus MS. habet. De singulis hisce Henrici filiis ordine agemus, non prius tamen, quàm ipsis fratrem adjungamus *Riddagum*, hactenus omnibus, qui familiam Brunsuicensem explicarunt, ignoratum prætermissumque. Ex quâ matre sit progenitus indicare non possum: litteras, quarum beneficio reviviscit, idem, quem dixi, *Valentinus Mullerus*, mecum communicavit: sunt autem hujusmodi.

Dei gratiâ nos Reddacus, filius quondam illustris principis Henrici Ducis in Brunsuic, honoratis viris & discretis nostris dilectis, Decano, totique capitulo ecclesiæ SCti Blasii ibidem, voluntatem nostram ad quævis beneplacita cum salute. Provisionem factam per illustrem principem dilectum nostrum fratrem Ottonem Ducem in Brunsuic, capellano fratris nostri dilecti Balthasar Ducis ibidem, Gotfrido dicto de Mackenrode clerico, de prabendâ nobis vacante ex morte honorabilis viri, Dn. Florini quondam ibi Decani, & de præsentatione factâ de eadem, ut quæcunq; nobis vacante de præsenti, vel in futuro, cuius ius patronatus ad nos dinoscitur pertinere, pleno jure & secundum formam & tenorem prænominatæ præsentationis in unicam sigillo nostri dilecti fratris Ottonis antedicti, in quâ cum plenitudine nostræ bonæ voluntatis consentimus, gratum ratum & firmum sumus habituri. Rogantes quatenus prædictum Gotfridum nostrum capellanum promotum habeatis iure nostro. In huius rei testimonium sigillum nostri dilecti fratris Ottonis antedicti est appensum, in quo nos sumus contenti, quia ad præsens nostro sigillo caremus. Datum in Ast, anno Domini MCCCLVII. in die beati Andreæ Apostoli.

Hactenus literæ Riddagi. In sigillo, quod ex rubrâ constat cerâ, duo visuntur leopardi. Neminem autem offendat

vitiosa

vitiosa scriptio, quòd pro Riddago Reddacus legitur, nam & Helmoldus historiæ Slavicæ lib. II. cap. I. & Crancius Saxon lib. VI. cap. XXII. illustre monasterium, à *Riddago* fundatore *Riddagshusium* dictum, Reddageshusen appellant. Neque ignotum, quomodo in vocabulorum Germanicorum scriptione ac enunciatione sæpe-numero litteræ G & C commutentur. Sic quæ Germanis superioribus sunt, Grosse/ genus monetæ: Glucke/ gallina: Klocke/ nola, sive æs campanum, Saxonibus enunciantur Krosse/ Klucke/ Klocke. Scriptas verò esse litteras Riddagi in Italiâ, è loco ubi datæ sunt colligo. Est enim *Ast* urbs Galliæ cis-Alpinæ, ut Iacobus Philippus Bergomensis, Supplement. lib. XIII. Meminit etiam Astæ ad Morum amnem, parentis Duci Sabaudiæ, Schraderus in inscriptionibus Italiæ pag. CCCLXXIX. Astam Theodorus Marchio Montisferratensis suæ ditioni adjecit. Vixisse igitur Riddagum cum fratribus in Italiâ affirmaverim: quæ verò ulterior ejus fortuna, quæ res gestæ, quis obitus, non inveni: agam igitur de ejus fratribus.

Ottonis primogeniti annus natalis ignoratur: si ætatem, quâ fuit cum moreretur, consideremus, A. C. MCCCVII. dias in luminis auras prodijsse, conjicere possimus. De rebus ejus in patriâ gestis nihil reperi, excepto quòd Adolfo Comiti Nassovio, electo archiepiscopo Moguntino contra Marchiones Misnenses suppetias tulisse referatur ab Hieronymo Henningelio, & alijs. Factum id volunt A. C. MCCCLXXV. sed nec, quæ foris fortiter feliciterque fecit, scriptorem invenere. Blondus multa de suis Italis locutus, Ottonis Brunsuicensis vix semel meminit. Theodoricus Niemius scriba Pontificius, lib. I. de schismate cap. XXIV. à pueritiâ in armis enutritum, iisque in Taurinorum regione (hodie Pedemontium appellamus) ac Insubriâ, sive Longobardiâ, inclaruisse, auctor est. Plena tum erat tur-

barum motuumque Italia, ab Imperatoribus Germanicis iniquè neglecta, grassantibus illic *Galeatio* & *Barnabâ* (alij Barnabovem nominant) *Stephani* filijs, *Mediolani* Vicecomitibus, tyrannis crudelissimis: horum exempla sequebantur non pauci alij inquieti & turbulenti alastores, ut nobilissima provincia, orbisque terrarum decus, fœdissimè laceraretur. Conductus tum fuit Otto Brunsuicensis ejusque frater *Balthasar* publico ecclesiæ Romanæ stipendio, cui ita fidem ac industriam probarunt, ut qui maximè. Iustis enim prælijs quadragies cum hostibus conflixere, semper obtentâ victoriâ, hoste fuso, fugato. Quæ per vim illi alijs ademerant, ex iniquorum possessorum manibus extorta legitimis suis dominis magno animo restituerunt, nihil præter gloriam virtute partam sibi reservantes. In urbibus, quas hosti eripuerunt, recensentur *Ticinum* in Insubribus, *Aquensis* civitas in Taurinis, & *Vercellæ*, & hanc quidem Gregorio XI. Pontifici Romano restituere. Præter istas magni nominis urbes etiam arces quadraginta à grassatoribus occupatas, in libertatem vindicarunt. Gravia illa & periculosa fuisse bella nemo inficias ierit, neque scriptor, quem dixi, dissimulat: verùm ea fuit horum principum rei militaris scientia, fortitudo, & conjuncta felicitas, ut nunquam non prosperè atque ex animi sententiâ rem agerent. Dominabatur tum temporis in Siciliâ & Apuliâ *Ioanna*, ejus nominis prima, *Roberti* Ducis Calabriæ ac Regis Siciliæ ex filio *Carolo* neptis, ejusdemque regni cum alijs multis regionibus ab avo designata heres. Quæ cùm apud multos invidiâ flagraret, neque inter tot æmulos securitatem sibi policeri posset, intuita perpetuam Ottonis Brunsuigij in rebus gerendis prosperitatem, nuptias ejus per legatos ambivit, propositâ spe consequendi regni amplissimi minimè obscurâ. Eo tempore Otto agebat *Ferrariæ* apud agnatos principes familiæ *Atestinæ*.

His

His auctoribus postulatis Joannæ Reginæ annuit: etsi illa eâ erat ætate, à quâ conjugij fructus, proles scilicet, sperari non posset. Nuptias celebratas A. C. MCCCLXXVI. annotavit Pandulfus Collenutius histor. Neapolitan. lib. V. A Reginâ accepisse tum Ottonem principatum *Tarentinum* credunt omnes: neque ego contradixerim. Vrbis descriptio exstat apud Florum lib. I. & Procopium rerum Gothicar. lib. III.

Biennio pòst, hoc est, A. C. MCCCLXXIIX. electus est Pontifex Romanus Vrbanus VI. priùs archiepiscopus Barensis: ante istud supremæ dignitatis fastigium, tàm Ottoni, quàm ejus conjugi Joannæ Reginæ familiariter notus. Quâ de causâ uterque sibi de hoc novo Pontifice optima quæque policebatur, Regina verò unum illud, ut sine morâ & tergiversatione marito, hactenus Principis Tarentini titulo contento, coronam regni Neapolitani tribueret.

Verum Pontifex Vrbanus, aliàs amicis difficilis, fastuque rustico immodicè tumens, à Neapolitanis civibus, externi principis, & quidem Germani, dominatum aversantibus, clàm palàmque monebatur, ne quid temerè in re magni momenti statueret. Vnde factum, ut non tantum nihil opis vel honoris à Papâ Otto impetraret, verum etiam incivilem plane experiretur. Cùm enim nomine conjugis suæ reginæ Neapolitanæ Vrbano de dignitate novâ gratularetur, obedientiamque pro more policeretur, atque in convivio quodam solemni, præsentibus, tàm ecclesiasticis, quàm politicis proceribus, viris honoratis, reverentiæ ergò Pontifici accumbenti flexis genibus poculum vini offerret, Vrbanus tanti nominis & splendoris principem diu coram se stare permisit: neque priùs scyphum è manu ejus accepit, quam à Cardinali quodam agrestem istam & incivilem, in Pontifice,

quà

qui se servum servorum, Christique omnium humilimi vicarium ambitiosè jactat, insolentiam aversante, civilitatis esset admonitus. Quam inurbanam ferocientis sacrificuli rusticitatem, non tantùm modestè tum dissimulavit Otto, verùm etiam paullo pòst, cùm Papam suâ morositate Cardinales à se abalienare, novoque & periculoso in Ecclesiâ schismati fores aperire animadverteret, adjunctis sibi magni nominis experientiæque Iureconsultis, nec non ex primariâ nobilitate quibusdam magnatibus, de concordia inter dissidentes maturè sarciendâ diligenter tractabat. Fertur tum de alio etiam negocio cum Papâ egisse, nimirum, ut filio Marchionis Montisferrati Ducis Ottoni consanguineo, inque aulâ ejus viventi, pateretur Pontifex conjungi Mariam regni Siculi heredem. Quo matrimonio sanguinis innocentis effusio, ædium sacrarum vastationes, agrorum populationes averti, paxque aurea bellorum tempestatibus sedatis istis in regionibus stabiliri posse videbatur: sed nec regni proceres ab Ottone dissentiebant. Verum nec auditus est ille: neque qui benè consulentem nullo modo negligendum monuerant, aliud quàm invidiam & odium reportarunt. Quæ omnia iterum patienter tulit Otto, sic tamen, ut obstinati hominis fatum infelix fortunamque prædiceret, ac memor parænesis regiæ: *Noli amicitiam contrahere cum homine iracundo, aut cum bilioso versari &c.* imposterum ab ejus familiaritate omninò abstineret.

Non multò post idem hierophanta Vrbanus Joannam Reginam, evibrato in eam fulmine ecclesiastico, utriusque Siciliæ & Neapolis regnis privare sategit, præter alia, gravissimum illi inferens crimen, quod concitatis Cardinalium animis electioni Clementis VII. Anti-Papæ caussam præbuisset, excitato in Ecclesiâ schismate perniciosissimo. Ius verò regnorum, quæ dixi, transtulit Papa in *Carolum* cognomento

nento Parvum, *Dyrrachii* in Illyrico principem: quem ex Pannoniâ, ubi apud *Ludovicum* Regem agebat, evocatum, impositâ ei publicè coronâ, Joannæ surrogavit: quod impium facinus tragicum reginæ exitium, Ottoni periculum summum, Pseudopontifici extremam creavit infamiam.

Fuit Carolus *Ludovici* Dyrrachini filius, illustri quidem loco natus, sed in re valde tenui, quem Joanna regina ejusque maritus, jam à multis annis infinitis propemodum beneficijs cumulaverant. Habebat idem princeps concessu Papæ uxorem patruelem suam *Margaritam*: cujus conjugij Joanna regina, quæ utrumque à pueritiâ domi suæ educarat, auspex ferebatur, datâ in dotem sponsæ urbe & arce Iserniâ. Nati sunt his conjugibus, *Joanna*, quæ postea nubsit *Gulielmo*, cui cognomentum Curialis, Duci Austriæ, & *Ladislaus*, quem mysticâ aquâ ablutum, Otto Brunsuicensis ex sacro fonte levavit. Vtrumque non minore benevolentiâ & favore, quàm parentes fecerat, Regina prosecuta est: & quidem tum maximè, cum marito Carolo in Panonniâ apud *Ludovicum* regem agente, Margarita, viduæ non absimilis, cum liberis suis in Italiâ hæreret. Quæ quidem, & alia non minora beneficia, cum aliquando grato animo secum revolveret Carolus, suâ sponte Deum testatus fertur, se contra reginam, ejus maritum, ac utriusque dignitatem & commodum nunquam quicquam, vel vi, vel fraude conaturum. Verum Papales furiæ, ad orbem Christianum turbandum enatæ, spe regni præpotentis consequendi objectâ, in ambitioso, ac à juventute adhuc calenti animo, religionem istam facilè extinxerunt.

Statim enim post inauspicatam coronationem Romæ factam, Carolus animum & manus ad regnum adjecit, cujus urbs primaria *Neapolis*, nefariâ improborum civium perfidiâ hosti priùs patuit, quàm arma ejus visa, nedum experta

 essent.

essent. Quâ infidelitate perterrita Regina in arcem, quam Novam vocant, se recepit, ibique à regio exercitu obsessa est. Scribit Gobelinus ætate VI. cap. LXXVI. Carolum, ut deditionem extorqueret, non modò arietibus, balistis ac tormentis æneis muros impetijsse, verùm etiam inauditum prius, planeque fœdum stratagema (si modò crudele factum istam appellationem meretur) adhibuisse. Etenim captivorum, qui in urbe erant, bonam partem trucidari, cadavera membratim dissecari; frustaque tabo & sanie fluentia in lagenas sive doliola admixtis humanis fecibus ingeri: denique vasa ista machinis ad id præparatis rectà supra arcem in altum projici mandavit. Quæ deorsum versus labentia, sive in aream arcis, sive alia ejus ædificia inciderent, immani fragore crepuere, intolerabili fœtore circumquaque diffuso: adeo ut obsessi præter horrorem, quo ex sanguinolentorum membrorum intuitu perfundebantur, infecto venenatoque aëre continuos vomitus ciente penè suffocarentur. Simili stratagemate Bononienses usos in Mutinæ obsidione, & cadavera jumentorum vi machinarum in urbem jecisse, idque pro more illorum temporum, notat Carolus Sigonius de regno Italiæ lib. XIIX. ad annum MCCXLIX.

Dum hæc intra mœnia urbis aguntur, Otto qui foris erat, ut ab obsidione arcis Novæ hostem retraheret, vel ei saltem incommodaret, aquæ ductus incidit: unde in urbe, magnâ hominum jumentorumque multitudine oneratâ, ingens exorta aquæ penuria, cui cisternæ subvenerunt. Cives verò Neapolitani, quod bellum opinione diuturnius metuerent, ad fraudulentas artes decurrendum rati, centaurum quendam militarem, pannis, annisque obsitum, nuper Reginæ ejusque marito familiarem, quid porrò faciendum esset consuluere. Is suasit litteras nomine Reginæ scribendas, sigilloque adulterino obsignandas: quibus illa ad certum noctis

noctis tempus, destinatumque prope arcem Novam locum, cum paucis iisque fidis amicis secreti colloquij caussâ maritum evocaret: qui si litteris credat, seque sistat, ex insidijs opprimendum. Gestus est mos flagitioso veteratori; scriptæque litteræ, & Ottoni transmissæ. Quibus lectis evestigio cum fratre Balthasaro, nec non marchione Montisferrati Joanne, cognato, tribusque alijs primarijs copiarum ductoribus, rem secretò communicavit: iisque solis stipatus insequentis noctis concubio ad locum indicatum contendit. Hostes verò interim per viam regiam latam profundamque fossam duxerant, virosque circiter quinquaginta juxtà in insidijs collocarant. In quos de improviso incidens cum suis Otto, ipse capitur: Balthasar frater beneficio noctis evadit: Montisferratensis Marchio cum tribus reliquis miserè trucidatur. Pugna commissa est XXV. Augusti anno MCCCLXXXI. Hoc modo rem gestam affirmat Theodorus Niemius: à quo modicè dissentit Gobelinus: nam etsi Ottonem proditum non negat, litterarum tamen per fraudem scriptarum non meminit. Pandulfus Collenutius lib. V. rem aliter exponit, cujus verba hæc sunt: *Otto cum se à civibus proditum esse cerneret, urbem foris oppugnabat: cumq; die quodam instructo milite vi irrumpere conaretur, Carolus eâ re cognitâ, copias suas in duas partes divisit, & duabus portis egressus Ottonem duobus locis adoritur: pugnatur acriter: sed Otto tamen cùm prælium virtute suâ bene multas horas sustinuisset, & equus generosus, ex quo dimicabat, lasus in eum cecidisset, superatus, captus & Carolo traditus est.* Hactenus Collenutius, quem sequitur Paulus Æmylius de gestis Francor. lib. IX. Potior verò habenda fides Niemio & Gobelino: quippe qui isto tempore ambo in Italiâ, & quidem in curiâ Papali versati, rem omnem exactius cognoscere potuerunt. Accidere hæc A.C. MCCCXXCI.

Cladem istam, ut insperatam, ita funestam admodum,

virili infractoque animo tulit Otto, solicitus tantùm de conjuge ab hostibus circumsessâ, victusque inopiâ laborante. In conspectum verò Caroli deductus, superbeque interrogatus, quâ fiduciâ regnum alienum se defensurum in animum induxisset, masculo animo, voceque sonorâ respondit: nihil sibi de regno, quod Caroli sit, constare: Siciliam cum Apuliâ, quæ conjugis suæ fuerit hereditas, quâ debuisset fide ac diligentiâ, contra quosvis hostes tutatum: neque ex veritate quemquam aliud affirmaturum. Hæc dixit, nullâ, vel capite, vel genibus, exhibitâ superbo hosti reverentiâ. Qui quidem victi in præsenti discrimine animi magnitudinem admiratus est non parum, succensuit tamen ei, atque evestigiò in vincula abripi mandavit. Collenutius hîc iterum à Niemio & Gobelino dissentiens scribit, Ottonem dimissum, eâ conditione, ut extra regni fines discederet. Regina de clade & captivitate mariti edocta, Carolo se dedidit, à quo custodiæ tradita, ac non multo pòst interfecta est.

Qui stipendia fecerant sub Ottone, inque victoris potestatem venerant, eos omnes, ac cumprimis Germanos, inveterato, sed improbo, nobilissimæ gentis odio, Neapolitani cives ad cædem deposcebant. Quomodo verò ex præsenti discrimine erepti sint, cum historia sit jucunda, ac à solo, quod equidem sciam, Gobelino prodita, auctoris verba libet apponere. *Cum Neapolitani*, inquit, *inter cæteros captivos Teutonicos in odium Ducis maximè exosos haberent, omnes eos postulabant occidi. Plurimos enim ex eis, licet Duci nihil auxilij præstiterint, solummodo nationis causâ trucidabant. Vnde multi eorum inter populares mechanicis artibus insudantes, aut aliàs degentes ibidem, ab honestis mulieribus misericordiâ motis intra cisternas & cellaria occultabantur, donec primi tumultus furor quiescebat. Rex Carolus videns Neapolitanorum animos in Teutonicorum*

eorum necem obstinatos, nec eos flectere valens, nec eis resistere audens, commisit Villanucio militi duci exercitus sui, ut in hoc articulo quid expediret protinus ordinaret. Quapropter Villanucius cunctis Teutonicis cum Duce Ottone captis congregatis in unum, singulis eorum arma sua reddidit, & convenientibus eis in planicie, ante castrum-Novum, qua Carreria dicitur, Villanucius Neapolitanis dixit, ut Teutonicos apprehenderent, si placeret ipsis occidere eos. Neapolitani verò tanto se recusantes submittere periculo, ut Teutonici illi extra regni confinia salvi discederent, consensum præbuerunt. Quapropter Rex Karolus quibusdam galeis ad id aptatis eos extra regni sui districtum perducere fecit. Hæc Gobelinus Ætat. VI. cap. LXXVI. Repetit inde Crancius Metrop. lib. X. cap. XXVI. Villanucij à Carolo post coronationem conducti, meminit etiam Collenutius lib. V.

Sed ad Ottonem reflectendus sermo. Is in carceribus fuit circiter triennium, ut disertè Niemius lib. I. cap. XXIV. & LX. ubi locus *castrum Minervini* appellatur, simulque indicatur à Friderico II. Imp. extructum fuisse. Exijt è custodiâ, non quidem Caroli Dyrrachini clementiâ, sed fortè aliorum operâ, sub id tempus, quo Ludovicus Andegavensis à Joannâ adoptatus, cùm ob vulnera in prælio infelici accepta, tum ob animi mœrorem, ex hac vitâ in aliam migravit. Datum fuit hoc Ottoni honoris, ut præstitâ fide de redeundo, quoties vellet exspaciaretur, seque venatu more nobilitatis Germanicæ exerceret. Quod dum aliquando ageret, per Britannos quosdam interceptus Avenionem Galliæ urbem deductus est.

Crediderim isthic Ottonem, vel sponte suâ, vel necessitate compulsum, cum Anti-Papa Clemente ac Ludovico Andegavensi altero ejus nominis, primi, de quo dixi, filio, in fœdus venisse, provideque deliberatum fuisse, quomodo communibus viribus, unâque operâ duo florentissima regna ex

manibus Dyrrachini extorqueri, animique impotentis homo Vrbanus exauctoratus Papa in ordinem redigi posset.

Increbescente autem famâ de inopinatâ Dyrrachini cæde, quem factiosi quidam, rebusque novis studentes proceres Hungari, in Pannoniam evocatum Ludovico Regi defuncto surrogarant: Regina verò *Elisabetha* filiabus consultum volens improvido consilio immaniter mactari jusserat, Otto collecto tumultuario exercitu in Siciliam trajecit, exceptusque magnificè à Quatuor-viris, delectis regni Siculi gubernatoribus, omnique nobilitate, rerum ibi sine controversiâ potitus est. Non multò post navigavit in Apuliam, in quâ Caroli Dyrrachini vidua adhuc cum imperio erat: ibique conjunxit se cum *Thomâ San-Severinate* ejusque complicibus, Caroli dum viveret, & nunc Reginæ hostibus. Hi Neapolim intra tempus breve cum toto regno in suam potestatem redegere, infelici Reginâ cum Ladislao & Joannâ liberis Cajetam munitissimam regni urbem profugiente: in quâ diu cum miseriâ luctati sunt. Vrbanus quidem sacrâ censurâ in perduelles istos animadvertit, crucisque symbolum in eos contulit, qui se illis armis opponerent, cum tantâ delictorum remissione, quanta ijs conceditur, qui recuperandæ terræ Sanctæ aut fidei caussâ militant: tamen neque illi Neapolim reliquerunt, nec quisquam eo tempore ipsis bellum movit. Verba sunt Collenutij.

Recuperavit tunc Otto Tarentinum Ducatum, cæterasque, quas ante captivitatem habuerat, possessiones. Neapolitani verò cives justissimas luebant pœnas infidelitatis & perjuriorum contra Joannam reginam, ejusque maritum Ottonem commissorum. Omniam enim injurijs expositi erant, & vilissima quæque mancipia ac calones impunè rapinis, libidinibusque in urbe grassabantur: ut malorum istorum pertæsi utriusque sexus homines quam-multi, damnatam

am exitio patriam deserentes, Capuam, Cajetam & in tutiora Siciliæ loca commigrarent.

Quorum infelicitati & miseriæ ex animo condolens Otto, redire eos in patriam jussit, addito qui ab inermibus vim propulsaret de suis copijs sufficienti comitatu. Neque hoc contentus, publico edicto sub pœna capitis vetuit, ne quis vel miles, vel alterius conditionis homo, civibus molestus esset. Hoc modo rem gestam scribit Niemius dicto libro cap. LXV. Gobelinus refert multos æmulorum ab Ottone interfici jussos: potentioribus Tarentum in custodiam missis. Accidere hæc A.C.MCCCLXXXV.

Proximo ab hoc anno *Ludovicus* ejus nominis secundus, primi filius, Andegavensium Dux, instigante Anti-Papa Clemente & Galliarum rege *Carolo* VI. occupandi regni Siculi ac Neapolitani caussâ in Italiam venit. Huic Otto, sive quòd ætatem affectam viresque infirmas, sive Gallicam potentiam, gentisque Italæ desultoriam levitatem, considera-ret, non tantum utroque regno cessit, sed ut in illis se confirmaret, auxilio fuit, solo principatu Tarentino contentus. Neque quicquam de ejus rebus gestis amplius invenitur, nisi quod cum Margaritâ infelicis regis Caroli æquè infelici viduâ in gratiam redierit, condonatis ei injurijs ac contumelijs omnibus, quas vel ab ipsâ, vel ejus marito proximis annis, nihil horum meritus accepisse omnibus constabat. Factum hoc est A. C. MCCCLXXXVII. quo ipso etiam vitam cum morte commutavit, annos habens vitæ circiter LXXX. Errant qui A. C. MCCCLXXXI. vel LXXXII. defunctum volunt. Hi sunt Chytræus, Reusnerus, Henningesius, Buntingius & alij. Errat Chronicon Saxonicum vetus, quod scribit in carcere mortuum ad annum MCCCLXVI. Sepultus est *Foggiæ*, quod opidum distat à Luceriâ XI. milliaribus versus Apuljam, ut Abrahamus Ortelius in Synonymiâ Geographi-

graphicâ. Niemius lib. I. cap. XLIV. *terram Foye in Apuliâ* nuncupat.

In Ducatu Tarentino Otto successorem habuit *Raymundum Baucianum* Comitis Nolani ex familiâ *Vrsinâ* F. quem Gobelinus & Collenutius Baltzianum vocant. Celebratur etiam in possessionibus Ottonis arx *Luceria* distans Neapoli XXIV. milliaribus, ut Niemius lib. I. cap. XXXIV. Idem cap. XXXII. & XL. arcis & territorij circumjacentis amœnitatem describit, addens in conclavi quodam arcis effigiem Ottonis depictam fuisse. Papa Vrbanus cum ibi aliquando cum suo semiviro comitatu desideret, *Luceriam Christianorum* nominari voluit: quod irridentes alij falsè *Miseriam* indigitarunt. Carolus Dyrrachinus de alieno liberalis Luceriam donavit *Francisco Pregnano*, (cui cognomentum fuit Butylli) homini vilissimo & ab omni virtute alieno, procurantę largitionem istam Vrbano Papâ, cujus ex fratre Butyllus erat nepos, verè perditus & profusus nepos.

Fuit Otto princeps planè heroicus, animi magnitudine viriumque robore nulli secundus: moderatus simul & humanus: de quo jure illud Poëtæ usurpes:

Magnorum haud unquam indignus avorum.

Indeque est, quod Niemius tot encomia in eum congerat. libro I. de schism. cap. VI. nominatur *Pater principum, & norma nobilium:* cap. IIX. *totus catholicus:* cap. XXIV. *prudentissimus ac strenuus nimis in factis armorum:* cap. LXV. *pius, mansuetus, neq; vindictæ cupidus.* Singularum virtutum istarum illustria documenta & exempla in historiâ ejus frequenter reperias: unum atque alterum libet annotare. Cum aliquando ex Neapolitanis civibus nonnulli coram ipso de miserijs & calamitatibus suis multa locuti, ingratitudinem, quâ nuper erga ipsum & conjugem turpiter usi fuissent, faterentur, depreca-

precarentur: ipse ad lacrymas eorum suas continere non potuit, contentus leniter & absque commotione indicasse, nullam omnino eos caussam, imo ne quidem prætextum, habuisse tam sceleratæ & sine exemplo defectionis: neque quicquam severiter tum in eos statuit.

Quomodo tollendis diffidijs, pacique constituendæ studuerit, ex eo apparet, quòd Gregorius XI. Pontifex, cum desertâ Avenione, ubi hactenus annis LXX. curia Papalis desederat, Romam redijsset, atque in Italiâ omnia summè perturbata, ecclesiæ Romanæ possessiones (vulgo patrimonium S. Petri appellant) dissipatas, rebellium numerum crescere indies videret, solum hunc Ottonem Brunsuigium elegit, cujus operâ in placandis adversarijs, pacandaque Italiâ uteretur. Qui túm ecclesiam molestabant erant Vice-Comites Mediolanenses Galeatius & Barnabas, præfectus urbis Romæ, urbes Florentia & Perusia, nec non ex Dynastis aliqui. Cum his non semel congressus Otto, post multas actiones suâ prudentiâ, comitate, & industriâ tandem impetravit, ut positis armis pacem admitterent. Cujus rei nuncium opidò lætum faustumque, perquam solicito, anxieq; rei eventum præstolanti Pontifici relaturus, inter pia exoptatæ pacis desideria è vitâ sublatum præter spem subtristis & dolens cognovit.

In literis fuit mediocriter eruditus, sic ut animi sensa non incommode latinè proloqueretur: neque à salibus alienus erat, quod exemplo probat Niemius. Cum enim Vrbanum Papam in gubernationis suæ initio insolenter & superbè omnia agere, neque recta suadentibus morem gerere conspiceret, atque ex eo prudenter colligeret, quantum incommodi tàm Ecclesiæ quàm Reipublicæ inde immineret, in præsentiâ familiarium in hæc verba prorupit: *Pater noster non* URBANUS, *sed potius ut timeo* TURBANUS *dicetur, & multis erit adversitatibus involutus, & ruina multorum.*

In bellis gerendis fuit industrius & circumspectus, simulque felix. Etenim affirmante Niemio lib. I. cap. XXIV. quadragies justo prælio cum hoste dimicavit, semper victor: qua prosperitate fortunam *M. Claudij Marcelli* (qui Plin. lib. VII. cap. XXV. & Julio Solino cap. VI. testantibus undequadragesies victoriam ab hoste reportavit) supergressus est.

Venatione (quam inter laudatissimas principum oblectationes præcipuam censeri oportere Xenophonteus Cyrus affirmat) ad depellendam segnitiem frequenter usus est, & quidem in amœnissimis Luceriæ montibus, ubi aprorum, cervorum, aliarumque sylvestrium ferarum admiranda copia. Si quid autem captum esset, ex eo caput sibi reservabat, truncum dabat nobilibus, quos secum eduxerat.

Spacium illud, quo vitam hominis ex integrâ firmâque valetudine longævi, Spiritus S. in Psalmo XC. determinat, annos videlicet XXC. Jehovæ opt. max. benignitate complevit: cùm contrà Dyrrachinus, homo sanguinarius & fraudulentus ad ætatis suæ medium vix proveheretur, cæsus cùm esset quadragenarius, ut Niemius indicat.

Mausoleum, in quo conditus fuit, nescio quâ curiositate, vel occasione, apertum, inspexit *Hercules* Dux Ferrariensium Ottonis agnatus, deprehensumque est, corpus in singulis pedibus senos habuisse digitos: quod ex ore Herculis ejusque aulicorum exceptum, refert Collenutius lib. V.

Insignia Ottonis, ut ex sigillo litterarum Ducis Riddagi didicimus, fuere *duo leopardi*, sive *leones fulvi coloris*, olim ab *Henrico Leone* ex *Angliâ* allati, ut Henricus Wolterus in Chronico Bremensi, & Joannes Schiphovverus in annalibus Oldenburgicis MS. & post utrumque Crancius Saxon. lib. II.

lib.II.cap. XLVII. & lib. IIX. cap. XXIIX. annotarunt. Cum enim ille non tantum bonis, quæ Imperatorum & Ecclesiasticorum Principum beneficio possidebat, exutus, verum etiam titulo Ducali, ut Godefridus monachus scribit, ac clypeo, ut Schiphovverus, hoc est, insignijs avitis privatus esset, leones istos à rege Angliæ Richardo accepisse fertur: quos deinde etiam Leonis filius, Henricus Dux Saxoniæ & Comes Palatinus ad Rhenum gessit in clypeo. Quæ vero avita fuerint Henr. Leonis insignia quæri potest. Vsum eum in clypeo equo saliente, communiter affirmatur: quam bene, pronunciare nequeo. Penes me sane nummus est vetustus, argenteus, laminæ instar tenuis, uti superiorum ætatum nummi esse solebant; quem mecum communicavit ICtus CL. Joan. Oberbergius, Reip. Mindanæ nuper Syndicus, & Ducis Brunsuicensium Consiliarius, hodie Ducis Megapolitani Procancellarius, Consocer & amicus mihi summus. In eo leo visitur, caudam elevatam gestans, spaciumque totum interius occupans, cum circumscriptione, HENRICVS LEO DVX. Nummi iconem ipsam subjicio.



Deinde & hoc mihi constat, Leonem urbi Suerinensi à se instauratæ, cathedraque Episcopali ornatæ leonem pro insigni contulisse: testis Burchardus Hedericus in Chronico Suerinensi. Idem princeps urbem *Lunensem*, quæ est ad Lippiam fluvium in Comitatu *Marca VVestvalica*, ac tum

 tem-

temporis ut & magna pars Westvaliæ, Ducibus Saxoniæ adhuc suberat, propter fidem in bellis præstitam, eodem donavit insigni, referente Georgio Spormacher in Chron. Lunensi MS. quod est apud *Ditmarum Mulherum* Tremoniensem, antiquitatis patriæ indagatorem solertissimum. Vtraque urbs etiamnum hodie in sigillo publico Saxonicum istum leonem usurpat. Solemne autem fuit olim magnis principibus, ut urbibus & opidis à se vel conditis, vel instauratis (ne cives originis suæ acceptorumque beneficiorum memoriam facilè ex oculis deponerent) eadem insignia, quibus ipsi gauderent, vel integra, vel ex parte tribuerent. Nec dubium, quin urbs Brunsuiga, Ducum Saxoniæ, & qui ab illis originem trahunt, principum Brunsuicensium, peculium ac patrimonium hereditarium, ab eodem Henrico Leone (cujus operâ ac sumptu urbs & amplificata est & munita) minimè verò gentium ab Alberto Cæsare rubentem suum leonem acceperit. Liquidò igitur affirmaverim, avita Leonis insignia fuisse leonem, quocunque fuerit colore: & ab eo insigni cognomentum Leonis profluxisse: quemadmodum etiam ab urso gentilitio Albertus Vrsus cognominatus. Videtur consuetudinem istam indicare Gobelinus ætatis VI. cap. XXIII. inquiens: *Ab antiquo nomina* (cognomina vult dicere) *principum cum nominibus armorum concordabant:* Nepos Henrici Leonis Otto Puer, & Albertus Pinguis Abnepos, vetus hoc insigne majorum iterum usurparunt: item Magnus Alberti filius, quorum sigilla aliquoties vidi, solum leonem habentia. De Alberto Henrici Mirabilis nepote dixi suprà ex Spangenbergio, quod equum salientem in clypeo gesserit. Cæterum in insignijs mutandis magnam sibi olim libertatem permisisse principes in confessò est. Sic constat Principes, Comites & Dynastas per Belgium & vicina loca, cum bello sacro nomen dedissent,

dissent, uniformia leonis insignia sibi sumsisse: sic ut Geldrus binos, Batavus, Selandus, Flander, Iuliacensis, Montensis, Ieverensis, Brederodius, Culenburgius, Blankenhemius, Nassovius, Dynastæ, alijque plures, unum sibi leonem eligerent: quæ insignia posteri minimè mutarunt. Testis est Abrahamus Ortelius in Theatro orbis terrar. in descript. Flandr. ubi ait: *Flandriæ insigne est niger Leo in campo aureo; quem una cum cæteris Belgicis Principibus, qui simul cum Philippo Elsatio in Syriam expeditionem parabant, pro insigni sumsisse creditur. Eo enim tempore hi Principes, qui erant Flander, Levaniensis, Hollandus, Lucemburgius, Limburgius, Brabantus, Zelandus, Frisius, Hannonius &c. mutatis pristinis insignibus, Leones, coloribus inter se differentes, sibi cepere.* Testis item Iac. Mejerus Annal. Flandr. pag. 52. *Anno*, inquit, *MCLXXIIX. Philippus Comes Flandriæ solvens è Syria Constantinopolim, concessit ad Manuelem Græcorum Augustum, reditúq; inde terrestri fere itinere domum, mense, ut quidam annotant, Octobri. Insignia autem nigri Leonis quidam hac peregrinatione de Nobilionte, Abilioneorum regulo, pars de Saracenis ante Mediolanum, nescio quo tempore, per Philippum capta putant. Alij vero, quod propius vero sit, concordi assensu à Principibus Belgarum parantibus expeditionem in Syriam, variorum colorum Leones assumptos esse volunt, relictis veteribus insignibus.* Hæc illi. Vsu etiam interdum venit, ut qui ab alijs victi essent, abdicare insignia sua cogerentur: quâ de re libet subjicere locum ex Chronico rythmico MS. in quo Poëta de Alberto Magno, Duce Brunsuicensi, belligerante cum Ottone nobili Domino Hadmerslebij, sic loquitur:

Hetteburne her gewan
Sine Borch/ vnd vine **wol drizzig Man**
Daruffe/ Ritter vnd Knapen/
Vnd theilten jr Wapen.

Di sint so man pliget
Sua ein dem andere obersiget/
Das her ouch an sin Wapen sliget.

Sed hæc per excursum, redeamus igitur unde degressi sumus.

Connupta fuit cum Ottone, ut diximus, Joanna, Caroli Sanzaterei Ducis Calabriæ, filia: quam avus Robertus Siciliæ Rex & Calabriæ Dux, quòd filijs careret, heredem omnium suarum ditionum instituit. Hæc quartum matrimonium inijt cum Ottone Brunsuigio, eam ob caussam, ut virtute illius & auctoritate, quâ per universam Italiam Galliamque pollebat, regna sua contra æmulos tueretur. Gobelinus cap. LXXVI. nominat *Siciliæ Reginam, Provinciæ & Pedemontis Comitissam*. Provinciæ imperasse Joannam ex Niemio lib. I. cap. IIX. & XXV. manifestum est. Vixit cum Ottone concorditer, modisque omnibus conata est, regna sua hereditaria eidem conciliare. Cujus rei caussâ Vrbano Pontifici recens electo omne genus benevolentiæ exhibuit, magnâque vi argenti aurique nec non annonâ copiosâ, liberaliter donavit. Quod cùm frustra factum animadverteret, ingrato homini irascens, quantumvis invito & dissuadente marito, partibus Clementis VII. anti-Papæ se conjunxit. Quapropter & censurâ Ecclesiasticâ notata, & regnis ab Vrbano per decretum privata est. Eam injuriam ut ulcisceretur, quemque Pontifex Siculis regem dare constituerat, excluderet, cum Clemente Anti-Papâ in Gallias profecta, ibique perhonorificè excepta, *Ludovicum*, Joannis Andegavensium Ducis F. heredem dixit: ut nempe ab obitu suo in Siciliâ & Neapoli ille regnaret: quo facto redijt in Italiam. Capto autem, ut meminimus, per insidias marito, ipsa exspes planè Caroli Dyrrachini colloquium petivit: quo impetrato, post exhibitum rege dignum honorem, sic eum affata fertur:

fertur: *Hactenus te filij loco habui: nunc verò, quoniam ita visum est Deo, ut te dominum agnoscam, me tibi, atque maritum meum commendo.* Cui ille contrà: *Et ego*, inquit, *te ut matrem semper hactenus amavi, & deinceps eodem amore te prosequar, & tui ipsius honoris atq; Ottonis mariti rationem habebo.* Verba sunt Collenutij à me retenta. Sed nihil horum, quæ prolixè policitus est, Carolus præstitit. Regina abducta est in carcerem, neque pòst visa. Niemius à quatuor satellitibus Hungaris strangulatam scribit: & quidem in loco sacro cùm precibus ad Deum fundendis vacaret: cap. XXV. Bergomensis addit jussu Vrbani P.P. id factum. Gobelinus refert fuisse, qui affirmarint inediâ voluntariâ perijsse. Felinus Sandeus de regib. Siciliæ & Apuliæ cap. XX. pulvillo ori superinjecto ad mortem compulsam scribit.

Prudentiam & virtutem ejus à multis scriptoribus celebratam fuisse, præsertim à *Baldo* & *Angelo* fratribus Iurisconsultis, annotavit Collenutius. Poggius lib. de varietate fortunæ humanæ, ait eam regnum tenuisse summa pace supra prudentiam muliebrem, adeo ut nullo unquam tempore floruerit sub rege magis. Auctor Supplementi Chronicorum Iacobus-Philippus Bergomas lib. XIII. multus est in Joannæ laudibus, cujus verba ut inseram caussas habeo. *Ioanna*, inquit, *Caroli Calabriæ Ducis filia fuit, & Roberti regis ex primogenito suo neptis, non modò origine & potentiâ ac moribus, sed & robustissimo invictoq; animo illustrissima fœmina fuit: & tam prudens & occultata in omnibus extitit, ut potiùs fraude, quàm ullo ingenio quis eam decipere potuisset. Hac enim longanimis & constans admodum fuit, quod satis monstravere in eâ sævientis fortuna insultus, in quibus certè sæpe multum agitata fuit. Nam imprimis pertulit austeros conjugum mores, & sinistram famam, ac Pontificum minas, ac intestina regulorum fratrum dissidia, & plurima extera bella, atq; alieni criminis fugam: nec non nobilium suorum detractiones, & alia pluri-*

plurima: quæ omnia forti pertulit pectore, & tamen omnia invicto superavit pectore & animo. Et demum diademate & regno in pace adeptis, statim virtute validâ insurgens adeo regnum omne scelestorum hominum purgavit insultu, ut non solùm inopes, sed & divites & opulenti die noctuq; quo velint, ire tutò possent; & quod majus, etiam insignes viros, moribus dissolutos & incompositos, ad urbanos traxit mores. Erat enim illi mite eloquium & gravissima facundia, atque familiaris humanitas, pietas & mansuetudo, nec non & maxima benignitas: ut non Reginam quis eam diceret, sed sociam. Ex quibus virtutibus omnes illam, non solùm egregiam atq; conspicuam, sed SINGVLARE ITALICVM DECVS QVOAD VIXIT FVISSE *dixerunt.* Hactenus Bergomensis, testis incorruptus & integer: ut inconsideratè ab insigni quodam nostræ ætatis historico, cujus nomini parco, flagitiosa mulier appelletur, quæ multarum virtutum eo in sexu spectamen fuit nobilissimum. Quis verò hujusmodi heroinæ fortissimi Germanici sanguinis principis thalamum inviderit? quis non ab Æneâ Trojano hospitem suam Didonem affante illud mutuari & nostram hanc viraginem Joannam compellare velit?

———— quæ te tam læta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuere parentes?

Inventus tamen est, qui convicium ei dixerit, caussidicus, sive rabula Neapolitanus, cui facetias inaniter sectanti, contra reverentiam magistratui legitimo debitam, pro *Regina Ruinam* appellare libuit.

Nata ex Ottonis & Joannæ matrimonio in Chronico Saxonico veteri scribitur *Helena*, altera conjunx *Ioannis*, sive Iani, ex familiâ *Lusinanâ*, sive *Lusignianâ*, regis *Cyprij:* quod tamen pro certo affirmare equidem nolim. Etenim Carolus Ioannæ pater obijt A. C. MCCCXXVIII. duas post se relinquens

linquens filias, Ioannam & Margaritam: tertia Maria fuit postuma. Si igitur Ioanna primogenita fuit, necesse est natam fuisse A. C. MCCCXXVI. nubsit autem Ottoni A. C. MCCCLXXVI. ut Collenutius: quo tempore fuit annorum circiter L. Idipsum etiam non dissimulat Gobelinus, innuens Ioannam A.C. MCCCLXXVIII. quo coronam accepit Papa Vrbanus, annos sterilitatis attigisse: fuit autem is matrimonij secundus: Gobelinum sequitur Crancius Metrop. lib. X. cap. XV. Sed de hac re liberum esto cuique judicium.

Plura de Ottone proferre non possumus: vitam & res ejus præclarè gestas diligenter consignatas conservatasque etiamnum legi posse, optandum esset. Est verò in illo principe illustre exemplum instabilitatis rerum humanarum, suique ordinis & conditionis hominibus documentum præbet, verissimum esse illud Poëtæ,

——————dicíq; beatus

Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

Cùm enim domi splendidâ familiâ natus, foris continuâ in rebus magnis gerendis prosperitate insignem famam & existimationem sibi comparasset, hujusque ergò amplissimas possessiones, puta Ducatum & dynastias: præterea regiam conjugem cum spe florentissimorum regnorum arridente nimiùm fortunâ consecutus esset: inexspectatâ rerum omnium conversione factum est, ut sub postremum vitæ longinquæ actum, conjurantibus quasi inter se, pariterque desævientibus, hinc inopinatâ subditorum perfidiâ, illinc extremâ alumnorum ingratitudine:

non tantum conjuge immaniter jugulatâ, principatuque virtute parto per summam injuriam orbatus, verùm etiam à superbo victore in ignominiosum carcerem detrusus fit. Quæ quidem ille omnia moderatè tulit, Deo ultori vindictam committens: à quo sanè non est diu dilata: Carolo rege paulò pòst ab Hungaris crudeliter obtruncato: Neapolitanis nullo non injuriarum genere afflictis. Quâ verò fortunâ Vrbanus ab hoc tempore usus fuerit, quamque miserè perierit, aliunde peti potest.

Balthasar Ottonem fratrem in Italiam euntem comitatus, ecclesiæ Romanæ cum ipso contra Galeacium & Barnabam, Vicecomites Mediolanenses, militavit multis annis. Quibus ambo non pauca fortitudinis & virtutis exempla ediderunt, profligatis multoties tyrannis istis, ereptisque ex eorum manibus urbe insigni Vercellensi, ac præterea arcibus, sive præsidijs circiter XL. quæ ad possessores suos redire benignè passi sunt. Capto per insidias Ottone, cæsisque, qui cum eo erant, Balthasar tunc quidem periculum evasit, sed non multo post interceptus, & ad Carolum regem deductus jussu ejus, immani ad posteritatem exemplo, oculis orbatus est, & quidem publico in foro, eo nimirum in loco, ubi ante annos aliquot de mandato sanguinarij hominis Caroli I. regis Siciliæ, à Clemente IV. Papâ ad sceleratum illud facinus perpetrandum furiosè animati, *Conradinus*, Conradi IV. Cæsaris filius, Friderici II. nepos, totius anni carcere prius maceratus, capite plexus est. Istius Caroli primi, quem *Petrus* Rex Arragoniæ *Neronem Neroniorem & Saracenis crudeliorem* dixit, abnepos fuit hic Dyrrachinus nihil illo melior mitiorve. Cladem Balthasaris, quam dixi, refert

Niemi-

Niemius de schismate lib. I. cap. XXIII. Henningesius & alij volunt à Sigismundo Imp. fame necatum: sed non video, quid caussæ fuerit Imperatori isti, aliàs ab immanitate alieno, in Germanici sanguinis principem, & quidem canis & annis insignem, (nam septuagenario majorem fuisse est cur affirmem) tam atrociter desæviendi: remitto igitur assertionem istam ad suos auctores. Conjugium Balthasari annotavit Niemius dicto loco: quòd nimirum duxerit unicam filiam *Honorati* Comitis Fundorum, præsidis ecclesiæ Romanæ in Campaniâ. Eidem scriptori nominatur *decorus, fortissimus*, & *strenuus miles*: neque plura de eo inveni.

Melchior sacris destinatus pervenit ad dignitatem Episcopalem in primâ antiquæ Saxoniæ ecclesiâ *Osnaburgâ*: non quidem electus à Capitulo, sed à Pontifice cò missus. Crediderim tum temporis in curiâ Papali eum hæsisse: vel saltem operâ fratrum, pro ecclesiâ Romanâ dimicantium, à Pontifice gratiam istam impetratam. Fuit ordine XXXIIX. Episcopus. Quo verò anno præsulatum inierit certò affirmare non possum, cùm Chronologia sit perturbatior, scriptoribus inter se diffidentibus. Joannes ejus antecessor ab Ertvvino Ertmano scribitur defunctus A.C. MCCCLXVI. cui si statim successit Melchior, ac Osnaburgensibus usque ad A. MCCCLXXVI. præfuit, ut Crancius Metropol. lib. X. cap. XXIV. & Ertvvinus testantur, decennium in ista dioecesi consumsit. Introductus est in Episcopatum per *Florentium VVevelinchovium* Episcopum Monasteriensem splendide, talique principe digno comitatu: verùm arces & opida in alterius erant manu. Is erat *Theodoricus*, *Comes Marcanus*, ecclesiæ

 Colo-

Colonienſis Canonicus poſtea Præpoſitus, nuper *Ioanni* Epiſcopo Oſnaburgenſi ſegniter rem agenti à capitulo adjutor datus. Cui cum pro impenſis, quas feciſſe docebat, ſatisfactum eſſet, meliorque fortuna loci ſperaretur, cœpit Epiſcopus bona diœceſis licentius juſto diſſipare, traditis pignori vicinis Dynaſtis præfecturis, *Vördanâ, Huntebergiâ* & *Gronenbergiâ:* poſtremò etiam *Iburgo* ſede Epiſcopali. Neque hoc contentus, cœpit inimicitias alere cum *Ioanne* & *Gerhardo*, Comitibus *Hoienſibus*, fratribus germanis, à quibus bello petitus, quòd vel improvidè rem ageret, vel à ſuis malitioſè deſereretur, in manus hoſtium pervenit, abductus in arcem *Hoiam*. Ordines diœceſis diligenter egerunt de ejus liberatione, ſed difficilis erat Comes Gerhardus, qui niſi XII. millia florenorum pro damno accepto ſolverentur, captivum non dimiſſurum conſtanter affirmabat. Quo nuncio ad Melchiorem Epiſcopum delato, ipſe de ſuâ tenuitate multùm locutus, ſuaſit Theodoricum Marcanum revocandum, eique adminiſtrationem diœceſis demandandam, iſtâ conditione, ut Hoienſi Comiti λύτρον perſolveret: Tecleburgio, cui obligatum erat pignori Iburgum, ſatisfaceret, ac deinceps vicario nomine rempublicam gubernaret. Etſi autem annueret Theodorus Marcanus, erant tamen malevoli, qui plus ſtudentes commodis Tecleburgij, quàm Epiſcopi vel diœceſis, negocio moram injiciebant. Vnde factum, ut & in captivitate permaneret Epiſcopus æquo diutius, & diœceſis defenſore carens continuis injurijs ac maleficijs divexaretur. Cujus mali cum aliud remedium non inveniretur, itum eſt ad prius, revocatusque Marcanus omnium conſenſu, tàm

Epiſco-

Episcopi, quàm ordinum dioecesis. In eas autem convenit conditiones: Marcanus, qui majore cum commodo, quàm Episcopus Melchior, dioecesi praeesse posset, onus gubernationis in se reciperet, ac tàm ecclesiastica, quàm politica negocia procuraret, idque proximis XII. annis. Tantum etiam aeris dependeret, quantum liberando ex vinculis Episcopo, ac repignerando Iburgo sufficeret. Acta sunt haec A. C. MCCCLXXIII. mense Ianuario, nomine Episcopi verba faciente heroë magnanimo & facundo Christiano Comite Delmenhorstano, praesentibus Gerhardo Comite Hoiano, VVidechindo Dynastâ Bergensi, alijsque ex ordine equestri personis honoratis. Hoc modo liberatus Episcopus, post suum ad urbem Osnaburgam reditum, in domo capitulari, quam vocant, eadem pacta conventa palàm rata habuit tabulisque confirmavit, ordinibus dioecesis, ut Marcanum designatum gubernatorem agnoscerent venerarenturque, fide datâ obligatis: reservatâ tamen sibi, unde honestè cum suis viveret, pensione annuâ. Caeterum non multo pòst Melchiorem facti poenituit: profectusque ad curiam Romanam Theodoricum Marcanum, aliosque nonnullos, tam ecclesiasticos, quàm seculares, ut vocant, citari à Papâ curavit: sed illi sive vera, sive verisimilia, praetexentes, domi mansere. Osnaburgenses autem capitulares, quaecunque eos caussa impulerit, A. C. MCCCLXXVI. elegere sibi alium Pontificem, *Theodoricum*, videlicet, *de Horne*, Praepositum Collegij, cui cessit Marcanus. Biennio post Melchior excpiscopus Osnaburgensis à Gregorio XI. *Swerinensi* ecclesiae praefectus est: verùm inauspicatò, quod eventus docuit. Cùm enim tribus saltem annis ibi praefuisset,

fuiſſet, mulſum veneno infectum à miniſtris Roſtochij propinatum ei ferunt: quo viſcera acriter inflammante, cùm nequicquam fraga fortuitò oblata ad calorem reprimendum avidè ori ingeſſiſſet, intumeſcente alvo crepuit medius, animamque miſerè efflavit A. C. MCCC LXXXI. quo eodem fratres Otto in vincula conjectus, Balthaſar exoculatus eſt.

F I N I S.

GERHARDI
Præpositi Stederburgensis

DE

HENRICI LEONIS BAIOARIÆ ET SAXONIÆ DVCIS

postremis rebus gestis, beatoque ex hac vita excessu,

HISTORICA NARRATIO,

cum Notis

HENRICI MEIBOMII.

Accessit

ANONYMI CHRONICON STEDERBVRGENSE

sub Gerhardo Præposito conscriptum,

&

HENRICI MEIBOMII
Oratio Panegyrica
de
Henrico Leone.

JOANNES HIMMELIVS
Theol. D. Tract. de Canonicatu, cap. I.

Hæc confirmat Polyhistor & Poëta clarissimus, Dn. Henricus Meibomius, in Notis ad Gerhardi Præpositi Stederburgensis Historiam de Henrico Leone.

Reverendißimo, illustrißimo, generosißimoq́ principi, domino

IVLIO AVGVSTO,

Abbati Michaëlsteinensi, ædis SanBlasianæ Brunsuicensis Præposito,

Duci Brunsuicensium ac Lunæburgensium, Domino clementiß.

ejusdemque ædis SanBlasianæ

Decano, Seniori, cæterisq́ Canonicis, viris reverendis, amplißimis, clarißimis,

patronis & fautoribus observandis.

Clementißime Princeps, & Patroni summè honorandi, perbrevem hanc de HENRICO Leone (quem meritißimò Godfridus monachus Coloniensis magnum Ducem *vocat) expositionem historicam, ab Henrico Hensyck, antiqui cœnobij Stederburgensis Præposito, viro optimo, humanißimo, mihiq́ peramico, benevolè mecum communicatam, dignam omnino censui, quæ dias in luminis oras prodiret. Etsi autem de isto incomparabili Heroë majus quid meliusq́ patriæ debeam, integram, videlicet, ejus historiam, ex probatis scriptoribus, visis ac invisis, ex diplomatis, litteris ac instrumentis infinitis accuratè deductam: huic tamen narrationi lucem invidere nequaquam volui, neq́ etiam fortè debui. Ex fide enim, etsi breviter, tàm magni, tàm fortunati, & per orbem Christianum celeberrimi principis, supremos labores, sive fabula, quam in hoc mundo egit, epitasin valde turbulentam: & post eam*

cataſtrophen tranquillam ac perbeatam, ordine perſcribit. Cum enim ſub ætatem ingraveſcentem penè omnia, quæ homini præter mortem accidere poſſunt, adverſa expertus eſſet Leo, duorum, puta, Cæſarum, patris & filij iram implacabilem: principum Imperij, tam Eccleſiaſticorum, quàm politicorum, invidiam & æmulationes: clientum domeſticorumq; perfidiam & transfugia: cum regiâ conjuge liberisq; parvulis intempeſtivum exſilium: illius deniq; in ſuâ abſentiâ præmaturum funus, horum apud inclementes hoſpites peregrinis in locis, nunc militiam, nunc moleſtam detentionem: neq; apud quenquam ferè mortalium miſericordiam, nedum ad reſtitutionem auxilium vel ſuppetias inveniret, rerum mundanarum (quibus vel in ſummâ felicitate nihil infelicius, nihil fallacius) pertæſus ad Deum opt. max. totum ſe convertit, pacatoq; ac magno animo, inter crebra ſinceræ pietatis exercitia, dignasq; erudito principe oblectationes, ſupremum in hoc ergaſtulo diem, quem morbi incurabilis pertinax atrocitas acceleratura videbatur, ſingulis momentis exſpectabat: felix non uno nomine cenſendus: quippe qui filios duos, primogenitum Henricum dignitate ac ditione Palatini principis ad Rhenum: proximum ab illo Ottonem honore ac dynaſtiâ Comitis Pictavienſis in Galliis, auctos ornatosq; vidiſſet: ſibi verò ipſi in patriâ, majorumq; auguſtali contra æmulorum injurias viriliter defenſo conſervatoq;, in dulciſsimo deniq; ſuorum complexu, felicem emigrationem, funusq; principe dignum, & honeſtum ad dilectiſsimæ conjugis latus ſepulcrum, cum Deo bene juvante, non tam ſperare, quàm polliceri poſſet. Cùm interim adverſarios penè omnes, & in iis valentiſsimos, violentiſsimosq;, Cæſarem Fridericum ac Colonienſem archiepiſcopum Philippum, illum undis ſuffocatum, hunc lue peſtilenti abreptum, utrumq; extra patriam, mediosq; inter hoſtes, reliquos verò æmulos, VVigmannum Magdeburgium & Vlricum Halberſtadenſem, antiſtites: Theodoricum Luſatiæ, Ottonem Miſniæ, marchiones, Ludovicum Thuringiæ Landgravium, Albertum Palatinum Comitem Saxoniæ, Chriſtianum Comitem Oldenburgenſem, aliosq; præterea, mortem ſuam fataliter maturantes, vivendo ſupergreſſus eſſet.

esset: ne quid dicam de transfugis clientibus ex animi sententiâ, utq; meriti erant, probè mulctatis. Satis est. (quod negare non possum) accuratus & diligens Arnoldus Lubecensis in perscribendis postremis Henrici Leonis rebus gestis, eoq; nomine à gratâ posteritate meritò commendabitur: habet tamen noster auctor bene multa, quæ isti hic prætermissa: habet, quæ rebus ab illo expositis, quà loci, quà temporis, quà personarum circumstantias, lucem adferre possunt, nec modicam neq; mediocrem. Diutiùs igitur in obscuro latere illum nolui: imò ut clarior lucidiorq; exiret: ut majore cum fructu legeretur, notas nonnullas, ut in aliis antea, sub finem adjeci. Cur verò hoc ἔξ᾽γγμα historicum sub vestri nominis auspicio prodeat, reverendissime ac illustrissime PRAEPOSITE, amplissime DECANE, clarissimi & spectatissimi CANONICI, etiamsi nullus profitear, facilè ipsi cogitare poteritis. Tibi, clementissime princeps, Henricus Leo est inter augustissimos majores: templum Sanblasianum, in quo tu primas tenes: vos reverendi amplissimiq; Canonici divinas laudes cotidie personatis, religiosus ille, & sine exemplo apud nos magnus princeps, suo impendio condidit, auctoritate stabilivit, reditibus dotavit. Nullis igitur aliis, quàm vobis, hæc debetur expositio, grata futura omnino, si non ad cartas, quæ exiguæ, sed res ipsas, cognitu jucundas utilesq;, clementer benigneq; oculos intenderitis. Id si à vobis obtinuero, erit ut in hac patriæ antiquitatis investigatione tantò pergam desudemq; acrius & alacrius, quantò illa majore, quàm hactenus factitatum, industriâ & accuratione opus habet. Valete feliciter, princeps celsissime, vosq; Mæcenates mei faventissimi. Helmastadij ex Iuliâ academiâ pridie Kal. Novembr. anno 1614.

Vestræ Celsitudini
subjectiss.
Vestrisque Dignitatibus
& amplitudinibus
addictissimus
HENRICUS MEIBOMIUS.

HISTORIA
DE HENRICO LEONE,
DUCE BAIOARIÆ ET SAXONIÆ.

1. ANno M C LXXXII. Werra maxima in terrâ
oriri cœpit. Imperator enim Fridericus cum
archiepiscopis, episcopis, abbatibus, princi-
pibus regni, & toto Imperio, nobilissimum
Ducem Henricum invasit. Iisdem inimicitijs
perdurantibus Coloniensis Episcopus vice
2. Domini Imperatoris vastator hostilis & impius exactor, nec
cœnobijs, nec ecclesijs parcens, impietatis suæ efficaces exse-
3. cutores de partibus Occidentis adduxit. Sexto denique an-
no, generali Domini Imperatoris expeditione propositâ,
cùm jam ipse Imperator & Principes non nisi propulsioni
Ducis intenderent, unusquisque Principum partes sibi adja-
centes, quæ ad Ducis ditionem pertinebant, atrociter inva-
sit. Nam Dominus Imp. mericam transiturus Coloniensem
archiepiscopum, Treverensem, Monasteriensem, Pathelbur-
nensem, Hildensemensem, Mindensem, Osenburgensem, ab-
batem Corbeiensem, cum nobilibus, tàm nostræ, quam re-
4. motæ terræ, in obsidione civitatis juxta Ovekaram in villâ,
quæ Letforde dicitur, reliquit: Halberstadensem ad obsidio-
5. nem Blanckenburg deputavit. Magdeburgensis priori an-
no auxilio Orientalium civitatem Haldensleve miro artifi-
cio & multo labore aquæ redundatione ad deditionem coë-
6. gerat: in quâ à Bernhardo de Lippiâ longo tempore ante de-
ditionem viriliter repugnatum est. Nobis itaque quibus tanta
multitudo incumbebat, nulla misericordia deputata est. Re-
gionem

gionem enim nostram coram nobis alieni devorabant, & à tempore messis, festo videlicet B. Margaretæ usque ad initium Autumni & ampliùs, ista mala perpessi sumus. Vidimus enim optima quæque diripi: viculos nostros succendi: rapinis nos exponi: equos & iumenta nostra depopulari, & domos nostras absque habitatore relinqui. Desolatis igitur nobis, & in desperationem ferè delapsis, sola Dei miseratio & patronorum nostrorum pia apud DEUM interventio, nos respexit, & inimicis nostris aliquantum mitigatis, cor ipsorum & hostile propositum in melius commutavit. Datum est enim nobis, sicut Ioseph & Danieli, in oculis principum gratiam invenire, ut aliquo modo pax nobis sicut redderetur, ne penitùs cum habitationibus nostris evelleremur: ac per nos etiam circumjacentibus villis subventum est. Fiduciati igitur in Domino exteros ad misericordiam inflectere potuimus, sed familiares nostros non evasimus. Quicquid enim à manibus alienorum servavimus, Hildensemenses non abhorrebant diripere, in quorum tamen pace securi esse debuimus. Tandem consummato malitiæ suæ tempore, cùm irrecuperabiliter attriti essemus, in vigiliâ B. Ægidij terga vertentes castra moverunt. Postquam autem Imperator voluntatis suæ compos rem cœptam prospero satis eventu effectui mancipavit, & nobilem Ducem Henricum in deditionem recepit, terra quasi de multis malis respirans siluit. Sed nondum ad plenum deleta est iniquitas terræ. Nam cùm multo antè particularis plaga nos attriverit, justo Dei judicio universo orbi mœstitia accrevit, & terram, quam calcaverunt pedes Domini, inquinati & immundi conculcare & contaminare permissi sunt, & civitas sancta Iherusalem tradita est, in manus gentium, quæ ignorant DEUM.
Audivimus enim, quòd Saladinus, urbis Damascenæ poten- 7.
tissimus Princeps, collectâ innumerabili virtute exercitus

sui, Christianos hostili bello aggressus est: in quo bello, eheu! nimis prosperatus est Saladinus. Nam capto salutifero ligno Dominicæ crucis, Patriarcham & regem urbis Iherosolymitanæ in eo conflictu fugavit, cepit, & quod seculo deflendum est, immani strage Christianorum peractâ, civitatem sanctam cum superbiâ magnâ ingressus est, ac loca sancta, quæ pro sui veneratione contingere non debuit, stabula equorum constituit. Vsquequo Domine iratus in finem, Memor esto vinctorum tuorum, & terræ, in cujus medio operatus es salutem nostram. Hujus igitur calamitatis & miseriæ rumor horribilis dum ad nos perlatus est, succensi zelo principes, tàm nostri, quàm de remotis terrarum locis, unà cum
8. Imperatore Friderico feliciter signati sunt. Sed idem Imperator ab odio nobilis Henrici non cessavit, quia antequam
9. expeditionem arriperet, conventum Principum in Goslariâ
10. habuit: ubi jam dictum Henricum ducem trium annorum exsilio deputavit, ipsum & omnia sua in firmissimâ pace constituens. In proximo Pascha Henricus Dux exulavit, Machtilden Ducissam, filiam Regis Anglorum post se
11. relinquens: quæ eodem anno in vigiliâ apostolorum Petri & Paulli defuncta est. Imperator igitur in festo S. Georgij apud Ratisbonam militum habito conventu, expeditionis Iherosolymitanæ iter arripuit, & cum multâ gloriâ & Principum & Baronum & militum, & reliqui vulgi copiâ, iter terraneum trans Græciam aggressus est: alij multi se mari committentes apud Ptolemaidem maritimam resederunt. Itaque Imperator aberat, & filius suus Henricus regiâ usus
12. est potestate. Absens etiam Dux Henricus policitam sibi ab Imperatore non sensit pacem: Sed bona ipsius omnium
13. exposita erant direptioni. Vnde idem Dux Henricum filium suum majorem inopinatè misit, & ipse contra constitutum sibi in brevi eum subsecutus est. Audiens hoc Rex, tan-

quam

quam contra se ageretur, publicas inimicitias adversus Du- 14.
cem habuit, & omnimodò destructioni & propulsioni ejus intendit. Convocatis igitur Rex Principibus in Goslariâ, remotâ omni misericordiâ, caussam imò modum destructionis ipsius tractare cœpit, & licet hyemis inclemencia eum
posset deterrere, quæ tunc ut semper post festum S. Martini 15.
imminens est, inconsultè expeditionem cum suis & Moguntino & alijs principibus Ducem persecuturus arripuit, fugam ipsius eò molestiorem fore existimans, si hyeme fieri videretur. Interim Senior Dux castrum Bernhardi Ducis Lavvenburg obsedit, quod viriliter oppugnans, eos, qui se in eo contulerant, ad deditionem compulit, suosque in ipso col-
locavit: filius autem suus in civitate suâ Brunsuich se recepit: 16.
qui acceptâ certitudine de adventu Regis, ad supplementum cibariorum ea, quæ in villis erant, intra muros intulit. Adveniens autem Rex, adjuncto sibi Moguntino & Duce
Bernhardo ac Hildensemensi Episcopo, & alijs Principibus 17.
& Baronibus, non obsidioni civitatis intendebat, sed vastati-
oni circumjacentis regionis. In cujus executione jam dictus 18.
Moguntinus ita se efficacem exhibuit, ut non jam Episcopus, sed magister militum esse videretur. Nam non pacem, sed facem: non infulam, sed galeam ostendebat: cœmiteriorum & ecclesiarum deprædationem, non consecrationem exemplo suo fieri monstravit: clavam vel fustem, quo feriret, non virgam, quâ regeret, vel sustentaret, manu gerebat: caligis ferreis, quibus conculcaret, non purpureis, in quibus torcular solus calcaret; tibias circumdedit: tunicâ ferreâ, non cilicinâ induebatur: non mandatis caritatis, sed minis diræ hostilitatis dilatabatur, insidens equo rapido, freno spumantia stringens ora; evagatus ipse effrenis per latos campos perniciosissimæ dissolutionis. His armatus, non Regem sequebatur, sed præibat: non compescebat, sed compellebat ad iram.

iram. Completâ igitur hac, quam prædiximus, malitiâ, Rex & Moguntinus Episcopus civitati appropiant, solo terroris incursu incolas ejus sibi subjacere existimantes. Sed spe impetus sui penitus frustrati, licet ipse Rex omni diligentiâ adhibitâ, & toto virtutis suæ robore in vanum expenso casas ante-urbanas, non fossâ aut munitione aliquâ, sed balistariorum & lancearum portitorum, liberè in campo discurrentium, præsidio defensas, exurere non potuerunt. Itaque inglorioso effectu propositi sui Rex per Episcopatum Hildensemensem regreditur, hostilem magis deprædationem, quàm regiam pacem suis ostendendo subditis. Hannovere
19.
20. succendit: castrum Conradi de Rothem Limbere appetens primo insultu inhonestè repulsus est. Inde regrediens, collectione militum dimissâ, Goslariam intravit: sicque factum est, ut qui inconsideratum & impetuosum in actionibus suis habuit initium, infeliciter & sine omni gloriâ suam terminaret expeditionem. Postea Henricus Dux consilio Principum, Moguntini videlicet & Coloniensis, archiepiscoporum, se subdidit, & propositâ sibi spe recuperandi pristini
21. honoris, Regi suam satisfactionem exhibuit, duos filios suos, Henricum videlicet & Luderum, obsides constituit: quorum alter Luderus apud Augustam urbem defunctus est: alter cum Rege in Apuliam cum militibus sibi à patre deputatis abijt, nihilque Henrico Duci de his, quæ sibi promissa erant, concessum est. Rectâ igitur Henrico rege iter agente in Apuliam mors Imperatoris audita est: de quâ nihil gloriosum, nihil memoriâ dignum dicere possumus, præter id, quòd exsul mortuus est. Qualis enim fuerit intentio ejus ab inceptâ expeditione, inglorioso vitæ ipsius termino, qui secretorum est inspector cordium, palàm ostendit. Imperator itaque Fridericus, de quo dicimus, transitâ Græciâ & Soldani regno, cùm præterisset Iconium, terram desertam & inhabi-

inhabitabilem, terram sitis & inviam, periculo suorum attigit, ubi plusquam medietatem sui perdidit exercitus. Quo periculo tandem laboriosè evicto, cùm ad cujusdam torrentis alveum consedisset, dehortantibus eum omnibus, qui aderant, alveum fluminis inconsultè intravit: quem mox ut ingressus est, reniti non valentem impetus aquæ intra manus suorum confectum senio miserabiliter obvolvit: ibique exitu, tam improviso! tam celeri! vitam finivit, anno MCLXXXIX. Iudicia tua, Domine, abyssus multa! 22.
Quis audeat in inscrutabile tuæ majestatis consilium mentis aciem intendere? terribilis es in consilijs super filios hominum. Filius autem Imperatoris Fridericus, Dux Sueviæ, honore quo potuit, ossa patris Antiochiam detulit: Sed & ipse in brevi pôst transmare vitâ excessit: Sicque ille exercitus, quem collegerat totius robur Imperij, absque nominati alicujus operis exsecutione mirabiliter est dissolutus. Rex igitur eò ampliùs anhelabat ad coronam, quantò ne quid erroris interveniret, anxius erat. Profectus itaque Romam, ordinationem, quam in brevi accipere sperabat, morte Domini Clementis Papæ, dum ad muros urbis sederet, intercipi doluit, donec electo Dn. Iacincto, & sancto die Paschæ consecrato, sequenti die Rex à Celestino Papâ coronam Imperialem cum benedictione, unà cum uxore suâ percepit. Ad cujus consecrationem adolescens de Brunsuich, filius Henrici Ducis, ut consanguineus Dn. Papæ, summam dili- 23.
gentiæ suæ operam ostendit, propositâ etiam sibi spe, imò datâ sibi certitudine, quam inde consequeretur, maximi honoris & fructuosæ utilitatis. Profectus inde Imperator cum Coloniense & Duce Boëmico & jam-dicto adolescente de 24.
Brunsuich, ut primùm Apuliam attigit, viribus atque minis castella cum opibus & civitatum munitionibus, quo potuit modo, aggressus est, repugnante sibi Tancredo, qui re- 25.

gnum Apuliæ potestativè sibi usurpaverat. Sed Imperatoris exercitum subitæ magnitudo cladis terribiliter turbavit, adeo ut plærique jam sani & validi miserabili mortis articulo solo sternerentur. Henricus itaque adolescens, filius Henrici Ducis, auditâ morte fratris sui Luderi, cui divina clementia cum naturalium decore donorum venustam etiam morum honestatem contulerat, timens etiam malo imminentis morbi florem ineuntis perdere iuventutis, nihilque consecutus promissi sibi honoris, nec aggressos sibi videns respondere labores, cum Imperator apud Neapolim coadunato sederet exercitu, à familiaritate ipsius divisus est. Ea propter ira Imperatoris in ipsum graviter accensa est, ratus aliquam sibi ex hoc nasci intricationem: unde terrâ marique omnes ei sias præcludere conatus est: ipse autem cautè inde
26. elapsus in Neapolim se contulit, unde navigio callidiitate, quâ potuit, evasit. Interim incredibilis illa pestilentia magis
27. ac magis invaluit, & archiepiscopum Coloniensem, unà cum
28. Cancellario, ac Duce Boëmico, & multis alijs involvit, & ipse Imperator irrecuperabili infirmitate corripitur, adeo ut desperatus & semivivus à Neapoli, nullo peracto negocio, asportaretur. Imperatrix autem apud Salernum ab incolis ipsius custodita est: & sic per biennium Imperatorem non vidit: ipse autem, perditâ uxore, rebus, & exercitu, redire cogitur, terræ nostræ etiam signa sui ostensurus infortunij. Nec adolescentem illum, quem in dubijs fortuna regebat eventibus, cessabat persequi, sperans alicubi terrarum eum invenire, vel circumsepire posse. Tandem Imperator nostro redditur regno, & ipse, quod deliquerat filius, in patrem refudit, certus adolescentem objectos insidiarum laqueos non posse evadere, patrem acerrimis minis aggreditur. Interim junior Dux, Deo se custodiente, per medios hostes, & per dispositas custodias, viâ, quam homo non posset ostendere, mirabi-

mirabiliter elapsus, per multos labores & gravia pericula inopinatè Brunsuich advénit: in cujus adventu patri suo lætitia accrevit, Imperatoris autem ira vehementissimè efferbuit. Dux ergo Henricus sperans Imperatoris posse mutari animum, sciens etiam suam de non læsâ majestate ejus innocentiam, legatos suos ad ipsum disponit, videlicet Abbates & Præpositos, viros religiosos, non solùm Imperatori, verumetiam principibus & consiliarijs, pro integritate gratiæ suæ supplicaturus. Cujus tota legatio, tanquam ludibrium & insipidum quoddam, in auribus ipsorum habita est, non intendens, nisi Ducem funditus exstirpare, qualiacunque, vel quantacunque, emendationis obtulisset obsequia. Nam aliquando se in Apuliam iturum policebatur, ut eandem terram suo redderet dominio: Imperatricem honorificè reduceret: quæ omnia tanquam nihilum & inane reputata sunt ei. Postremò emerserunt quidam iniqui, qui immanis odij inter Imperatorem & Ducem incentores exstiterunt. Hi enim à servitio domini sui Ducis se infideliter abstrahentes, sicut erraverunt ab utero, ita locuti sunt falsa, in hoc malitiæ suæ constituentes solatium, si hujusmodi inimicitiæ usque ad dejectionem Ducis perdurarent. Isti ergo ab Imperatore sequacem postulabant exercitum, certum eum reddentes, sine gravi difficultate se Duci posse prævalere. Erant autem hi, quos si nominare supersederemus, ex his, quæ gesta sunt, nostro noti erunt seculo: quoniam fiduciati non in Domino, magnitudinem suæ malitiæ circumjacentibus villis iniquæ promotioni acriter instabant, & si quos in civitate Brunsuich complices habuerunt, sequens actio declarabit. Tales itaque, tam nominati viri, immisericordes pacis turbatores, quorum injustitiæ oblivionem non accipient: quorum semen in confusione erit, quoniam secundum impetum animi sui, spe inaniter propositâ, absq; consilio spiritum narium superbientium

ſecuti, nolentem etiam impellebant Imperatorem: qui longâ morâ, ſine effectu, ampullas minarum terroremq; ſui adventus præambulare fecit, ſed cum concuſſione montium & coruſcatione fulgurum inani. Anno igitur MCXCI. conve-
29. nerunt nobiles terræ cum Halberſtadenſe Epiſcopo, & Hildenſemenſe, & Corbeienſe Abbate, & inutilem terræ & indecorum Imperio contraxerunt exercitum, qui in loco ſuper Ovekaram, in villâ Leſſorde / ubi prior ſederat exercitus, in feſto S. Barnabæ apoſtoli ſe contulerunt, unâ parte aquæ munitione ſecuri, alterâ verò foſsâ vallati. In hoc igitur loco, non Duci, ſed incolis terræ, & ſibi ipſis nocentes, non jaculis, ſed epulis: non militiæ, ſed crapulæ ſtudebant: nunquam inſultum aliquem in hoſtes, niſi ab ipſis provocati facientes: unde ſine damno hoſtium regreſſi ſæpiſſimè volucres, lupos, & canes ſuis eſcaverunt equis: unde vulturum & corvorum triſte eis præmonſtrans portentum multitudo eos inſecuta eſt. Ad caſtra autem regreſſi, ſine præeunte eos capite, ſui compotes, quisquis inter eos erat flagitioſior, hic inventus eſt nominatior: quisquis ad direptionem villarum erat paratior, propter impios actus ſuos habitus eſt potentior. Principes non dominabantur nobilibus: nec nobiles ſuis præerant minoribus: domini non imperabant ſervis, ſed unuſquiſque eo, quod potuit & libuit, abuſus eſt pro licito. Iſta autem, quæ præmiſimus, aut quæ ſubinferemus, nemo in vanum à nobis ſtylo ſignari æſtimet: profectò cùm in utraque parte malum vverræ graviter ſenſerimus, utriuſque partis, quæ fuerit commoditas, aut incommoditas, veritate non omiſsâ loquemur. Perdurante verò hujuſmodi malo, Principes jam-dicti Imperatoris adventum, falsò ſibi ſæpius præfixum, inaniter præſtolantes, ſui deſtructionem magis, quàm Ducis propulſionem agebant. Interim in civitate Brunſuich pro quibus-
30. dam captivis inteſtina quædam ſeditio orta eſt: in quâ Advo-

catus

catus Ludolfus cum filijs suis, & cognatis, perniciosissimè notatus est: quâ, ut plærique autumant, non, ut dispositum erat, terminatâ, si quid in animo gerebat, jam-dictus Advocatus ad lucem exposuit: nam cum filijs suis à servitio Ducis & civitate elapsus in tuta loca, scilicet Dalem & Winethen, se 31.
contulit. Qui legitimè vocatus, & usque ad præfixos sibi dies exspectatus, non redijt, donec decisa in eum sententia prolata est: ac deinceps hostibus Ducis adjunctus est, omnemque sui animi in malum Ducis affectum ostendit. Sed in brevi 32.
à filio Ducis Winethen capta est: sed de Dalem omnis cicumjacens regio rapinis & incendijs vastata est. Usquequo Domine exaltabitur inimicus? Sed de die in diem visum est Principibus ab Imperatore se deludi, tantæque exspectationis pertæsi sunt. Inito igitur consilio simiam quandam pacis statuere voluerunt: sed cùm aditum non haberent, aliquantulum protraxerunt adhuc sibi fiduciam constituentes. Erubescebant enim Duci supplicare de pace: nec ipsi, ut pacem darent, à Duce solicitabantur: ubi efficax Gerhardi Præ- 33.
positi Stiderburgensis diligentia operata est, qui internuncius utriusque partis adduxit consensum, & pace usque ad festum S. Michaëlis promissâ, in die Agapiti martyris satis inopinatè & misero termino conventus ille dissolutus est. In hac pace Ludolfus non est inclusus: quem postea Palatinus Rheni, cum apud Brunsuich eandem pacem protelaret, magno labore inseruit. Ex hoc tempore sicut infirmitas Imperij, ita & robur Ducis omnibus patuit hominibus. Discurrunt interim ad Imperatorem primi mali effectores, vanâ fiduciâ plenas ferentes scedulas, & Ludolfus Advocatus cum his, qui ad eum pertinebant, ante præfixum diem primus irrupit: unde omnia, quæ Ducis erant & ecclesiarum, ab ipso & Ecberto de VVulferebutle diripiuntur: grassati in 34.
ira magnâ, scientes, quia modicum tempus habent. Sed ante

ruinam exaltatur cor. Dux igitur, ut de suis plenam consequeretur vindictam, & se à circumcurrentibus exoneraret latrunculis, collectâ validâ multitudine per filium suum, &
35. Bernhardum de Welepâ, & plures Nobiles, Wolferebutle obsedit: quod machinis & instrumentis ad hoc deliberativè apparatis viriliter appetentes ad deditionem Guncelinum quar-
36. to die compellunt: castrum occupant, incendunt & solo sternunt. Et in hac parte Brunsuich utiliter exoccupatur. Eodem fortunio Dalem inopinatè circumdederunt, & Ludolfum advocatum, cum juniore filio suo Ludolfo ibi comprehenso, sexto cum die ad deditionem compulerunt: majore filio suo aliâs transeunte. Hi sunt, qui foderunt foveas, & inciderunt in eas. Ludolfus advocatus cum filio suo captivus abducitur, & castrum suum his, qui eum oderant, commendatur. Ipso tem-
37. pore castrum Ludolfi de Peinâ, qui avunculi sui exempla devia secutus, Conradum de Rothen in sui perniciem sibi asciverat, alterâ die capitur, incenditur & æquatur, & nomen
38. Ducis ex hujus facti memoriâ, quod fieri posse videbatur incredibile, eò gloriosius dilatabatur. Perdurante adhuc odio Domini Imperatoris, quantò virtuosius Dux junior in cunctis actionibus suis patris sui virtutem est secutus, eò major Imperatoris circa ipsum accenditur ira, & irritum inter
39. Ducem & filiam Palatini de Reno dissipare nitebatur matrimonium. At illa, quamvis à multis impetebatur, ab Imperatore ad hoc destinatis, in Ducis, quem elegerat, amore immobilis permanebat. Tandem matre suâ agente, Palatino inscio, vocatus, per medios fines inimicorum suorum & per varias insidias mirabiliter elapsus, protegente se Deo, cùm etiam ipsa, quæ futura erat sponsa, quid gereretur ignoraret, vespertino crepusculo intravit, & ipsâ nocte absq; nuptiarum celebratoribus, non tamen sine benedictione sacerdotali, in
40. thalamum collocati sunt, & felix contractum matrimonium.
Vocatus

Vocatus postera die Palatinus, qui tunc ad latus erat Imperatoris, dum castrum intravit, quæ gesta sunt audivit: & tunc demum cum gaudio & exsultatione celebres divulgatæ sunt nuptiæ. Deinde Palatinus Imperatorem adijt, se de conscientiâ facti juramento expurgat, & omnibus modis filium, quem sibi adoptavit, per filiam gratiæ Imperatoris elaborat restituere. Factus itaque voti sui compos, ut primum filio suo Imperatoris mitigavit animum, Ducem seniorem in Brunsuich adijt, eumque ad præsentiam Imperatoris evocat, policendo bona, si ad Domini Imperatoris voluntatem suum inclinaverit animum, & se gratiæ suæ ordinationi submiserit. Dux itaque, licet non ignoraret, quoniam difficilis ei foret imperialis iræ mansuetudo, tamen ut principum ordinationi esset consentaneus, consilio Palatini acquiescit, eique curia in Salvelde præscribitur: ad quam cùm Imperator accederet, 41.
& Dux esset in itinere, in arduo nemoris, cum appropinquaret loco, qui Bothvelde dicitur, Dux de equo corruit, & 42.
ex contritione tibiæ ab itinere, quod cœperat, impeditus est. Sequenti die Walkenred deportatus, nuncios suos ad Im- 43.
peratorem ordinat & destinat: ipse verò mansit in eodem loco gravi ex læsione laborans infirmitate. Imperator ut audivit, quamvis artem suspicaretur subterfugij, principes, qui convenerant, detinuit, adventumque Ducis exspectare disponit. Postquam autem intellexit Dominus Imperator non fictam Ducis infirmitatem, viciniorem loco, & tempore productiorem diem ei constituit in Dulletze / certificatus 44.
à Præposito Stidereburgensi Gerhardo, qui legatione Ducis fungebatur. Dux itaque aliquantùm receptis viribus suis, ad diem & locum sibi constitutum venit, & in plenam gratiam Imperatoris ibi receptus est, & filius suus beneficijs Palatini, quæ ab Imperatore tenuit, solenniter est vestitus, expetente domino Imperatore, ut secum iter arriperet in

Apuli-

Apuliam. Dux ad sua redijt & filium suum ad obsequendum domino Imperatori modis omnibus adjuvit spe ductus inani: quia aliqua ex his, quæ sibi promissa erant, exspectabat.
45. Mittitur itaque filius Ducis, Palatinus Comes Reni, cum domino Imperatore in Apuliam, sicq; Dux beato Job in hoc non dissimilis omni orbatus est filio: siquidem duos minores
46. natu Ottonem & Wilhelmum rex Angliæ avunculus ipsorum, pro multis millibus marcarum argenti, quod pro sui liberatione debebat domino Imperatori, dederat in pignore: & hic majór natu sub dubiâ spe revertendi & ancipiti periculo peregrè profectus est. Porrò idem nobilissimus Princeps eventum filij sui, quem Imperialibus obligaverat obsequijs, anxius exspectabat, quem tamen infra ipsum, quo abierat, annum, rebus in Apuliâ bene gestis, sanum & incolumem recepit. ipse verò nihil nomine dignum, vel honoris, vel utilitatis, ab Imperatore consecutus est. Videns igitur senior Dux Imperatorem flecti non posse ad benevolentiam, cœlesti regi placere desiderans, cultum domus Dei ampliare intendit: specialiter autem monasterium S. Johannis Bapti-
47. stæ & S. Blasij, quod à fundamentis exstruxerat, decorare studuit: unde imaginem Domini nostri Jesu Christi crucifixi cum alijs imaginibus miro & decenti opere in medio monasterij summo studio collocari fecit: pavimento & fenestris ipsum monasterium laudabiliter ornavit: crucem auream opere fabrili instituit, cujus precium in auro & gemmis ad mille quingentas marcas argenti computabatur. Ipse etiam licet robore & viribus corporis deficeret, & infirmitas, quæ quemlibet hominem dejiceret, graviter ipsi accederet, animi sui naturalem virtutem nobiliter regebat, & antiqua scri-
48. pta Chronicorum colligi præcepit, & conscribi, & coràm recitari, & in hac occupatione sæpè totam noctem duxit insomnem. Negocia etiam permaxima ad ipsum cotidie deferebantur:

bantur: quia assuetus in his animus consilij prudentiam non amiserat. Vestes etiam sacras divinis aptas ministerijs in sui præsentiâ fecit aptari, quas in usum ecclesiarum partim distribuit, partim in capellæ suæ usum reservavit. Interim Dominus Imperator Ducem inanibus promissionibus suspensum tenet, & frequenter mittit nuncios ad ipsum, qui se & filium suum ab indebitâ læsione debebant eximere, & eos, qui indebitè ipsi rebelles erant, suæ gratiæ reformare. Eo
tempore Dux Austriæ Lippoldus de equo corruens vitam 49.
miserabiliter finivit, & filium Ducis Willehelmum, quem habebat in pignore, serò pœnitens, antequam moreretur, re-
gi Vngariæ Duci Henrico reddendum transmisit: sed & hoc 50.
arte Imperatoris impeditum est. Expensâ igitur hyeme, & totâ Quadragesimâ dum eleemosynarum largitioni totus insisteret, in vigiliâ Paschæ nocte mediâ repentinus eum dolor invasit, & solito plus invaluit malum. Ipse tamen operibus bonis, quæ cœperat, infatigabiliter insistebat: ab hoc itaque tempore, usque ad diem obitus sui vix aliquod de continuo dolore habebat remedium. Sic exactâ æstate, cùm dies caniculares instarent, immoderatâ, sed naturali solutione ventris laborare cœpit, ipse tamen nullius medicinæ remedium admisit. Nec hoc silendum, quòd XIV. ante obitum suum
die, quæ est vigilia Iacobi, horâ diei nonâ, exortâ subitò nu- 51.
beâ partibus Occidentis, in ictu oculi fulgur miri acuminis & velocitatis apparuit, & tonitru terribile subitò subsecutum est: & ex ipsâ occulta vi sub tecto plumbeo inter murum & plumbum monasterij tegillæ ligneæ incensæ sunt: sed omnibus, qui circa Ducem erant, consternatis, ipse permansit interritus. Acclamantibus igitur omnibus ad incendium & uti Duci succurratur, quia super caput ipsius erat incendium, grandis pluvia secuta est, & divina potentia, quæ invisibili-

ter hunc ignem accendit, sine humano molimine mirabiliter eum extinxit. Dux itaque, quia vim morbi in se timuit, nuncios suos post filium, qui tunc in partibus Reni moraba-
52. tur, misit: & Episcopo Raceburgensi Isfrido, cui specialiter confiteri solebat, nuncium destinavit. Qui subitò veniens vidit eum morbo acriùs laborare, verbum exhortationis ad ipsum habuit, ut spiritu fortitudinis in hoc articulo habito Dominum se vocantem hilari corde sequeretur. At ille his, & similibus verbis, salubriter compunctus, puram coram Deo & Episcopo peccatorum suorum confessionem fecit, & quarto nonas Augusti in remissionem præteritorum suorum delictorum secundum consuetudinem ecclesiæ oleo inunctus est, participans sacrosanctis mysterijs Christi. In hac itaque morbi molestiâ quatuor adhuc dies supervixit, non querulus, non gemens, ut plærique solent infirmi, sed si quando erupit in vocem, Deus, inquit, propitius esto mihi peccatori. Erectus namque in virtutis culmine animus passionibus corporis non succubuit, cui etiam in divisione corporis & animæ morti succumbere quasi videbatur indecorum. Eo-
53. dem tempore famosus ille princeps Henricus Dux inter manus cleri sui, quem ipse tenerè dilexit, & gloriosæ tramite disciplinæ imbutum ad altiora tendere semper hortatus est, ex hac luce subtractus obdormivit, ut speramus in Domino,
54. anno ætatis suæ LXVI. De cujus morte sicut sui non modicam habuere tristitiam, ita æmuli sui magnam concepere lætiti-
55. am. Audivimus tamen postmodum, eos qui eum odio habuerunt, commendare gloriam & virtutem Principis, & vivere eum instantissimè optabant. Deportatus itaque inter
56. manus flentium in monasterium S. Blasij, quod ipse exstruxerat, in medio pavimento ante crucem, quam erexerat, in dextro latere uxoris suæ Mathildis Ducissæ, Anglorum Regis filiæ,

filiæ, honorificè sepultus est: sicque factum est, ut quam habuerat consortem thalami, haberet etiam sociam sepulcri. 57.
Quorum animæ per misericordiam Dei lucidas & quietas mansiones in sorte sanctorum possideant,
Amen.

Finis historiæ de Henrico Leone.

EPITAPHIUM

HENRICI LEONIS,

quod exstat Brunsuigæ
in æde SanBlasianâ.

Hic jacet Henricus, quondam Dux, conditor hujus
Ecclesiæ, dignus nobilitate, pius.
Moribus ornata sibi conjunx est sociata,
Pauperibus larga, simplicitate bona,
Inclyta Mechtildis Anglorum filia regis.
Nutriat Angelicis hos Deus ipse cibis.
Adjacet optatus rex horum sanguine natus,
Otto coronatus, vermibus esca datus.
Hujus erat sponsa Philippi stirps generosa,
Filia formosa, nunc cinis, ante rosa.
Qui legis hæc metra, memor horum sis peto: pensa,
Quid caro, quid vita, quid res, nisi mors, cinis, umbra.

Vita Auctoris.

COEnobium monialium Stederburgense duos habuit Præpositos nominis ejusdem. Prior Gerhardus vixit sub Lothario Imperatore: sub Henrico Leone posterior. Qui cùm antea egisset cellarium, quem vocant, in monasterio Richenbergensi (vulgò Reiffenberg) ibique vitæ sanctimoniam prudentiamque patribus probasset, Stederburgi unanimi consensu eligentium Præpositus designatus est. Factum hoc ipse annotavit anno 1163. Invitus in se recepit onus, quòd præsagiret ei animus, fore ut pietatis exercitia à laboribus Oeconomicis impedirentur. Verùm auctoritas Antistitis Hildesiensis monasterio bene-volentis vel reluctantem permovit. Cœnobio valde fuit utilis: etenim bona dissipata, oppignorata, vel labefactata, requisivit, redemit, ac meliora reddidit. Omnia penè ædificia collegij, tàm sacra, quàm Oeconomica, instauravit: quæ pro superstitiosi seculi usitato more, ab Adelhogo Hildesiensi & Evermodo Raceburgensi, Episcopis religiosissimis, familiaribus suis, solemniter consecrari voluit. Factum anno 1174. Cum Præpositum egisset annis 46. ac interea temporis insignes vidisset ejus loci mutationes, multas molestias ac ærumnas sustinuisset, tandem ex hac vitâ in cœlestem migravit anno 1209. Monasterij sui fundationem, incrementa, ac adversitates, secundùm annorum seriem diligenter annotavit: ex quibus expositionibus hanc historiolam, dignam quæ iterùm legatur, excerpsimus.

HEN-

HENRICI MEIBOMII, Poëtæ & Historici,

NOTÆ

ad Historiam de Henrico Leone.

W*Erra maxima*) *VVerra* ſive *guerra*, vox barbara, bellum, certamen, moleſtiam, ſignificat: ſine dubio à Germanico gewirre: Saxones, wer vnd wunder/ hoc eſt, inopinatum & grave malum. 1.

Colonienſis Epiſcopus) Philippus familiæ Heinsbergiæ in agro Iuliacenſi, Comitis Goſvvini junioris ex Adelheidâ Somerſcheburgiâ Palatinâ Saxonicâ filius. Eſt autem ſecunda hæc religioſi iſtius & irreprehenſibilis Epiſcopi expeditio in Saxoniam, quam Arnoldus abbas Lubecenſis αὐτόπτης lib. 2. cap. 30. his verbis deſcribit: *Philippus Colonienſis contracto exercitu ſecundam expeditionem inſtauravit, habens in ſuo comitatu illos, quorum ſecta Rote dicitur. Rurſumq; in manu validâ pertranſivit omnem terram Ducis, & timuerunt omnes à facie eius. Facta autem ſunt abominabilia multa & gravia in profectione illâ, eò quòd viri iniqui, filij Belial, qui comitabantur cum eo, ſceleratiſſimi eſſent, & ſceleribus perficiendis inexplebiliter inſiſterent. Facta ſunt autem cœmiteriorum deprædationes, eccleſiarum exuſtiones & multa loca religionis deſtructa ſunt, ita, ut quod dictu gravius eſt, ſponſas Dei quaſi captivas abigerent, & eas proſtituendo templa Dei, non manu facta, libidinosè polluerent. Quis non gemat, quòd ſacerdoti ſacroſanctis myſteriis aſſiſtenti, non pepercerunt, ſed impingentes in eum, necdum bene completis ſacramentis, calicem de manu eius rapuerunt? Multa etiam alia ſceleratiſſimi illi perpetrarunt, quæ pro enormitate nefas fuit ſcribere, & nimis venenata auribus fidelium infundere.* Hactenus Arnoldus Lubecenſis. 2.

Sexto deniq; anno) Initium belli contra Henricum Leonem fecit Vlricus Epiſcopus Halberſtadenſis anno 1177. quo ipſo Fridericus Imp. cum Papâ Alexandro redijt in gratiam. Eſt igitur an- 3.

nus 1182. belli hujus civilis sextus. Vide Helmoldi continuatorem Arnoldum lib. 2. cap. 27. & sequentibus aliquot: Ottonem de S. Blasio cap. 24.

4. *Ovekaram)* Non refertur amnis hic eâdem scripturâ. Aimoinus monachus lib. 4. cap. 61. *Ovacram*, cap. 70. & 75. *Ovacrum* nominat: Francici annales *Obacrum*. Intelligendus *Ocra*, die Ocker/ post salutatum VVolfenbutelum ac Brunsuigam in Aleram se exonerans.

5. *Magdeburgensis priori anno)* Haldenslebium olim illustrium comitum sedes, hodie etiam opidum non ignobile, situm ad Oram fl. (Fabricius lib. 5. Originum Saxonicarum perperam Viadrum vocat) captum & desolatum est anno Christi 1181. ut Chronicon Lauterbergense MSC. Addam verba auctoris, ut de stratagemate constet. *Qui in civitate erant*, inquit Chronicon, *adhuc si possent eam amplius munire cogitabant: cùm enim fluvius Ora, ex unâ eam parte praterfluens valde muniret, alium tamen fluviolum, qui Bivera dicitur, ad alteram eius partem derivantes inaccessibilem penitus reddiderunt: aquis enim circumquaq; stagnantibus, quasi insula videbatur. Sed hac res civitati perditionem procuravit. Deprehensum est enim ex hoc, situ terra considerato, quòd si decursus aquarum aggere iacto prohiberetur, civitas aquis sursum crescentibus mergeretur. Hoc etiam ad obsidionem Episcopum* (VVichmannum) *mox revocavit. Labore itaque maximo infra tres menses, & duas hebdomadas, aggere consummato in tantum aqua excrevit, ut penè super muros civitatis influeret. Tunc demum Episcopus naves armatorum plenas civitati iussit applicari. Obsessi autem & captivati rebus suis & corporibus salvis civitatem ipsius tradiderunt potestati, quod consecuti bono omine discesserunt. Episcopus verò civitate potitus eam funditus evertit, utile nimis opus perficiens, & valde suis posteris profuturum.* Hucusque Lauterbergense Chronicon. Hæc verò est altera obsidio Haldenslebij: prior incidit in annum 1168. quæ quâ occasione soluta sit, ex eodem Chronico Lauterbergensi libet referre. *Civitas in palude ædificata erat triplici vallo & muro forti munita. Palus autem circa civitatem porrecta non patens, sed sub cespite latens erat, & cespes ipse non solidus, sed vestigiis cedens quasi immersionem desuper ambulantibus minabatur. Super hunc machinæ multa diversi generis multo labore & sumtibus magnis ad capiendam civitatem construebantur. Interim verò hi, qui obsessi fu-*

sessi fuerant, stultum indicantes nihil per se agere, quoniam hujusmodi materies flammæ admodum capax est, cespitem ex eâ parte, quâ extremo civitatis vallo jungebatur, obsessoribus ignorantibus incenderunt. Ignis autem subterraneo meatu serpens citò dilatatus est, qui cum ad locum machinarum venisset, cespes subter igne exesus, molem superpositam ferre non valens, repentè subsidit, totaq; illa structura cadendo secuta copiosum igni pabulum ministravit. Hactenus iterum Chronicon Lauterb. Cum autem Haldenslebium annis circiter quadraginta tribus in ruderibus jacens triste spectaculum vicinis civitatibus præbuisset, sub Alberto archiepiscopo, ex Comitibus *Hallermundiis* nato, ipso in Italiâ cum Imperatore absente, accolis illuc confluentibus, iterum instauratum urbis veterem formam auspicatò resumsit.

Bernhardo de Lippiâ) Hic Dynasta ab Arnoldo Lubecensi lib. 2. 6.
cap. 30. & Chronico Lauterbergensi Comitis titulo honoratur. Ineptit igitur Crancius, qui familiæ Lippiensi dignitatem istam derogat, Metropol. lib. 7. cap. 40. Contrarium potuisset discere ex Alberti Stadensis Chronico ad annum 1219. præterea ex veteri Chronico Saxonico ad annum 1181 1221. & 1464. Fuit verò hic Comes Bernhardus dux copiarum sub Henrico Leone, cujus partes contra æmulos masculo tutatus est animo, mulctatus hoc nomine ab Episcopo Coloniense Philippo feudis, quæ ab ecclesiâ tenebat. Eam jacturam compensavit Henricus Leo, datâ ei præfecturâ Engerensi, antiquorum regum & principum Saxonicorum augustali. Haldenslebium viriliter defendit à primâ obsidione usque ad postremam: ubi contra naturam pugnare non potuit. Salvo præsidio & arce suæ fidei commendatâ, eruptionibus crebris rapinisque vicinos fatigavit, ausus subinde usque ad muros Magdæburgenses prædabundus excurrere. Exstat nostrâ operâ Iustini cujusdam Lippiensis poema vetustum, titulo Lippiflorij, scriptum ante annos circiter 370. seculo isto barbaro penè eruditius comtiusque, quo Bernhardi vita & res gestæ delibantur: cumprimis prolixè ibi describitur, quomodo post longinquam militiam, factasque cædes, & illatas adversantibus injurias, ut maturè Deum placaret, proque delictis satisfaceret, relictis conjuge, liberis, omnibusque negociis mundanis, in cœnobio Mariæfeldensi, quod est in diœcesi Monasteriensi, cucullum induerit: monachatui adjunxerit peregrinationem

tionem, sive bellum sacrum in Livoniam, eo eventu, ut ibi in novo Episcopatu Leahlensi cathedram indeptus sit. Vide encomium ejus apud Stadensem ad annum 1228. Meminit Cæsarius Heisterbacensis monachus illustrium miraculor. lib. 9. cap. 37. & lib. 10. cap. 35.

Pars familiæ.

Bernhardus, Comes Lippiensis, propugnavit summa fide pro HENRICI LEONIS partibus: postea ex abbate fit Episcopus.

- *Hermannus vir sapiens & illustris, ut Albertus ad annum 1230.*
  - *Bernhardus privilegia urbi Lemgoviensi confirmavit 1245.*
    - *Simon, Dominium Engerense Brunoni, Comiti Ravensburgio, oppignorat 1280.*
      - *Simon confirmavit Lemgoviensibus privilegia 1300.*
      - *Bernhardus Episcopus Paderbornensis ⊙ 1340.*
  - *Simon Episcopus Paderbornensis ⊙ 1274.*
  - *Otho Episcopus Monasteriensis ⊙ 1247.*
  - *Heilvviga uxor Adolfi 4. Comitis Holsatiæ & Schavvenburgi.*
- *Gerhardus arch. Bremensis ⊙ 1259.*
- *Bernhardus Episcopus Paderbornensis 1247.*
- *Otho Episcopus Traiectensis ⊙ 1227.*
- *Theodericus Præpositus Daventriæ ⊙ 1227.*

7 *Saladinus urbis Damascenæ potentissimus Princeps)* De hoc, ejusque rebus gestis, vide appendicem Reineri Reineccij ad Haithonem Armenium. Capta est autem Hierosolyma anno Christi 1187. quarto Non. Iulij, feriâ sextâ hebdomadis, ut Arnoldus Lubecensis,

sis, Gobelinus & alij: ab initio regni Hierosolymitani, anno 88. ut Otho de S. Blasio, cap. 30.

8. *Cum Imperatore feliciter signati sunt*) Expeditionem Friderici Barbarossæ in terram sanctam descripsit Tageno Decanus Pataviensis αὐτόπτης. Exstat narratio appendice ad primum tomum Germanicor. scriptorum Cl. Freheri. Vide præterea Ottonem de S. Blasio cap. 32. & tribus sequentibus. Arnoldum Lubecensem lib. 3. cap. 29. & seqq. Gobelinum ætatis 6. cap. 60.

9. *Conventum in Goslariâ*) Adi Arnoldum Lubecensem lib. 3. cap. 28.

10. *Henricum Ducem trium annorum exsilio deputavit, & omnia sua in firmissimâ pace constituens*) Arnoldus Lubecensis lib. 3. cap. 28. *Cæsar Duci Henrico trium optionem dedit, ut aut dispensationem in particulari quadam restitutione pristini honoris pateretur: aut secum peregrinatum in expensâ Imperatoris iret, postea plenariè restituendus: aut terram per triennium, tàm pro se, quàm pro filio suo æquivoco, abiuraret. Dux tamen magis elegit terram exire, quàm vel ire, quo non vellet, vel honore pristino ullâ diminutione mutilari.* Hæc ille. Repetit Crancius Saxon. lib. 7. cap. 1. sed ut locum corrumpat. Chronicon rithmicum de ista re in hanc sententiam:

Do her vor dhen Keyser quam/
  Vnd in zo sinen Gnaden nam/
Her moste loben daz sin Thunge
  Nùmber thete vorderunge
An Lehen vnd eygen allgelich/
  Wen Lùneburch vnd Bruneswich/
Vnd daz im dhar zo beschendhen wart.
  We/ we/ der ruwelichen vart/
Daz her se nicht vormidhen wolte/
  Dher Keyser im beschent her solte
Bi dem Lande sin dhri Jar/
  Der Keyser lobete ouch vorwar
Im vnd dhen sinen widher
  Gantzen Vridhe.

11. *In vigiliâ Apostolorum Petri & Paulli defuncta est.*) Chronicon vetus Saxonicum obitum Mechtildis Anglicæ collocat in annum

1187. Annales rithmici ponunt 1188. Vtrobique perperam: rectius noster auctor, quod circumstantiæ evincunt. Nata autem fuit anno Christi 1156. ut habet Matthæus Paris: obijt anno 1189. ut fuerit annorum triginta trium cum obiret. Encomium Mechtildis habet Arnoldus Lubecensis lib. 2. cap. 2.

12. *Absens etiam Dux Henricus policitam sibi ab Imperatore non sensit pacem)* Annales rithmici:

Noch was an Enggelant Heynrich
Der groze Lewe von Bruneswich
An siner ellenden vart/
Wo kleine ouch im gehalten wart
Der Vridhe/ den im dher Keyser Frederich
Lobte: wen allemenlich
Moyte in an sinem Gute.

13. *Ipse contra constitutum)* Gotfridus monachus ad annnm 1189. *Henricus quondam Dux Saxonum, cognitâ Imperatoris absentiâ, contra iuramentum de Anglia reversus, nativum suum expetit, adstipulante sibi rege Richardo, cuius sororem habuit, & rege Dacio genero suo.* Hactenus Gotfridus Coloniensis, quem de Henrico Leone paulò incivilius loqui, non est quod miremur. Servivit scenæ, scribens nimirum quæ Vbiorum archiantistites Leonis Saxonici exuvijs egregiè locupletatos, tàm ab injustissimâ rapinâ, quàm violentâ indebiti spolij detentione, excusarent. Nequaquam autem vero est simile, Leonem ad exsilium juramento se obligasse: sed potiùs inter Cæsarem & ipsum convenisse, ut hic pacis & quietis caussâ ex Imperij finibus ad tempus emigraret: Cæsar interim ei caveret, ne quid de parvis avitarum possessionum reliquijs, quibus vulturij vicini oppidò inhiabant, in ordinem redacto enervatoque possessori eriperetur ulteriùs. Quod cùm non servaretur, imò contrarium impunè & inverecundè fieret, Leo pertæsus injuriarum, cùm sororius Anglus & gener Danus, reges præpotentes, eum inflammarent: ipsa etiam στοργὴ (quæ in generosis naturis plærumque vehementior est) ne heroicam multarumque imaginum sobolem, ad extremam, ipsaque morte acerbiorem paupertatem, ociosus domesticæ miseriæ spectator, ab indignis detrudi pateretur, incessanter inculcaret, ut tempestivè suis suorumque rebus quoquo posset modo consuleret,

fuleret, omnino necesse habuit. Quod ipsum, si vel Cæsarem, vel Principes alios offendit, sibi imputent, qui pacta conventa ut servarentur segnius procurantes, paci publicæ perturbandæ occasionem præbuere.

Publicas inimicitias adversus Ducem habuit) Chronicon rithmicum: 14.

Dher junghe Koninc Heynrich/
Dhes Vater hatte wesen Frederich/
Dher dher veydhe ni vergaz
Durch dhen angebornen haz
Wider sinen mach Heinriche:
Dha iz pleyph an Frederiche/
Dha began iz der junghe algelich/
Durch daz Herzoge Heinerich
E dher zit zo Lande quam/
Vor groß obel her daz nam.
Der wart sin Vigent offenbar/
Und dachte in verterben gar
Von aller siner Herschaph.
Vullen rat im dar zo gaph
Von Meinze der Bischoph
Das zu Goßlere einen Hoph
Leyte Koninc Heynrich.

Post festum Martini) Leo circa finem Septembris in Saxoniam 15. redijt, cœpitque de amissis recuperandis cogitare. Moguntinus verò, cujus hîc mentio fit, fuit Conradus VVittelsbachius, frater Ottonis Palatini, qui optimum principem Philippum Imp. immaniter trucidavit. Noluit autem archiepiscopus iste dissimilis esse antecessori suo Christiano, quem Robertus de Monte, continuator Sigeberti Gemblacensis, non morem clericorum, sed tyrannorum imitatum scribit. Res ejus Episcopo Papali dignas, puta cædes, depopulationes, piraticam, comitatum ex monachis & monialibus, immensos ac plus quàm regios sumtus, vide apud Albertum Stadensem ad annum 1172. & duos sequentes. Repetijt inde Crancius, Metropoli lib. 6. cap. 49.

In civitate suâ Brunsvich) Adstruitur hîc Henrico Leoni, ejusque 16. filio

filio hereditarium urbis Brunſvigæ dominium, quod diſertiùs dicit Crancius Saxon. lib. 7. cap. 1. ubi Brunſviga Leonis peculium, & lib. 8. cap. 28. ubi peculiare patrimonium indigitatur.

17. *Hildenſemenſi Epiſcopo)* Adelhogo, qui ex Baronibus Dorſtadianis originem duxit, Theodorici F. Arnoldi cognomento Variabarba, conditoris cœnobij Dorſtadiani, frater.

18. *Dictus Moguntinus ita efficacem ſe exhibuit.)* Exemplar Pſeudoepiſcopi Pontificij, ſive Eccleſiæ degenerantis. Cui ſimilem agnoſcas Lippoldum VVormatienſem Epiſcopum apud Trithemium Chron. Hirſaug. ad annum 1203. & Epiſcopum alium apud Guil. Neubrigenſem p. 495. Vberrimus autem fuit horum proventus in orbe Chriſtiano, inde à temporibus Imperatorum Saxonicorum, qui peſſimo exemplo ordinem eccleſiaſticum negocijs politicæ gubernationis involverunt. Ejus rei initium factum in Brunone, Aucupis F. archiepiſcopo Colonienſi & ſimul Prorege Lotharingiæ, ut Chronicon Frodoardi. Æmylius Veronenſis hiſtoriæ Francicæ lib. 3. Archiducis appellationem ſumſiſſe Brunonem adfirmat. VVidechindus monachus libro 1. ineptè Samuelis, & ſacerdotis & judicis exemplo inſolentiam iſtam excuſare nititur. Divus Bernhardus Papam Eugenium monet, nullum gladium, nullum venenum, homini eccleſiaſtico ita formidandum, ac libidinem dominandi. Et notanda ſunt, quæ habet Anſegiſus Conſtitutione Caroli M & Ludovici Pij, lib. 6. cap. 61. *Si quis Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel Subdiaconus, ad bellum proceſſerit; & arma bellica indutus fuerit ad belligerandum, ab omni officio deponatur, in tantum, ut nec laicam communionem habeat.* Etſi autem pij Imperatores, cùm Epiſcopis urbes, opida & præfecturas donaſſent, Advocatos ſive Vicedominos adjungerent, qui earum rerum, quæ ad vitæ alimoniam & reditus eccleſiaſticos pertinebant, ſedulam curam gererent, iſtos tamen Oeconomos Epiſcopi, cum dulcedinem gubernationis deguſtaſſent, paullatim ſubmoverunt; ſeque in libertatem vindicarunt. Tempore Henrici 5. Paſchalis 2. Papa eccleſijs eorumque Prælatis, regalia, hoc eſt, (ut ipſe interpretatur) civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, telonia, mercatus, advocatias &c. abjudicat, Imperioque reſtitui jubet: verum illi in faciem reſtitit Conradus Salisburgenſis Epiſcopus, nomine reliquorum

Epiſco-

Episcoporum voce Stentoreâ clamans: hujusmodi jus Paschali minimè competere: neque se vectigalia, portoria, opida à majoribus suis quæsita, sibique relicta, ac seculis aliquot possessa, nullo modo alteri cessuros. Prævalente igitur abusu, sine fronte, Ducum, marchionum, comitumque appellationes sibi sumsere. Exemplo sunt VVirceburgensis, Leodiensis & Argentinensis; nam Monasteriensis, nomen Ducis VVestvaliæ, cujus magnam partem obtinet, ambiens, contradicente Coloniensi præsule, repulsam passus est. Quàm verò illa conformia, non dicam Christi sanctioni, sed veterum conciliorum decretis atque Imperatorum sanctionibus? An non Carthaginense quartum jubet, *ut Episcopus vilem supellectilem, & mensam & victum habeat, & dignitatis suæ auctoritatem, fide, & vitæ meritis quærat?* Quod cùm juri Canonico insertum videant, cur observari nolint, sed contrà cotidie faciant, caussam jure quis roget.

Hannovere succendit) Expeditionem hanc describit Arnoldus Lubecensis lib. 4. cap. 3. sed ut Hannoveræ exustæ mentionem nullam faciat: quam tamen annales rithmici non omittunt. 19.

Castrum Conradi de Rothen. Limbere.) Conradus de Rothen testis nominatur in litteris Henrici Leonis ad annum 1160. reperitur etiam in diplomate fundationis Episcopæ Suerinensis: ubi scribitur Conradus Comes de Rhodin. Præterea inveni nomen ejus in diplomatis Ottonis Imp. anno 1199. & 1207. Sunt autem *Lovvenrodij* sive *Rhodij*, *VVunstorpienses* & *Limberienses* dynastæ ejusdem originis & prosapiæ. Anno 1114. vixit Conradus, Comes de Rhoden & VVunstorp, fundator cœnobij Werder (apud Crancium Metropol. lib. 6. cap. 33. perperam Verden scribitur.) Huic fuere tres filij, quorum posteri à distinctis locis, ubi sedes habuere, denominari voluerunt. Qui *Lavvenrode* è regione Hannoveræ habitarunt *Lavvenrodij* Comites dicti sunt, familiâ tempore Henrici Leonis deficiente, ut habet Chronicon Saxonicum vetus. Hermannus Bothe in Chron. Saxon. MS. refert Hannoverenses arcem Lavvenrodam, in Neapoli sitam, anno 1370 destruxisse, atque hoc facto vehementer offendisse Magnum, Ducem Brunsuicensem. Qui in pago Limmer / itidem prope Hannoveram, domicilium habuerunt, *Limberienses*, sive *Limmerenses* Comites nuncupati sunt. 20.

Hujus lineæ vixere duo fratres anno 1207. *Conradus* & *Hildeboldus*, qui sedecim mansos in pago Eilsleven, à majoribus ad sese devolutos, monasterio Vallis Mariæ prope Helmæstadium contulerunt. Literas Hildeboldi hac de re ad Episcopum Halberstadensem Fridericum libet subjungere. *Reverendo domino Friderico, Sanctæ Ecclesiæ Halberstadensis Episcopo & Comiti in Sommerseborg, Hildeboldus Comes de Limbere paratum in omnibus suæ possibilitatis obsequium. Notum esse volumus discretioni vestræ, quod bona quædam legitimo proprietatis titulo à proavis nostris ad nos devoluta, scilicet XVI mansos, sitos in villa, quæ dicitur Eilsleven, ecclesiæ quæ dicitur Vallis Mariæ, cum tota iuris & fructuum integritate, contulimus libera & quieta possessione levandos in perpetuum. Sed quia nulla donatio proprietatis robur firmitatis obtinere potest, nisi Comitiæ testimonio, & banni regalis auctoritate firmetur, ne præfata ecclesia propter multimodas occupationes, quæ nobis frequenter obviantur, vel propter malum statum terræ, qui suspectus nobis est, aliquid postmodum laboris & difficultatis sustineat, si nos ea in propria Cometia dare non possumus, totius confirmationis auctoritatem vobis, tanquam maiori terræ Episcopo, sed & Comiti, ex parte nostra committimus, ut quicquid frater noster Conradus, Comes de Levvenroth, qui cum liberis suis ea disponit in propria persona confirmare, cum voluntate vestra in eis taxare voluerit, hoc nobis gratissimum fore præsentis scripti testimonio cognoscatis. Rogamus autem simpliciter discretionem vestram, quatenus in colendis bonis, & defensandis his, quæ eis rationabiliter proveniunt, fratres ipsius ecclesiæ favorem vestrum semper obtineant, habituri pium divinæ retributionis emolumentum, & continuum iure possibilitatis obsequium.* Hæ vero literæ quas inveni sine data, videntur scriptæ eo tempore, quo Otto IV Imp. cum suo æmulo Friderico rege Siciliæ de Imperio decertavit. Episcopus enim Fridericus cœpit præesse Ecclesiæ anno 1210. & præfuit annis 2. Seriem Comitum de Limberen inveni sequentem.

N

Conradus Comes de Limbere, uxor Heidvvigis. vixit anno 1207. obijt 1216.	*Hildeboldus Comes de Limbere.*	*Cunegundis.*	*Gerburgis.*

Conra-

Conradus nominatur anno 1207. & 1223. Donavit bona quædam monasterio Mariævverder. | *Hildeboldus 1207.* | *Henricus.*

Præter hanc seriem invenio Arnoldum de Rothen, *cuius uxor fuit Adelheidis, soror Hermanni de Arnsberg, & Godfridi de Kuck, ex qua filiam suscepit Helvvinam. Qui VVunstorpij degerunt,* Comites VVunstorpienses *se nominarunt, etsi interdum etiam de Rhothen dici voluerint. Partem familiæ, usque ad eius interitum, ex tabulis instrumentisq́; publicis diligenter collectam subiungo.*

Ludolfus Comes de VVunstorp, testis citatur in literis Henrici Abbatis Corbeiensis anno 1254. Vixit adhuc anno 1273. | *Hildeboldus Canonicus Bremensis & Præpositus Rustringiæ. Vide Crancium Metrop. lib. 8. cap. 20. & 24. Qui familiæ Bruchusiæ hunc faciunt, errant: repugnant enim diplomata.*

Ioannes Comes in VVunstorpe & Rhoden, anno 1291. contulit monasterio Marievallensi, XVI *mansos.* | *Salome.*

Ioannes Iunior, Comes in VVunstorp. & Rhoden. anno 1329. Confirmavit privilegia oppidanis in VVunstorp 1334.

Ioannes Canon. Hildesius. | *Ludolfus Comes confirmavit privilegia opido VVunstorp anno 1335. vixit 1358. Ridsa uxor fuit vidua anno 1397.* | *Hildeboldus anno 1329. 1335.* | *Ludovicus 1335. 1367.*

Ioannes. | *Iulius Comes in VVunstorp confirmavit privilegia opido VVunstorp 1395. Uxor Iulia Depholdia. Hic receptus est cum filio Ludolfo, à Matthia ministro Ordinis S. Francisci provinciæ Saxonicæ, in fraternitatem, anno 1447.* | *Henricus Canonicus Hildesiensis.*

Henri-

Henricus Canonicus Hildesiensis.	*Henricus moritur mature, ut Hamelmannum.*	*Ludolfus vivente patre confirmat privilegia VVunstorpiensium anno 1441. Sexennio post Comitatum VVunstorp vendidit Magno Laeburgico, Episcopo Hildesiensi, qui tamen eum resignavit VVilhelmo Victorioso Duci Brunsuicensi. Vxor Anna Hohnsteinia, vixit adhuc anno 1513.*

Henricus nominatur in literis parentis anno 1471. Idem anno 1481 nominat se Comitem VVunstorpiensem. Dominum Slademij & Heimburgi.	*Georgius ultimus familia fuit Produx in aula Brunsuicensi. Moritur VVarberga apud sororem 1533. Sepultus in monasterio Lutterensi.*	*Margarita uxor Henrici Baronis VVarbergij, vidua anno 1536.* *Antonius Baro VVarbergius.*

21\. *Regi suam satisfactionem exhibuit)* Conditiones reconciliationis vide apud Arnoldum Lubecensem lib. 4. cap. 3. Crancium in VVandalia lib. 6. cap. 30.

22\. *Vitam finivit anno 1189.)* Fridericus I. Imperator aquis suffocatus obijt anno 1190. ut præter reliquos scriptores prodidit Tageno Decanus Pataviensis, qui hanc expeditionem oculatus, non auritus testis descripsit. Idem diem obitus annotavit 4. Idus Iunij, tempus vespertinum. Paulò autem aliter mortem Imp. exponit Theodoricus de Nyem lib. de privilegijs & juribus Imperij, capite de expedit. Hierosolymit. Friderici Imp.

23\. *Consanguineus Dn. Papæ)* Eadem inculcant annales rithmici verbis sequentibus:

Dhen Pabes/ dhen her dha vant/
Dher starb/ Clemens war her genant.
Nach im besaz eyn als ich las/
Der Celestinus geheysen was.

Her

Her was ouch / so men iach /
Des langen Herzogen mach /
Der mit dem Koninghe was gekomen
Das im dha quam zo vromen.

Henricum primogenitum Leonis procero fuisse corpore, etiam liquet ex Arnoldo, cujus de eo hæc sunt verba: *Erat* (Henricus) *preclarus genere, speciosus formâ, validus corpore, notus opinione.* Vnde verò Papæ Celestino, tenuis & despectæ originis homini, cum illustrissimi generis illustrissimo principe consanguinitas, equidem non assequor. Credibile est ambitiosum sacrificulum, cive Romano editum, regiæ stirpis juveni, ut à Germanis suspiceretur, per frivolam imposturam hoc commentum persuasisse.

Duce Boëmico) Ottone, ut Arnoldus Lubecensis lib. 4. cap. 4. & 6. 24.

Tancredo) Rogerij Normanni filio illegitimo. Arnoldus Tancradum vocat, ut sit nostrum Danckrat. 25.

Neapolim se contulit) Convenit Gobelinus Cosmodromio ætatis 6. cap. 61. Arnoldus Romam redijsse scribit. Addit Albertus Stadensis Henricum Saxonem cum Tancrado contra Imp. conspirasse: adi annum auctoris 1192. 26.

Vnà cum Cancellario) Ottone, ut Chronica Australis apud Freherum 1. tomo historicor. Germanicor. 27.

Duce Boëmico) Dixi ab Arnoldo Lubecense hunc Ottonem nominari: Æneas Sylvius refert ad Conradum ordine 28. vide ejus historiam Boëmicam cap. 25. 28.

Halberstadense Episcopo & Hildensemense & Corbeiense abbate) Anno 1191. Halberstadij Episcopum agebat Theodoricus ex illustri Baronum Crosicorum familiâ progenitus: Hildesiæ Berno: Corbeiæ præerat VVidechindus à Desenberg. 29.

Advocatus Ludolfus) Antiqui Duces Saxonici, ipsisque succedentes Brunsuicenses, in urbe suâ hereditariâ Brunsuigâ habebant Vicarium, sive Producem, qui Advocatus dicebatur, vernaculâ linguâ Vogt / ex Latino deductâ voce, κατ' ἀφαίρεσιν, quemadmodùm à vocabulo *Episcopus* nostrum Bischoff & ab altero *confirmatio*, Firmung. Videtur autem officium sine dubio propter merita, ad unam familiam hereditario jure restrictum, sicut in alijs etiam 30.

 officijs

officijs sive dignitatibus videlicet Dapiferi, Marschalci & Pincernæ idem factum animadvertimus. Ludolfi advocati meminit Lotharius anno 1137. in diplomate fundationis monasterij Sigebergensis, quod exstat apud Henningesium in Genealogijs Saxonicis. An verò ille cum hoc nostro idem sit, non sine caussâ quis ambigat. Ad familiam quod attinet, non admodum aversum me habiturus erit in ferendis calculis, qui affirmaverit Advocatos hosce VVendenos fuisse, quæ gens à fundatione illustris cœnobij Riddagshusani æternam laudem promeruit. Integram familiam dedimus in Chronico Riddagshusano, auctoritate & sumtu Petri VVindruvij abbatis laudatissimi, nostrâ verò industria & studio publicato. Certè VVendena & Dalhemium, à quibus posteri Ludolfi fundatoris Riddagshusani denominari voluerunt, in hujus Ludolfi, de quo nunc agimus, ejusque filiorum potestate fuere. Reliquit advocatus numerosam sobolem, sed ut ex illis tantum nominentur, Ludolfus, Ecbertus, & Balduinus, qui Henrici Palatini comitis nomine Brunsuigæ officium Advocati exercuit, anno 1224.

31. *Dalem & VVinethen)* Dalemium, olim Advocati hujus sedes, hodie adhuc appellatur Vogtsdalem: estque præfectura sive prædium non procul à Scheninga opido perveteri.

32. *A filio Ducis VVinethen capta est)* VVinethen in Chronico rithmico nominatur Wenden: pagus mediocris supra Riddagshusium. Prior appellatio accedit ad VVinithos apud Helmoldum lib. 1. cap. 2. posterior ad Venedas apud Ptolemæum. Cùm autem ex annalibus Francicis constet, Carolum Magnum Saxones Transalbianos, & qui in VVigmodiâ, hoc est, agro Bremensi habitabant, cum mulieribus & infantibus in Franciam transtulisse, pagosque Transalbianos Abodritis (alij Obotritos vocant) inhabitandos concessisse: dubium non est, Henetos istos, sive Sclavos Saxoniæ ulteriùs incubuisse, ejusque non modicam partem sui juris fecisse. Hinc lingua Heneta adhuc in Luneburgensi Ducatu reliqua: hinc pagi VVendenj, VVendessen, VVendezelle, VVendhusen, VVendebuttel &c. hinc pagorum Slaviticorum mentio in veteribus literis. Tangmarus in vita Divi Bervvardi Episcopi Hildesiensis scribit, illo tempore Henetos utramque ripam Albis fluminis insedisse, ipsique urbi Hildesiæ fuisse finitimos: quos ut à

diœcesi

diœcesi suâ prohiberet Bervvardus Episcopus, ad confluentem Alaris & Ocræ arcem struxit, præsidioque imposito firmavit. Auctor vitæ S. Adelberti, à Prutenis sive Borussis martyrio affecti, innuit tempore Ottonis 3. Imp. *Magdeburgam, urbem quondam notam populis, & unam ex magnis, fuisse semirutam domum, & malè fidam nautis stationem.* Quæ calamitas proculdubio ab Henetis sive Sclavis. Contra hos Otto magnus Imp. constituit novum Ducatum, cùm regionis versus Aquilonem partem barbaris eripuisset, de hac re annales rithmici:

Dhem Köninge Boten quamen
Von Rome her vz gesant/
Daz her an Italien lant
Mit heres kraphte komen rochte.
Nu wiste her nicht/ wem her möchte/
Bevelen daz nuwe Lant/
Das bedhwungen hatte sin hant/
Daz iz dhes glouben plach:
Ich meine das vmb dhe Elue lach/
Allenthaluen das her mit not
Bedhuanc vndher sin Könninelicher gebot.
Dha macht her zu Herzogen
Hermanne/ dhes war her vmbetrogen
An im/ als ich vernomen han.
Vnd heyz in von Saxen Herzog Herman.
Das alde Herzichtom an Saxenlant
Bi der Wirra/ daz nun ist genant
Westualen/ daz wart ouch da gehalden
Von Herzogen Brunes des alden
Von Saxen hohe geborne Geslechte
Scone mit alleme Rechte.

Locum hunc integrum propterea addidi, ut simul refutem maleferiatos quosdam Iureconsultos, qui non ita pridem invitâ veritate ausi sunt affirmare, Hermannum Billingum primum fuisse Saxoniæ Ducem: neque à tempore Caroli Magni usque ad Ottonem primum in Saxoniâ Ducum nomen auditum. Quæ assertio etsi au-

ctorem habeat Adamum Bremensem, suffragatorem Helmoldum, tamen æquè vera est, ac illa Crancij Metropol. lib. 2. cap. 3. & Saxon. lib. 2. cap. 31. tempore Ludovici Germanici circa annum Christi 876. Comitum nomen in Saxoniâ fuisse incompertum. Vtrumque enim falsissimum, & profundi illi Iurisconsulti de altero antehac melius edocti sunt.

33. *Gerhardi Præpositi Stiderburgensis*) Hic est auctor præcedentis historiolæ. Meminit induciarum à Præposito constitutarum etiam Chron. rithmicum. Est autem Stederburgum monasterium supra VVolfenbutelum, conditum anno 1000. imperante Henrico Claudo. Auspex sive fundatrix fuit virgo religiosa Friderunda, Altmanni Comitis Olsburgensis ex conjuge Heidvvigâ Palatinâ Saxonicâ, filia. Admodum vetus est mentio ejus loci: ferunt enim tempore Attilæ, Hunnorum tyranni, vastatoris Europæ immanissimi, fuisse illic castrum sive munitionem fortissimam; quam cum advena ille Scytha obsideret, oppugnaretque, incolas sive cives, eruptione facta superbum hostem in turpissimam fugam conjecisse. Hanc suam hereditatem virgo, quam diximus, Deo consecratam in monasterium monialium convertit, datâ eis Abbatissâ & bonis unde honestè sese sustentarent. Fundationem confirmavit Henricus Imp. anno 1007. Post aliquot annos introductus est ordo D. Augustini, quem adhuc agnoscunt moniales, quamvis ejurato Papatu filij Dei sequantur regulam. Meminit VVidechindus monachus Stederburgi lib. 2. & ita meminit, ut urbem nominet, affirmatque Hunnos sub Ottone M. anno Christi 973. in Saxoniam irrumpentes. à civibus Stederburgensibus arce sive urbe egressis, cæsos profligatosque ingenti prædâ ad victores devolutâ. Spangenbergius errore ductus Stederburgum putat esse Stotterlingeburgum prope Ostervicum, Saxon. cap. 130.

34. *Ecberto de VVolferebutle*) Partem familiæ ex diplomatis & litteris antiquis dedimus in Chronico Riddagshusano, unde qui volet petere potest. Ecbertus, cujus hic mentio, ab Arnoldo Lubecensi lib. 2. cap. 2. notatur perfidiæ adversus Henricum Leonem: sed ut modum non exprimat. Qui tamen ut sciatur, addam verba Gobelini in Cosmodromio ex cap. 60. ætatis 6. ubi ita loquitur: *Imperator* (Fridericus) *existens in partibus Saxoniæ potentiores quosdam provin-*

provinciæ, quibus Dux urbes suas commiserat, terroribus vel promissionibus secretò circumvenit, & iuramento constrinxit, ut si fortè Dux non rediret, urbes cum terrâ sibi contraderent. Tantum ille. Quæ si conferas cum Arnoldo, crimen Ecberti non ignorabis. De VVolferebutelo, sive; ut Arnoldus scribit VVolfelebutelo (ineptiunt enim supra modum, qui hodie VVolferbytum scribunt) dicendum nunc esset aliquid ex ulteriori antiquitate, sed ea non satis certa: de etymo agemus: Buttel vox Saxonica sine dubio, vel domum, vel locum mansionis significat, ut etiam in Notis ad Bardevicum nostrum monuimus. Inde compositum VVolfenbuttel, quasi domus sive habitatio lupi: quem fortasse conditor pro insigni usurpavit. Quemadmodum Bartenslebij nobiles à suo insigni quod lupus est, arcem suam nominarunt *VVolfsburg*.

Bernhardum de VVelepâ) Arnoldus lib. 6. cap. 11. scribit VVilipia, alibi tamen VVelpe: instrumenta antiqua, VVelpia. Fuit Comitatus in Saxoniâ inferiore, confinis Hoiano; insignia referuntur duo cornua bubula. Bernhardus, de quo hîc agitur, heros fuit armis & fide insignis. Cùm multi Comites & Dynastæ, à Leone antea summis beneficijs affecti, opprimentibus eum inopinatis funestisque calamitatum tempestatibus, turpiter deficerent, solus VVelpensis sui similis in fide semel datâ constanter permansit. Testis Arnoldus lib. 2. cap. 32. Adfuit Leoni cùm Bardevicum expugnaretur. Christophorus Enzelius, Chronico veteris Marchiæ ex insignijs colligit Comites VVelpenses cum Aldenhusijs (arx ejus nominis adhuc superest in diœcesi Magdeburgicâ) ejusdem fuisse originis, sedibus tantum distinctos: de qua assertione nihil pronunciare possum. Tempore VVilhelmi Victoriosi Brunsuicensium Ducis arx VVelpia cum totâ ditione Ducatui Brunsuicensi conjuncta est. 35.

Castrum occupant, incendunt & solo sternunt) VVolfenbutelum post primam hanc cladem rursum instauratum est, incertum à quo & à quibus. Nam circa annum 1254. id tenuerunt Dynastæ, dicti ab eo *VVolfenbutelenses*, quos anno sequenti Albertus Magnus Dux Brunsuicensis oppugnans, arcem iterum obsedit, & deditione cepit: mox muros & turres destruxit, omniaque solo æquavit ædificia. VVolfenbutelenses adjuvabat Henricus Episcopus Hildesi- 36.

 ensis,

rufis, uti hæc omnia plene continentur in Chronico Rithmico MS. Ab hoc tempore desolatum mansit VVolfenbutelum usque ad annum 1283. quo tempore mense Iulio, instante messe, Henricus Morosus, sive Mirabilis, Brunsuicensium Dux & Grubenhagæ dominus, rebus novis studens, locum munitioni & præsidio commodum, rursus instauravit, historia Stederburgense testificante.

37. *Ludolfi de Peinâ*) Peina arx & præfectura diœcesis Hildesiensis avorum memoriâ innotuit ex obsidione iteratâ sub Henrico Iuniore Duce Brunsuicensi, banni Cæsarei, in quod Episcopus Ioannes, & qui cum ipso faciebat clerus, tam intra quàm extra urbem, inciderat, executore strenuo. Habuit Peina suos olim Comites, ex quibus hic Ludolfus frequens, tum in historijs, tum in litteris & instrumentis. Videatur Helmoldus lib. 1. cap. 88. Hujus continuator Arnoldus lib. 2. cap. 36. Ludolfum illis annumerat, qui cum Leone ab incunabulis educati, immemores beneficiorum ab æmulis oppressum deseruerunt. Anno 1160. assensu & voluntate Leonis pro remedio animæ, tam suæ quàm parentum suorum, monasterio Riddagshusano ante annos quindecim condito donavit prædium Herwerdessen. Anno 1188. nominatur testis in Diplomate dato ecclesiæ Goslariensi à Friderico Imp. Facit in literis mentionem liberorum suorum, sed ut nomina non exprimat. Constat tamen habuisse filium Bernhardum, cui ex filio Ludolfo natus nepos Bernhardus familiam clausisse putatur. Insignia Dynastiæ Peinensis fuere in area sive campo albo lupus niger rictu expanso, duobus manipulis avenæ inclinatis quasique ruentibus incumbens. Meminit Cyriacus Spangenbergius in Speculo nobilitatis libro 12. cap. 35. Hæc insignia inter cætera cernuntur appicta curiæ urbis Hildesiensis. Generosa familia nobilium Bartenslebiorum ijsdem gaudet insignijs, tantum quòd area rubri est coloris: unde conjectura sumitur non temeraria, ejusdem originis & prosapiæ fuisse Comites Peinenses & nobiles Bartenslebios. Idem Spangenbergius Speculi sui lib. 11. cap. 25. Guncelinum, quem Henricus Leo primum Comitem Suerinensem constituit anno 1160. similiter familiæ Bartenslebiæ fuisse: quæ omnia isti genti, quæ per Dei gratiam adhuc floret, perhonorifica. Familia Bartenslebio-

bio-Suerinia exstat in genealogijs Saxonicis Hieronymi Henningesij: plenior in Chronico Suerinensi Bernhardi Hederici. Quomodo vero territorium Peinense pervenerit ad diœcesin Hildesiensem exponit Crancius Metrop. lib. 8. cap. 25. Saxon. lib. 8. cap. 28.

Inceditur & aequatur) Annales rithmici factum volunt anno 1192. 38.

Inter Ducem & filiam Palatini de Reno dissipare nitebatur matrimonium) Crancius Metrop. l. 7. cap. 24. adfirmat Henricum Palatinum cum sequeretur Imp. Henricum VI. in expeditionem, tam sedulis obsequijs pervicisse, ut unicam filiam Conradi comitis Palatini conjugem acciperet cum paterna dignitate. Fallitur autem immane quantum, cum Imp. Henrico hæ nuptiæ oppidò displicuerint. Res ita habet. Conradus Dux Sueviæ, Friderici Barbarossæ frater & per matrimonium Comes Palatinus Rheni, genuit Fridericum & Agnesen. Friderico desponsata est Richsa filia Henrici Leonis, ejusque fratri Henrico promissa Agnes. Fridericus non multo post matrimonium obijt in Italiâ, relictâ Richsa viduâ. Cùm verò Leo in eam calamitatem, quam nemo ignorat, incidisset, Henricus Imperator tam in regno quam odio adversus domum Leonis successor, modis omnibus conatus est matrimonium filiæ Palatini Rheni cum Leonis filio impedire, frustra tamen. Exstat apud Gulielmum Neubrigensem rerum Anglicarum lib. 4. cap. 30. narratio historica nonnihil huic loco lucis adferens: quare integram adscribemus. Sic igitur ille: *Rex Francorum (*Philippus*) Imperatorem Teutonicum, ad cuius fortuna regis captivi (*Richardi Angli*) pendebat arbitrium, affinitate sibi cupiens devincire, consobrinæ eius unicæ, scilicet filiæ Palatini Comitis, missis ad eum nunciis connubium expetivit. Petitionem Imperator gratanter amplexus, eius complendæ gratiâ Comitem Palatinum, virum in Imperio summæ post Imperatorem amplitudinis, accersivit: nec latuit ea res matrem puellæ. Quæ unicam sobolem secretò conveniens, vis, ait, honorabiles nuptias, & thorum regium? Rex enim Francorum te comparem postulat. Tum illa, audivi, inquit, à multis de rege hoc, quomodo fœdavit atque abiecit puellam nobilissimam, scilicet regis Danorum germanam, & vereor exemplum. Ad quam mater, & quis, ait, in votis tuis est potior? Tum illa, si mea vota prosper-* 39.

prosperentur, ab eo certè, cui me didici in annis infantiæ desponsatam, nunquam disjungar. Henrico scilicet Ducis Saxonici filio. Et mater, confide, ait, filia, quia per maternam operam formidato liberata exemplo, optato potieris connubio. Mox eundem Henricum elegantissimum & strenuissimum iuvenem, regis Anglorum ex sorore nepotem, virago mirabilis secretis litteris accersivit. Qui festinus occurrit, & votis promtissimè concurrentibus, dilectam virginem tradente matre accepit: quâ nimirum propter eventus ancipites accelerante negocium, ilico ritu solemni celebratæ sunt nuptiæ, ut quos Dominus iam coniunxisset, homo separare non posset. Interea novæ nuptæ pater ab Imperatore inductus, ut regiis filiam nuptiis honestaret, actæ rei repente famam accepit. Imperator quoq; rem audiens, credensq; hoc præter eius conscientiam fieri minimè potuisse, acri contra eum motu excanduit, & ad se vocatum mordaciter increpavit, tum quia iuvenem oderat, tùm quia factum erat aliter, quàm volebat. Ille verò stomachanti atq; obiurganti satisfaciens, per salutem, inquit, tuam, Imperator, meâ hoc neq; voluntate neq; conscientiâ actum est, sed coniugem meam, consobrinam tuam contemplatione iuramenti, olim à me & illâ, felicis memoriæ patri Imperatori, & Duci Saxoniæ præstiti, absente me credo patrasse, unde tua mihi celsitudo succenset. Tum Imperator, vade, inquit, & nebulone illo expulso rescinde quod actum est. Et ille, noli, ait, sic loqui, Imperator: nam eo usq; (ut dicitur) res processit, ut absq; sempiterno filiæ meæ dedecore rescindi non possit. Reversus autem idem ad propria, genero blandè locutus est, adoptansq; eum filiam egregiè dotavit. Hactenus Neubrigensis. Annales rithmici addunt, Mechtildin Leonis conjugem ab uxore Palatini impetrasse, ut de matrimonio isto pacta inirentur. Addunt prætereà, nuptias celebratas in castro Stalecke supra Bacharach in ripâ Rheni. Aventinus autem errat l. VII. qui Henrici Palatini uxorem *Clementiam* vocat, pag. 523. Cæterum Rex ille Francorum cujus Neubrigensis hîc meminit quod Danorum regis germanam repudiarit, Philippus fuit, de quo totoque negotio Aquicinctum auctarium à Miræo editum hæc habet: *Philippus Rex Franciæ secundam duxit uxorem Ingelburgem F. Regis Daciæ in vigilia assumptionis Mariæ virginis Ambianis. In die assumtionis eiusdem coronata est Regina: octogesimo & secundo die post nuptias, quorundam consilio, Rex cum suis Archiepiscopis, Episcopis & Baronibus apud Compendium colloquium habuit. Ibi quidam consurgentes consanguinitatem inter*

primam

primam Reginam & secundam juraverunt. Quo juramento Rex accepto, absq; ulla dilatione & consilio dimisit eam. Rogerius ab Hoveden Historicus Anglicus, Annalium parte poster. pag. 731. hanc vocat *Botildam*, additque fuisse VValdemeri quondam Danorum R. filiam, Canuti sororem. Nubtiæ autem celebratæ sunt anno 1193. Robertus Gaguinus pag. 96. eam scribit fuisse filiam Regis Dalmatiæ. Sed omnia apud hunc sunt corrupta.

Felix contractum matrimonium) Tempus matrimonij indicat Stadensis annum nimirum 1194. Quàm fuerint salutares explicat Arnoldus lib. 4. cap. 20. inquiens: *Tunc nova lux in Saxoniâ orta est, pacis videlicet jucunditas: quia ex illo tempore tanta familiaritate Imperatori adhæsit, ut nihil de cætero contra ipsum moliri decreverit. Sicq; ex omni parte terrâ mariq; cessaverunt deprædationes, furta, latrocinia: & ingemuerunt latrones & viri sanguinum: quia perijt maledictus fructus eorum. Benedictæ hæ nuptiæ, & eadem fœmina benedicta inter mulieres, & benedictus fructus ventris eius: quia in ipsius copulâ terris sociata est pax & lætitia, & diu clausæ tunc patuerunt portæ civitatum & castrorum: cessaverunt excubiæ, & hactenus inimici ad se mutuò accedebant, negotiatores & ruricolæ liberrimè deambulabant.* Hæc ille. Diremtum est hoc per mortem matrimonium anno 1204. ut idem Stadensis: sepulta Agnes in templo S. Mariæ apud Stadam. Filius, quem unicum genuit marito cognominem, obijt anno 1214. De filiabus alibi à nobis agetur. 40.

Salvelde) Ad Comitia Salveldensia venere Conradus Moguntinus, Ludolfus Magdæburgensis, archiepiscopi: Berno Hildesiensis, Gardolfus Halberstadensis, Episcopi, Conradus Præpositus Aquensis, Conradus Palatinus Rheni, Bernhardus Dux Saxoniæ, Conradus Marchio Landsbergæ, Albertus Marchio Misniæ, Fridericus Burggravius Noribergensis, Adolfus Comes Scavvenburgius, Gebhardus Burggravius Magdæburgensis & alij. 41.

Botvelde) Hoc in loco mortuus est Henricus 3. Imp. Otto Frisingensis Chron. lib 6. cap. 33. collocat in terminis Saxoniæ & Thuringiæ, scribitque Botfeld secutus Dodechinum continuatorem Mariani Scoti. Hermanno Contracto est Botfeldinum: Schafnaburgensi ad annum 1056. Botfelden: Cuspiniano Bottenfelden. Ab his omnibus discedens Spangenbergius in Saxoniâ cap. 75. 42.

Bortfeld nominat, quem in reliquis etiam nonnihil variantem lector adeat. Est autem adhuc hodie prope VValckenredam, VVernigerodam versus non longe à densissimo nemore campus, qui vulgo dicitur Burfeld/ in quo rudera templi & cœmiterij locique habitati visuntur, vulgo *S. Andreæ cœmiterium* vocant.

43. *Dullethe*) Chronicon Rithmicum Tulleden am Düringerland. Hodie est pagus in præfectura Kelbrensi, non procul à vetustissimâ Thuringorum arce Kifhausen, conditâ à Germanico Drusi fratre, si fidem merentur annales veteres.

44. *VValkenrede*) Locus ex antiquo ordinis Cistertiensis cœnobio anno 1127. incoato. & scholâ hodie in eâ florente celeberrimus.

45. *Palatinus Reni*) Conradus Palatinus Rheni diem clausit extremum anno 1195. Dignitas cum totâ ditione beneficio Cæsaris cessit Henrico Saxoni: qui ab eo tempore titulo Ducis Saxoniæ & Palatini Comitis ad Rhenum nunquam non in literis usus est. Vidi innumeras ab eo scriptas: vidi diploma Ottonis Imp. ad annum 1200. & Conradi Episcopi Halberstadensis literas anni 1202. in quibus eodem modo ipsum salutant. Neque aliter agit auctor magni Chronici Belgici, paginâ 221. legendus. Vnde iterum corrigendus error Crancij, qui Metrop. lib. 7. cap. 20. audet affirmare Henrici Leonis filios ad honorem Ducalem nunquam redijsse.

46. *Rex Angliæ avunculus*) Richardus rex Angliæ frater Mechtildis conjugis Leonis, ex Palæstinâ rediens à Leopoldo Duce Austriæ captus & Imperatori Henrico feria tertia post ramos Palmarum, ut Thomas VValsingham habet, traditus est. Res quomodo gesta sit, non ab uno describitur. Ingentem à captivo pecuniam poposcit Imperator, quam cum integram persolvere non posset, obsides dedit archiepiscopum Rothomagensem, Episcopum Batoniensem & ex nobilitate non paucos. Hæc Neubrigensis lib. 4. cap. 38. Chronicon rithmicum suffragatur auctori nostro his verbis:

Nu hatte dher alte Heynrich
Nehenen Sône bi sich.
Willehalm vnd Ottelin
Dhe zuene jungeren Sône sin

Hatte ir Ohenm vį Enghelant
Zo Gisele gesetzet vnd vor ein Phant
Vor mennich dusent Marc.

Summam pecuniæ ab Anglo exactam exprimit Thomas VValsingham. *Anno 1193*, inquit, *Totius Alemanniæ magnates apud VVormatiam convenerunt, ubi tractatum est de redemptione Regis Anglorum. Tandem sub audientia plurimorum propalatum est precium appreciati quem appreciavit Henricus Imp. Rom. ab Austriæ Duce Liupoldo, 50. millibus marcarum argenti: sed ut Imperator egregius fænerator legitimarum usurarum summa, qua per annum æquiparatur sorti, per unum diem in duplum excederet, 100. millia marcarum sibi suo tempore sistendarum extorsit à Rege.* Summa igitur redemtionis Regis Anglorum 100. millia librarum argenti ad pondus Coloniensis monetæ publicæ & probatæ. Quæ pecunia certis temporibus & distinctis, quinquaginta datis obsidibus, persolvebatur. Aventinus lib. 7. λύτρον illud ad nostri seculi rationes nummarias expendens, affirmat fuisse tinarum auri unde-viginti, & viginti millium aureorum Rhenensium, quæ summa pecuniæ isto seculo fuit longè maxima. Quomodo verò & quâ cum difficultate corrasa sit in Angliâ, Neubrigensis explicat dicto libro, cap. 34. & Robertus de Monte ad annum 1194. Th. VValsingham refert summa devotione ab omnibus clericis contributum esse ad lytron hoc solvendum, pag. 48. Idem Neubrigensis addit, obsides ab Imperatore in arctâ custodiâ habitos, quod non abit ab ejus vehementi iracundoque ingenio, quippe qui Henricum Palatinum, animi corporisque dotibus excellentem juvenem, adeoque sibi consanguinitate propinquum, indignâ utroque contumeliâ nebulonem vocare non erubuerit. Locum ex Neubrigensi suprà attulimus. Rigordus notat, Austrium obsidibus mortem minitatum, nisi λύτρον expediretur. Redijt autem Richardus in Angliam anno 1194. 13. Kal. Aprilis. Rogerius de Hoveden prolixus est in captivitatis ipsius & dimissionis narratione.

Quod à fundamentis exstruxerat) Duces Saxoniæ conditâ Brunsuigâ, (cujus initium fecere Bruno & Tanquardus fratres, Ludolfi Ducis Saxoniæ filij) propter loci commoditatem ibi augustale habuerunt, cui à Tanquardo auspice nomen inditum *Tanquarderode*, 47.

quasi dicas, Tanquardi novale. Est enim Rode/ idem quod novale, id est, locus erutis excisisque arboribus ac vepretis excoli habitarique cœptus. Atque hæc est vera loci denominatio: errant, qui à matre Tanquardi Oda originem nominis arcessunt. In eo augustali erat à multis annis ædes Petro & Paulo apostolis sacra: quam sive ruinosam, sive angustiorem, quàm loci dignitas requireret, Leo demolitus novam eodem in loco basilicam extruxit anno 1173. ut Chronicon rithmicum. In præcedentem annum fundationem hanc collocant alij, sed quæ discrepantia non magni momenti.

48. *Scripta Chronicorum colligi precepit)* Poëta nostras in Chronico Rithmico videtur verba hæc exprimere voluisse, inquiens:

Alleim dho groz franckheit
Zoghinge / her was doch gemene
Gemuter natürlicher Tugent/
Darnach her an der jugent/
Unz an alder funderinghen/
Her leyz zo samene bringhen
De alten Kronicken und scriben/
Deß began her so verne treiben/
Und war dha uff verdacht
Mengen Tach und Nacht.

Non dissimilia referuntur de Friderico, Magni Torquati Ducis Brunsuicensis F. quem heroicæ virtutes ad Romani Imperij culmen evexere, invidia vero æmulorum plus quam immanis sceleratè & per immane parricidium inde deturbavit. Eum enim monumenta antiqua diligenter colligi, industriè describi, sibique in mensa, &, ut Poëta inquit,

Ante focum, si frigus erat, si messis, in umbra,

prælegi jussisse, veterum quarundam schedarum indicio cognovi. Æmulari autem optimi principes voluerunt Carolum M. qui olim etiam inter cœnandum prælegi sibi historias & antiquorum regum gesta jussit. Nec minùs in universam patriæ historiam consuluit: etenim barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Germaniæ regum res gestæ canebantur, colligi voluit, collecta memoriæ mandavit, teste Eginhatto, qui ejus alumnus ac deinde gener prædicatur.

Austria Dux Lippoldus) Loquitur de Leopoldo ejus nominis 6. cui cognomen Virtuosi. Tragicam ejus ex infelici casu mortem describit prolixè Neubrigensis lib. 5. cap. 6. rerum Anglicarum. Idem de obsidibus regis Angliæ, ab Austriaco dimissis, scribit, sed ut nomina non exprimat. Ex nostro auctore colligas, apud Imperatorem fuisse obsidem Ottonem, apud Austriacum verò VVilhelmum, Leonis filios. Cuspinianus de Leopoldo addit, delictorum suorum pœnitentiâ motum, cùm ex vulnere pedem amisisset, habitum monachi induisse. Obitus *Leopoldi* ab Ottone de S. Blasio collocatur in annum 1195. cum quo facit Neubrigensis, Rogerius de Hoveden, & Chronica Augustensis edita à CL. Frehero, quæ etiam diem observavit, nimirum Kalendas Ianuarij. Cuspinianus ponit annum 1193. De morbo ipsius & morte videatur etiam Rogerius de Hoveden pag. 748. & 749. 49.

Regi Vngariæ) Intelligendus Bela tertius, hoc tempore in Pannonijs rerum potitus. Rem gestam habet etiam Chron. rithmicum: 50.

Dher (Leopoldus Dux) hatte gesant / so men git /
Dhem Köninghe van Vngeren
Willehalme dhen Jungheren
Hertzogen Heynriches Sone /
Dhen her hilt vil scone/
Zo Gisele vnd vor eyn phant/
Von dhem Köninghe vz Enghelant/
Dhas her in sende sidher
Heym sinem Vater widher:
Daz hindere Keyser Heynrich.

In vigilia Iacobi) Meminit incendij hujus Chronicon Saxonicum vetus: prolixius annales rithmici. 51.

Episcopo Raceburgensi) Isfridus ex Præposito monasterij Ierichoviensis in marchiâ Brandeburgicâ ad cathedram Raceburgensem promotus est anno 1178. ut Stadensis. Virtutes ejus & dona prædicant, Helmoldi continuator Arnoldus lib. 2. cap. 26. lib. 7. cap. 11. & Crancius in Metropoli lib. 6. cap. 2. Obijt anno 1204. fervente bello civili inter Ottonem Saxonem, & Philipp. Suevum, electos Impp. 52.

Famosus ille princeps) id est, clarus & celebris: sic Guntherus in Ligurino, Rosvitha in panegyrico & alij sæpissimè famosum ἐπὶ τὸ βέλ- 53.

nor usurpant: exemplo Taciti, qui lib. 5. Historiar. Hierosolymam famosam urbem vocat, & Apuleij, qui vix aliter eo utitur vocabulo.

54. *Ætatis suæ LXVI.*) Recentiores Genealographi Henrico Leoni tribuunt annos vitæ 59. contra nostrum auctorem. Decepti autem videntur ab Vrspergensi abbate, qui dubio procul secutus est Chronicon VVingartense, nostro demum tempore editum ab Henrico Canisio IC. asserit Leonem baptisatum anno 1136. Annales rithmici faciunt cum nostro auctore his verbis:

An aldher brachte/ daz ist war/
Siner zit sex vnd sexig Jar.

Cur hanc sententiam amplectar alibi σὺν θεῷ candido lectori ostendam.

55. *Audivimus tamen postmodum*) Plærumque, ut Horatius lib. 3. carm. odâ 24.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Quod etiam exprimit Sophocles in Aiace his senarijs:

Οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τ' ἀγαθὸν ἐν χεροῖν
Ἔχοντες οὐκ ἴσασιν πρίν τις ἐκβάλῃ.
Animo mali, bonum tenentes in manu,
Non illud ante norunt, quam si amiserint.

Hanc eandem sententiam copiose tractat Cicero oratione post reditum ad Quirites, non longè à principio.

56. *Monasterium S. Blasii*) Monasterium vocat ædem Canonicorum, quia tum temporis, nondum laxatâ disciplinâ, antiquatisque sanctioris ævi institutis, Canonici sub uno tecto, & unis in ædibus habitavere, uno pistore & promo communi condoque contenti. Vnde & *Fratrum* appellatio, quanquam nullâ monachatus regulâ obligarentur. Vide quæ apud Crancium Metropol. lib. 3. cap. 15.

57. *Honorifice sepultus est*) Superat etiamnum in æde Sanblasianâ Mausoleum illustrium conjugum horum: superat epitaphium, quod suprà posuimus.

FINIS.

ANO-

ANONYMI

CHRONICON STEDERBURGENSE.

M I. Henricus Rex Boëmiam & gentem Slavorum superavit.
M II. Frater regis Bruno, Augustensis Episcopus, regi adversatur.
M III. Cometes longo tempore apparuit.
M IV. Fames valida fuit.
M V. Helpericus librum de ratione Computi scribit.
M VI. Episcopium Bavenberg à rege Henrico construitur.
M VII. Burchardus Wormaciensis episcopus magnum illud Canonum volumen scripsit.
M IIX. Bruno Episcopus à Prucis multis supplicijs affectus cœlos petijt.
M IX. Retharius Pathelburgensis episcopus obijt. Monasterium Moguncíacense igni conflagravit.
M X. Godehardus abbas claruit.
M XI. Bonæ memoriæ Willegisus Moguntinus Episcopus ad Christum migravit.
M XII. Henricus Romæ Imperiali benedictione coronatur à Papâ.
M XIII. Hildesimensis ecclesia gravi incendio cum multis ornamentis attrita est.
M XIV. Simeon monachus virtutibus claret.
M XV. Erneſtus Dux in venatu occiditur.
M XVI.
M XVII.
M XIIX. Henricus Wirceburgensis Episcopus obijt.

M XIX.

M XIX. Heimeradus sanctus presbyter ad Christum migravit.

M XX. Erkenboldus Moguntinus archiep. obijt.

M XXI.

M XXII. Piæ memoriæ Bervvardus Episcopus ad Christum migravit, in cujus locum Beatus Godehardus utiliter subrogatur.

M XXIII. Beatus Godehardus ecclesiam in loco qui Sulza dicitur fabricavit.

M XXIV. Henricus Imp. ad Christum feliciter migravit.

M XXV. Conradus Rex creatur.

M XXVI. Monasterium S. Mauricij in Hildensheim à S. Godehardo fundatur.

M XXVII. Conradus Imperiali benedictione provehitur, & Henricus F. ejus rex creatur, qui Goslariensis ecclesiæ fundator exstitit.

M XXIIX.

M XXIX. Bruno Augustensis episcopus obijt.

M XXX.

M XXXI. Aribo archiepiscopus Moguntinus migravit ad Dominum.

M XXXII. Dedicatio monasterij S. Michaëlis archangeli in Hildensim.

M XXXIII. Monasterium S. Michaëlis fulmine concrematum est.

M XXXIV. Stephanus Rex moritur. Knut rex Danorum & Anglorum obijt.

M XXXV.

M XXXVI. Kunegundis regina obijt.

M XXXVII. Conradus Imp. obijt.

M XXXIIX. Beatus Gregorius migravit ad Dominum.

M XXXIX. Henricus Rex Boëmiam cepit.

M XL.

M XL. Eberhardus Bavenbergensis primus Episcopus obijt.
M XLI.
M XLII.
M XLIII. Gisla Imperatrix obijt.
M XLIV. Thietmarus Hildensemensis Episcopus obijt.
M XLV. Henricus rex à Romanis pacificè susceptus tres Papas deposuit.
M XLVI.
M XLVII. Suidgerus Papa obijt.
M XLIIX. Poppo, qui & Damasus, Papa obijt.
M XLIX. Synodus Moguntiæ celebratur, cui interfuerunt Apostolicus & Imperator.
M L. Dedicatio Goslariensis monasterij.
M LI. Bardo archiepiscopus obijt.
M LII.
M LIII. Papa Leo cum Romanis contra Nordmannos pugnans vincitur, & eodem anno obijt.
M LIV. Ezelinus Episcopus Hildes. obijt.
M LV. Hermannus Episcopus Coloniensis obijt.
M LVI. Henricus tertius Imp. obijt: Henricus quartus filius ejus regnavit. Pestilentia, fames, egestas & multa mala universam regionem adflixere.
M LVII. Victor Papa obijt: Stephanus Papa obijt.
M LIIX. Otto de Suinforde obijt & Rudolfus Ducatum Suevorum suscepit. Agnes Imperatrix Ducatum Bavvariæ suscepit.
M LIX. Henricus Rex Galliæ obijt.
M LX. Lippoldus Moguntinus archiepiscopus obijt.
M LXI.
M LXII.
M LXIII. Seditio Fuldensium & Goslariensium in vigiliâ Pentecostes ad vesperas.
M LXIV.
M LXV. Guntherus Bambergensis Episcopus obijt.
M LXVI. Cometes per totum orbem apparuit.
M LXVII. Cono Trevirensis archiepiscopus occiditur.

M LXIIX. Henricus rex Bertham de Italiâ sibi conciliat. Angli à Normannis vastantur.
M LXIX. Henricus castella in Saxoniâ & Thuringiâ construit.
M LXX. Otto Dux, Saxo genere, Ducatum Bavvariæ amisit.
M LXXI. VVelpho genere Suevus Ducatum recepit.
M LXXII. Conjuratio Principum contra Henricum regem.
M LXXIII. Hartesburg à Saxonibus destruitur & sepulcrum filij regis violatur.
M LXXIV. Alexander Papa obijt.
M LXXV. Saxones contra Henricum regem pugnant juxta fl. Vnstrot, ubi Gebhardus Comes obijt.
M LXXVI. Concilium VVormaciense, ubi Papa Hildebrandus abdicatur.
M LXXVII. Rudolfus rex constituitur: VVerceburg obsidetur: Anno Coloniensis archiepiscopus obijt: Agnes Imperatrix obijt.
M LXXIIX. VVizeel Magdeburgensis archiepiscopus, Albertus VVormaciensis, Hermannus Comes Palatinus patruus Magni Ducis occiduntur.
M LXXIX. Bellum inter Henricum & Rudolfum, ubi Rudolfus occiditur.
M LXXX. Hermannus regnum invasit, & Tilo Hildensemensis Episcopus obijt, cui Vdo successit.
M LXXXI. Henricus Rex Romam obsedit & cepit.
M LXXXII. Vdo marchio Saxonicus obijt.
M LXXXIII. Rex VVicbertum in Apostolicum consecrari fecit.
M LXXXIV. Rex cum reginâ Bertâ imperiali coronâ à suo VVicberto nomine sublimatur.
M LXXXV. Rex de Italiâ rediens Augustam cepit. Henricus Imp. Saxoniam vastat.
M LXXXVI. Gregorius, qui & Hildebrandus, Papa obijt.
M LXXXVII. VVerceburg à Saxonibus capitur: bellum juxta Blechfeld.
M LXXXIIX. Berta Imperatrix obijt.
M LXXXIX. Bucco Halberstadensis Episcopus occiditur.
M XC. In vigiliâ nativitatis Domini bellum apud Glicho juxta Erpesfort inter regem Henricum & Marchionem Eckbertum.

M XCI. Henricus Imp. Italiam petijt: Eckbertus marchio occisus est.
M XCII. Machtilt de Longobardiâ Imperatori rebellat.
M XCIII. Pestilentia magna fuit.
M XCIV. Eclipsis Solis. Eodem anno mirabilis pertransivit in universum mundum ignis.
M XCV. Expeditio Ierosolymitana.
M XCVI. Apud Moguntiam Iudæi mille & quatuordecim occisi sunt.
M XCVII. Imp. de Italiâ redijt: Vrbanus Papa obijt. Godefridus Dux cum Christianis Ierosolymam cepit.
M XCIIX. Hiems dura fuit: fames magna: Vdo marchio cum Saxonibus de barbaris triumphat.
M XCIX. Godefridus Dux arcem Ierosolymæ cepit.
M C. Godefridus Dux Christianorum Hierosolymis obijt.
M CI.
M CII.
M CIII.
M CIV.
M CV.
M CVI. Henricus Imp. obijt. Magnus Dux Saxonum obijt.
M CVII. Theodoricus Comes de Katelenborg obijt. Vdo marchio obijt.
M CIIX. Cometa apparuit.
M CIX. Rothardus archiepiscopus Moguntiæ obijt.
M CX.
M CXI.
M CXII. Henricus pacificè à Romanis susceptus Papam Paschalem cepit & regni privilegium ecclesiasticæ fidei contrarium ab eo extorsit.
M CXIII. Paschalis Papa privilegium, quod invitus statuerat, cum CXV. episcopis damnavit.
M CXIV. Bellum apud VVelphesholt inter regem Henricum & principes Saxonum.
M CXV.
M CXVI.

M CXVII. Ecclesia in Richenberg primum incepta est.
M CXIIX. Terræ motus factus est magnus per totum orbem. Paschalis Papa obijt.
M CXIX. Gelasius Papa obijt: Inundatio fluminum.
M CXX. Elferus presbyter obijt.
M CXXI.
M CXXII. Gozmarus Præpositus obijt: Dedicatio ecclesiæ in Richenberg.
M CXXIII. Hermannus Comes obijt.
M CXXIV. Reinhardus Halberstadensis Episcopus obijt: Fridericus marchio obijt: Otto Comes obijt: Calistus Papa obijt.
M CXXV. Eclipsis Solis IV. Idus Augusti. Henricus V. Imp. obijt. Mirabile signum in lunâ apparuit.
M CXXVI. Fridericus Comes de Arnsberge obijt: Luderus electus rex.
M CXXVII. Luderus rex in Boëmiam exercitum duxit: Cometa apparuit.
M CXXIIX. Dedicatum est monasterium S. Georgij.
M CXXIX. Luderus rex Spiram obsedit: Otto Episcopus Halberstadensis ab Honorio Papâ deponitur.
M CXXX. Signum sanguinei coloris apparuit. Bertoldus Episcopus Hildensemensis obijt: Honorius Papa obijt.
M CXXXI. Vdo Comes de Franckenleve occiditur.
M CXXXII. Luderus Rex Romam profectus est.
M CXXXIII. Translatio S. Godehardi Hildensemensis Episcopi. Eclipsis solis IV. Non. Augusti.
M CXXXIV. Nortbertus archiepiscopus Magdeburgensis.
M CXXXV.
M CXXXVI. Luderus Imp. secundò Romam profectus est: Elvericus Decanus obijt.
M CXXXVII. Adelbertus Moguntinus archiepiscopus obijt. Luderus Imp. obijt: Conradus electus est rex.
M CXXXIIX.
M CXXXIX. Henricus Dux Saxoniæ obijt.
M CXL. Adelbertus secundus Moguntinus archiepiscopus obijt: Bernhardus Episcopus Hildensemensis Romam profectus est.

M CXLI. Richensa Imperatrix obijt.

M CXLII. Gerhardus Richenbergensis Præpositus ecclesiæ in Stedereburg à Bernhardo Hildensemensi Episcopo prælatus præficitur, & spiritalis religio per eum inibi confirmatur. Marcolfus Moguntinus Episcopus obijt.

M CXLIII. Bertoldus Hildensemensis Præpositus obijt.

M CXLIV. Gertrudis Ducissa obijt.

M CXLV. Celestinus Papa obijt: Rodolfus marchio occisus est: Sigfridus Comes obijt: Monasterium & claustrum S. Georgij cum omnibus habitationibus combustum est.

M CXLVI. Lucius Papa obijt: Cometa apparuit: Henricus Comes de Aste obijt: Fames magna fuit: Gertrudis regina obijt.

M CXLVII. Conradus Imp. & rex Franciæ Lothevvicus cum multis principibus cum infinito exercitu Ierosolymam profecti sunt. Expeditio trans Albim contra Slavos: Eclipsis Solis VI. Kalend. Novembr.

M CXLIIX.

M CXLIX. Synodus Eugenij Papæ apud Remos. Divisio Lunæ & ignis in vigiliâ S. Andreæ visus est. Rodolfus Halberstadensis Episcopus obijt, cui Odelricus successit: Tempestates & tonitrua & inundatio nimia: Terra sudare visa est.

M CL. Gerhardus Richenbergensis Præpositus obijt, cui Ludolfus successit IV. Idus Iunij. Fames inaudita fuit, ita ut modius X. solidis venderetur, quadrans frumenti sex talentis.

M CLI. Azo Præposituram Stedereburg suscepit: Fridericus Magdeburgensis archiepiscopus obijt: Conradus rex obijt, cui Fridericus successit: guerra inter Ducem Henricum & Marchionem Adelbertum, ita ut ad pugnam Dux circiter quinque millia fortissimorum virorum, Marchio mille quingentos contraxerit.

M CLII. Incendium gravissimum fuit. Hermannus Comes de VVinzenborg simul cum uxore à ministerialibus ecclesiæ Hildensemensis occiditur.

M CLIII. Ludolfus Comes de VValtigerode obijt. Magna cædes Saxonum apud Frisiam facta est, in quâ Christianus & alij quamplures nobiles occisi sunt. Gregorius Cardinalis Hen-

ricum Moguntinensem archiepiscopum & Bernhardum Hildensemensem & Henricum Mindensem deposuit. Bernhardus Episcopus Hildensemensis obijt, Bruno substituitur. Henricus archiepiscopus obijt: Eugenius Papa obijt.

M CLIV. Fridericus Rex & Henricus Dux Romam profecti sunt: Anastasius Papa obijt.

M CLV. Tempestas & pluvia maxima, adeo ut tempore messis fruges non solum in agris, verum etiam in horreis reconditæ fluminum inundatione perirent. Rex Terdonam obsedit & captam evertit. Fridericus rex perlustratâ Italiâ & devictis Romanis Imperator efficitur.

M CLVI. Arnoldus Coloniensis archiepiscopus obijt, Fridericus substituitur: Henricus Dux cum magno exercitu Frisiam intravit, & deinde in brevi contra Slavos profectus, regem, quem ipsi expulerant, restituit.

M CLVII. Brandenborg à Christianis obsessa capitur: Fridericus Imp. in Poloniam profectus provinciam cum Duce suo in deditionem honorificè suscepit: Conradus Marchio obijt: Knutus rex Slavorum à VValdemaro occiditur, post & ipse à Suenone interimitur.

M CLIIX. Sæva tempestas & ventus turbinis multa damna fecit: Henricus Dux Slaviam depopulatur: Fridericus Imp. secundò in Italiam profectus est: Mediolanum Imperatori subjugatur: Fridericus Coloniensis archiepiscopus obijt: Reinoldus Cancellarius Hildensemensis Præpositus substituitur.

M CLIX. Fridericus Imp. Cremam arctâ obsidione cinxit & destruxit: Mediolanenses Imperatori rebellant & detestandum schisma oritur. Adrianus Papa obijt & Victor substituitur.

M CLX. Imperator cum Mediolanensibus congrediens honorificè triumphat, vexillum S. Ambrosij auferens, turres destruens, & plurimos eorum capiens. Henricus Dux Slaviam devastans Episcopos investivit. Bernhardus Padelburnensis Episcopus obijt. Odelricus Episcopus Halberstadensis deponitur. Sophia marchionissa obijt: Arnoldus archiepiscopus Moguntinus à suis hostiliter occiditur.

M CLXI. Ecbertus Præpositus in Stedereburg obijt. Magna discordia in-

dia inter Henricum Ducem & Ratisbonensem Episcopum oritur, Ludolfus Præpositus in Richenberg deponitur, Bruno Hildensemensis Episcopus obijt.

M CLXII. Bernhardus Præpositus obijt. Imperator regi Francorum & Slavorum curiam solennem Bisuntiæ indixit, ad quam tamen rex Franciæ non venit. Fridericus Palatinus obijt.

M CLXIII. Gerhardus Præpositus Stederburgensis electus est. Henricus Dux VVerla castrum Slavorum evertit: congregationem clericorum in Lubeke constituit. Adolfus Comes & Reinoldus & alij occisi sunt. Post Henricus Demin evertit: Filium Meloc Christianum suspendit.

M CLXIV. Nova confusio maris & fluctuum orta est, quæ terram & opida cum innumerâ hominum & animalium multitudine circa Occidentem & Aquilonem subruit. Ipsâ die XIV. Kal. Martij in Magnopoli multitudo Christianorum à Slavis capta & occisa est.

M CLXV. Reinaldus Coloniensis archiepiscopus tria corpora Magorum Coloniam transtulit: Victor Papa obijt: Veronenses Imperatori rebellant. Dissensio inter Henricum Ducem & Marchionem & Palatinum. Sors super Palatinum cecidit, qui Lovvenberg castrum suum Duci resignat.

M CLXVI. Fames validissima.

M CLXVII. Dissensio magna inter Ducem Henricum & principes Orientales. Dissensio inter Henricum Episcopum & Ducem Henricum adeò ut totus Episcopatus rapinis attritus sit.

M CLXIIX. Reinaldus Coloniensis archiepiscopus & Dux de Rodenborg & alij quam plures nobilium Romæ ex pestilentiâ perierunt.

M CLXIX. Hermannus Hildensemensis Episcopus sepulcrum Domini visitans moritur, cui Adelhogus successit.

M CLXX. Albertus marchio de Brandenburg obijt.

M CLXXI. Henricus Dux cum Episcopis, Abbatibus, Præpositis & alijs multis Baronibus sepulcrum Domini visitat. Imperator de Italiâ redit.

M CLXXII.

M CLXXII.
MCLXXIII.
M CLXXIV. Dedicatio novi monasterij in Stedereburg cum tribus altaribus ab Adelhogo & Evermodo venerabilibus Episcopis, Indict. IIX. IIX Kal. Aug. feriâ V.
M CLXXV. Imperator cum Mediolanensibus dimicans vincitur.
M CLXXVI.
M CLXXVII. Concilium Venetijs celebratur ab Apostolico: ubi schismate destructo Ecclesia redijt in unitatem. Odelricus Episcopus Halberstadi redijt.
M CLXXIIX. Coloniensis archiepiscopus cum multis terræ suæ principibus totam VVestvaliam incendijs & rapinis devastat.
M CLXXIX. Imperator cum Coloniensi archiepiscopo & universis penè regni principibus Ducem Henricum cum universâ terrâ suâ miserabili clade afflixit, ita ut nec cœnobijs, nec ecclesijs, nec præbendis fratrum, nec ulli ætati, vel sexui parceret, & ipsum Ducem proscripsit. Eodem anno Halberstadensis civitas, cum majori monasterio & universis tam monasterijs, quàm ecclesijs, miserabili incendio, plus quam cum mille hominibus per homines Ducis attrita est. Odelricus Episcopus & Romarus Præpositus cum pluribus militibus capti sunt. Castrum Horneborg à militibus Ducis viriliter expugnatum destruitur.
M CLXXX. Henricus Dux Thuringiam vastans incendio, Landgravium & fratrem ejus cum multis nobilibus captivum duxit. Odelricus Episcopus obijt: Tidericus substituitur. Hartesburg reædificatur.

Explicit Chronicon.

MEN-

HENRICI MEIBOMII

ORATIO PANEGYRICA,

DE

HENRICO LEONE,

DVCE SAXONIÆ ET BAIOARIÆ.

Habita in Academia Julia, quum XXIV
er[illegible]tis Iuvenibus-viris gradum in P[illegible]
losophia summum con-
ferret,

Anno CIↃ IↃ XCVII.

ORATIO
DE
HENRICO LEONE
Duce Saxoniæ & Bajoariæ.

TErtia solenni celebranda Panegyris actu
Dum mihi sese hodie, sed non sine numine Christi,
Splendidior solito multoq; illustrior offert;
Pro veteri ritu, pro consuetudine & usu,
Augusto in cœtu hoc, ubi recti plena favoris
Omnia, plena spei, & plausus pia vota juvantis,
Saxonicum Heroëm, fama super æthera notum,
Semideisq; parem: cui plus quam immania facta
Nobile magnanimi nomen peperere Leonis,
Qui virtute sua fatisq; ingentibus actus
Cæruleum Rheni cum flumine nexuit Albim,
Iunxit & Hercynias gelida cum Balthide rupes,
Carminibus celebrare juvat: gens sera nepotum
Audiat & mecum virtutem intuta fidemq;
Felici meritos animæ persolvat honores.

Degene-

Degeneres animos frangit timor. heu quibus ille
Objectus fatis! quæ prælia fecit in hostem!
Dum Christi plantare fidem: dum tollere mores
Barbaricos armis paganaq; sacra laborat.
Multa quoq; & pelago passus, dum classe coactâ,
Aut veteres Solymas & Christi nobile busium
Relligiosus adit; patriâve extorris & exsul
Cæsaris ob stomachum & nulli tolerabile fulmen,
Deserit imperij fines, Belgâq; relicto
Nave Caledonios descendit ad usq; Britannos.
Hic vir hic est, quem Fortuna variabile numen
Impetijt frustra: quanquam illum à culmine summo
Præcipitem traxit, solioq; coëgit avito
Cedere, & externos submissum ambire penates.
Hoc duce Relligio Arctois innotuit oris,
Vandalicosq; Duces, genus alto è sanguine regum,
Eripuit tenebris Christiq; ad nomina flexit.
Hunc animi calidum fremituq; in bella ruentem,
Externi timuere hostes, timuere propinquæ
Slavorum gentes, exhorruit Itala tellus,
Imperijq; caput Roma ardua, cujus alumnos
Cæsaris adversos jussis, totiesq; rebelles
Dans stragem latè domino parere coëgit.
Hæc dum carminibus repeto, tu Christe parentis
Effigies & imago tui, de luce oriens lux,
Principium de principio, de numine numen,
Spes atq; indubitata salus, tu nostra serenus
Orsa juves: tu sidereo præcordia rore
Sicca laves: magnum sit fas celebrare Leonem:
Cujus adhuc sanguis superat, populosq; potentes
Imperio flectit, magnoq; hæc atria sumtu

Sacravit servatq; tibi: ut tua gloria tractus
Sparsa per Arctoos extrema in gente resîdat.
Sed prius antiquum genus & primordia stirpis
Expediam, quanquam hoc si prætermittere vellem
Materiam ipse mihi laudis præberet abundè.
Quis veteres Guelfos, quis nescit Saxonas acres
Imperio latè reges belloq; potentes?
Hos habet auctores generis Leo: namq; Superbo
Henrico genitore satus, te, dive Lothari,
Dixit avum, seriemq; domo numeravit ab illâ,
Quæ genus Angarico Vitekindi à sanguine traxit.
Egregia insignisq; nota est de semine nasci
Conspicuo, & priscas majorum ostendere ceras.
Fortibus eduntur fortes, patriumq; jubatis
Robur equis & bobus inest, nec dama Leonem,
Nec celeres aquilæ generant sine felle columbam.
Magna fuit virtus Vitekindi principis, Angros
Qui veteres atq; occiduos ditione premebat
Saxonas, Alcidæ similis: monumenta loquuntur
Haud caritura fide: duros ut mille labores
Rege sub Hesperio pro majestate suorum
Pertulerit, toties victar, tandemq; subactus,
Non ferro, nec enim ferro palmam ille dedisset,
Mitibus at suasis & mansuetudine leni.
Deniq; ut infandi ponens vestigia cultus
Eluerit dira contagia noxia culpæ.
Hic ille est regum prælustri sanguine cretus,
Rex ipse atq; parens regum: qui fœdera contra
Arma intentantes, procerum stimulante Senatu,
Aggressus Francos patrij pomœria regni
Bis tria lustra manu validâ tutatus ab hoste est,

Per

Per caput & fasces solitus jurare paternos,
Incolumes fore res patriæ formamq; sacrorum,
Tota licet notas conjungat Gallia vires,
Rhenus & epotolatices desideres amni.
Non alios hic attingam, te maxime Bruno,
Te Ludolphe potens: non fulmina martis Othones
Tergeminos, quibus imperium Germania debet:
Nec te justicia vindex grandave Lothari:
Quo duce jus Latij veteris rubigine tectum,
Oppressumq; situ, fora rauca scholasq; revisit.
Vivit adhuc animis Henrici fama Superbi:
Qui virtute suâ & meritorum pondere sancto
Cæsaris esse gener meruit, regniq; coronam
Non humilis sibi despondit: fortuna labores
Deserere, atq; aliis sceptrum transcribere visa est.
Haud animo tamen ille minor, sed temporis acti
Scrutator memori recolebat pectore secum:
Vt quondam imperij sceptrumq; sacerq; tiaras
Saxoniæ in terris per multos hæserit annos.
Nec dum etiam pietas & mansuetudo Lothari
Exciderant animis: manet altâ mente repostum
Pacatum Italia regnum, firmataq; pulsis
Libertas Siculis, jurisq; usura Latini.
His in spem certam erecto placet alea Martis
Ancipiti tentanda gradu: coïere sinistris
Auspiciis cognatæ acies & compare linguâ
Agmina: victorem fecit sors aspera Suevum
Saxonibus fusis: acceptâ clade Superbus
Segnior, & procerum invidiam jurataq; damno
Vota suo metuens patrias concessit ad urbes.
Illic ut perhibent mærore exhaustus edaci

Vitam infelicem ærumnoso funere clausit.
Hanc patris, & patriæ sortem, & miserabile fatum
Vidit penè puer Leo: non tamen indolis altæ
Ingenitum robur confirmatumq; vigorem
Infregere vices miseræ: puerilibus annis
Maturus magis interdum crescentis ab ore
Erupit sermo: quo tristia damna gravesq;
Ipse videbatur solari & vincere casus.
Ingenium cæleste parens mirata, notavit
Fatidicas voces, & divinantia verba:
Speq; novâ gaudens: non te carissime, dixit,
Postera degenerem narrabunt secula Nate.
Major eris, quàm fama feret, quàm credere detur.
Vince animi motus, & quo fastigia scandis
Altior, hoc magis ancipites horresce ruinas.
Talibus usa parens dictis prænuncia Nato
Damni certa fuit; quem vix lanugine primâ
Fuscantem malas vis conscia traxit ad usum
Militiæ, & grave Martis opus. nam Cæsaris aulam,
Signaq; Romanam ducendâ secutus ad urbem,
Prima rudimenta egregiis ostendit in armis,
Horruit invictam tellus Saturnia dextram
Guelfiadæ armigeri: positis toto orbe trophæis
Roma potens aciem aratam submisit eunti
Agmen in adversum: nec erat celebratior alter
Hesperiâ in magnâ. Reducem nova bella novaq;
Excepere faces: Phrygiâ de gente creatus,
Oceaniq; maris fortissimus accola, bellum
Ducebat Phrisius: cui longa absentia, & ætas
Henrici fastum attulerat: sed fida Leoni
Adfuit, & motos pressit fortuna tumultus.

Ille paludosas implevit milite terras
Aggeribus ruptis, portusq; & claustra refregit
Litoreis exstructa locis: hac clade ferocem
Edomuit populum & patriæ firmavit honores
Parte aliquâ. nam Parrhasiam mox alter ad Arctos
Erupit furor, & non parva incendia sparsit.
Balthica Vandalicos ubi stringunt æquora campos
Regna tenent Heneti, bello gens aspera & armis.
Illos, ut perhibent, Asiæ regionibus olim
Eductos, rex Anthyrius hac sede locavit.
Narratur series nusquam intercisa nepotum,
Bellaq; gesta domi magnâ cum laude forisq;.
Felicem poteras gentem, & felicia sceptra
Dicere, ni Satanam colerent pro numine Christi,
Infensi invisiq; piis: scit Varnus & Albis
Travaq; cum Pano & Viadri pellucidus amnis.
Non tulit ignaros Christi Christumq; protervè
Ridentes Leo magnanimus: dolor induit arma
Officijq; fides: vetitos deponere cultus
Suadet Obotritis, meliori & credere secta,
Si pacem fœdusq; velint. nihil omnibus actum
Impensis operum; nec barbara flectere corda
Sollicitæ valuere preces. res venit ad arma.
Pugnatum est utrinq; diu: jam barbarus igni
Saxonicos vastabat agros: mox Vandala tellus
Incaluit flammis: neutris fuit utile bellum.
Nam quamquam melior vires animumq; Leoni
Caussa dabat: tamen imperij censusq; cupido
Enormis bellum populis immittere visa est.
Hinc furor indomitus gentis testataq; priscis
Temporibus virtus motis in cordibus arsit.

Quatu-

Quatuor exactis fluxerunt mensibus anni,
Armorum rabies quibus intolerabilis orbi
Arctoo incubuit: tandem clementia Divûm
Desuper adfulgens Henetos luce imbuit almâ.
Ex illo servatus honos defensaq; Christi
Gloria Obotritum in populo, quam condita fana
Erectaq; Scholæ magis & magis illustrarunt.
Ex illo spectata fides & mascula virtus
Guelfiada famam invenit, quam regia Dani
Suenonis experta est, tum cùm civilibus armis
Excussus solio scriptis & voce Leonis
Imploravit opem, præceptaq; sceptra recepit.
Hîc primùm invidiæ morsus & triste venenum
Expertus fuit. indociles spectare Leonem,
Sublimem sceptro & latè dominantibus armis,
Indulsere odiis proceres: en ille paternis
Saxonicas ut junxit opes! ut fortia bello
Mœnia dives habet! spem regni ostende propinquam,
Cæsar erit, legum impatiens & jure teneri
Nescius. heu quantam nutris respublica pestem!
Principiis obstate duces: tu maxime Cæsar
Disce hostem spectare tuum: disce obvius ire
Dum licet: imperij tantum dignatio nostri
Carpitur, huic quantum imprudens largiris honorum.
Talibus insonuit scelerata Calumnia dictis
Augusti motura animum: generosior ille
Flammatos lenire parat, pacemq; tueri:
Incassum tamen. usq; adeo illætabile virus
Imbuerat sensus, lævoq; accenderat igni.
Haud procerum latuere doli fraudesq; Leonem,
Infremuit justaq; furens excanduit irâ:

Ergo

Ergo erit, ut sceptri reverens, patriæq; saluti
Mancipium, quem nulla rei dispendia, nullus
Infregit labor, invidiæ furialibus insons
Artibus occumbam, patrisq; in fata relabar?
Dij melius! fer Cæsar opem, & tu conscia virtus.
His sese exstimulat verbis, & fulminis instar
Obruit incautos hostes: Lusatia flammis
Perdita dat pœnas: eadem sors obruit acres
Tyrigetas, quos imperio Ludovice tenebas,
Ductori Henrico caput horum & caussa malorum.
Parte aliâ vastantur agri, quos corniger amplo
Gurgite Rhenus arat, quos abluit amne Visurgis.
Impia cordatus spectans incendia Cæsar
Indoluit, curâq; novos sopire tumultus
Maturâ satagit: vix hortamenta jubentis
Invenere locum, & rabies indigna repressa est.
Tandem sarta novo coijt concordia nexu,
Paxq; data est terris: ibi mentem animumq; Leonis
Incessit nova relligio: dum cogitat annos,
Heu nimiùm rectis steriles! metuensq; futuri
Ponderat horribilem districti judicis urnam,
Magnum iter ad Solymas Galilaaq; suscipit arva,
Fœda piaturus maculatæ crimina vitæ.
Non referam hîc mille ærumnas, & mille labores,
Quos Leo sustinuit terris jactatus & alto:
Non comites sociosq; duces atq; agmina servas:
Tempus erit quando ista canam, Phœboq; favente
Maturum mihi surget opus, quod rodere livor
Nesciet, aut fatuo mordere Calumnia rictu.
Ingressus Solymam & veteris penetralia templi
Pronus adoravit sanctæ vestigia tumbæ,

Oscülaq; infigens dixit: tunc optima tellus
Humani auctorem generis mortale ferentem
Carnis onus gremio mer uisti includere amico?
Salve dulce solum, casti salvete penates;
Quàm celebris vos fama vehit! quàm plurimus agris
Passibus hospes adit! quid te mendacibus effers
Diverum tumulis, & inania marmora jactas,
Creta potens? quid Mausoli memorabile saxum
Caria? quid nitidi pendentia fornice templi
Viscera mendacis venerâris Mecha Prophetæ?
Vana fides vestra est, vacua omnis gloria vero.
Hic jacuit qui cuncta movet: quem regia cæli
Et tellus concussa tremit hac sede quievit:
Hanc pressit redivivus humum: sacer ætheris altis
Nuncius hic nuribus radiato apparuit ore.
Salve dulce solum: salve impolluta crepido.
Ista trahens imo suspiria pectore princeps
Ingeminat: comites eadem famuliq; loquuntur.

Postquam humiles cryptas nitidaq; impervia luci
Claustra pererrarat, votivaq; munera casto
Solverat altari, vicinas transit ad urbes.
Primum visa Tyros, pretiosaq; murice Sidon:
Inde vetus Tripolis, & fortunata Damascus,
Liddaq;, & effosso Ptolemais commoda portu:
Et Gaza, & saltu palmarum dives Idume.
Vndiq; spectavit veteris vestigia secli
Attonitus, memoriq; in pectore singula clausit.

Iamq; satisfactum votis, placataq; Divum
Ira videbatur: patrias ergo ardet ad urbes
Ferre iter, & dulces cum conjuge visere natos.
Ingreditur, repetitq; viam, quam legerat ante

Per mare, per terras, per mille pericula, gentis
Barbaricæ, quæ regna ferox Orientis habebat,
Insidias fugiens. vix tandem in tuta reversum
Gratatur Cæsar, gratatur patria tellus.
Tunc operam sacris rebus dedit amplius, ædes
Diva locans Catharina tibi, tibiq; optime præsul
Cappadocum & vitâ & letho sanctissime Blasi.
His dites adjunxit agros & prædia culta,
Vnde piis victus senibus, qui sacra professi
Instabant operi juvenumq; examen alebant.
Nunc quoq; fana manent eadem, testantia prisci
Temporis affectus: quos ô si nostra tenerent
Secula, non avidi spoliis ditescere reges,
Quàm delubra Dei reparare, aut condere mallent.
Hac fortuna tenus multum blandita Leoni
Visa fuit: verùm insperatò vela retorsit
Vlteriusq; negavit opem: suspecta videri
Amplior, & summis æquata potentia sceptris,
Flagrantesq; animi motus & robur ahenum.
Ergo simultatum nova semina nata, novisq;
Certatum est odiis: neq; in uno principe tantùm,
Sed cunctis furor iste fuit: communiter omnes
Livor agit, nullasq; timens insania leges.
Quis putet? illi ipsi quos ad fastigia rerum
Extulerat: quorum reditus proventibus auxit,
In benefactorem furiis arsere Leonem.
Pontifices dico sacros, patresq; bicorni
Conspicuos mitrâ: vitiis corruptior ætas
Hanc etiam labem tacitis admiserat annis.
Vnde autem tumor iste, atque immoderata libido
Præsulibus, Christi servis, Christoq; dicatis?

Illis immodicas nimia indulgentia regum
Paullatim cumularat opes: quæ pauperis ipsos
Officij immemores sitientesq; ocia fecit.
Addidit illecebras Ludovicus Cæsar, & inter
Imperij proceres pietatis imagine falsus
Præsulibus mystisq; locum sua juraq; sanxit.
Tunc data libertas viciis; tunc cura refrixit
Doctrinæ, & positis tacuerunt pulpita libris.
Quid generose paras? cur non coëuntia jungis
Fœdera, diversasq; vices? rem parciùs urge.
Fallit te incautum pietas tua. respice Christi
Longè aliam vocem, & multùm discordia jussa.
Principibus regnare datum est, & regibus, inquit,
Nequaquam vobis: non me sibi præside quisquam
Polliceatur opes sceptriq; potentis honorem.
Qui mihi se comitem vult jungere, moribus esto
Conformis vitâq; mihi: sum pectore mitis,
Corde humilis, contemptor opum: cumq; omnia nostræ
Subjaceant dextræ: cum terram atq; astra gubernem,
Exsul ago in terris: nec fessa ubi membra reclinem
Invenio spacium: satis est jejunia parcâ
Solvere posse dape, & tenuem dare corpori amictum.
Talia sollicitus venturi temporis olim
Discipulos Christus docuit, jussitq; tenere.
Cur diversus abis, Cæsar generose, sacrumq;
Polluis officium? cur mundo mortua membra
Illecebris furias, atq; in discrimina mergis?
Sed veniâ es dignus, pietas incautius egit:
Nec satis eventus est præmeditata futuros.
Hos igitur nactus Leo formidabilis hostes
Intutus fuit, & frustra placare furentes

Optavit:

Optavit: falsis sed enim clamoribus aures
Cæsaris implevere pij, pronumq; Leonis
Exitio pectus vehementius inflammarunt.
Discite, qui rerum fastigia summa tenetis,
Discite fortunæ diffidere, tunc ubi miti
Blanda nitet vultu: nec longè exempla petantur:
Hîc erit exemplo qui rem velut obside firmet.
Hei mihi! quæ informes tenebræ, quæ nubila cæca
Obsedere hominum mentes! ut nemo futuræ
Invigilat sorti! ut plerumq; incommoda tristi
Scimus ab eventu! Dum quæ sibi fata reservent
Non satis advertit Leo: nec, quâ se arte ruinis
Expediat cautus, vibrataq; fulmina vitet,
Cogitat; ecce animo dum fluctuat, utra sequatur
Consilia, ancipitem precibus spem credet, an armis:
Atq; hinc relligio mentem Itala concutit, illinc
Majestas regnoq; fides promissa recurrit:
Dum nimium nota virtuti fidit & armis:
Nec metuit calidas dubiæ Rhamnusidis iras:
En fragor intonuit magnumq; inopina Leonem
Tempestas abjecit humo: proscriptus & hostis
Publicus imperij decernitur. impia livor
Improperat commissa viro: quæ singula damni
Caussa forent cumulata nocens fert rumor in auras.
Regnum, opulentum, ingens inimicis cessit, & agros
Divisere duces, & quod spe quisq; fovebat,
Vnus à miseri decerptum sorte tulerunt.
Cessit inexpletis odiis, cessitq; furori
Conjuratorum procerum: & quanquam extera regna
Auxilia offerrent, labefactaq; patria bellis
Arma remoliri dominumq; reposcere vellet,

Ipse novos motus metuens aliosq; tumultus
Pratulit exsilium bellis: non abnegat uxor
Esse viæ fortisque comes quacunq; sequatur,
Impubemq; trahit secum tristissima prolem.
Non aliter fractis longo certamine Vejis
Exsul Martigenâ migravit ab urbe Camillus.
Punica nec melius post bella, Asiamq; receptam
Lauriger ingratâ decessit Scipio Româ.
Qui modò sceptrigeros æquarat nomine reges,
Tectaq; inauratis habitarat fulta columnis
Circumstante manu famulâ, nutusq; superbi
Accipiente ducis: quem formidaverat hostem
Omne latus mundi, dejectus culmine tanto
Clauditur exiguâ cum prole & conjuge puppi,
Exuviasq; inopes secum rapit. adstupet ipse
Oceanus, lacrymasq; nequit retinere calentes.
Nec mora, prosequitur à tergo ventus euntes,
Et navem sociis Anglorum sistit in oris.
Si posses generose tuas cælare ruinas
Hic cuperes: sed fama vetat; quæ præpete cursu
Antevolat, casusq; tuos prænuncia spargit
In populos, fortuna prior dum mentibus hæret
Nulla fides verbis, confictaq; prodere rumor
Creditus, ipse suæ donec certissimus index
Cladis adest: Rex & regni suprema potestas
Occursu stupuere Ducis vertigine tantâ
Attoniti, caussamq; viæ fatiq; requirunt.
Ille sui similis, nec tantis cladibus impar,
Cæsareum fulmen, conjuratumq; potentis
Imperij robur, sancitaq; fœdera narrat.
Addit opes viresq; suas, ut mœnia fundo

Verterit, aëriasque ultricibus hauserit arces
Ignibus, ut fuso rubefecerit aquora tabo
Fortunam exuere indocilis, certusq; salutem
Pro regione suâ, pro libertate pacisci?
Assiduis donec virtus labefacta procellis
Cesserit, & multò dextram submiserit hosti.
Miratur vultusq; truces majoraque damnis
Pectora rex hospes, cognataq; fata gemiscens
Hospitium extorri, & cladis solatia spondet.
Tertius exierat completis mensibus annus,
Cùm redit auxiliis instructus & are Britanno,
Ereptasq; urbes, abjuratasq; rapinas
Aggreditur, bellisq; minax deposcit ab hoste.
Portio victori cessit non parva, nepotum
Nunc quoque jussa sequens, melior defensa sub hoste
Servijt. ausurum majora, suborta repressit
Casaris ira novi: quem formidare coactus
Spem veteris regni desideriumq; reliquit.
Atque ita fortuna insultus & mobile numen
Seriùs agnoscens decursi temporis annos
Difficiles animo volvit, damnatq; labores
Nequicquam exhaustos: & qua fiducia rebus
Quis tenor humanis: facili quàm cuncta ruina
Obvia: quàm pronus sublimi à culmine lapsus,
Mente obit attonitâ: cùm mors factura dolori
Ærumnisque modum lacrymoso ex orbe removit
Maturum vita, precibusque extrema rogantem.
Hac super augustis divini principis actis
Sufficiunt deducta mihi: dabit altera vobis
Plura & fors meliora dies. sint ocia Musa
Grata laboriferae: sit mens innubila vati:

Derume-

Detumeat fortuna minax, cupiduſq; nocendi
Deſinat innocuos telis inceſſere livor:
Nec calami, nec mentis egens, Heroa per omnem
Ibo cothurnatus: calida nec prima juventa
Urſa, nec extremos patiar ſqualere triumphos.
CHRISTE Leo Juda, gemino qui ſtemmate polles,
Aſpice nos humilemque potens defende Sareptam:
Quam tibi Saxonici ſtatuit generoſa Leonis
Poſteritas, genitor ſapiens natuſque benignus.
Hic tua bella geras: hic armatura ſit omnis:
Iuſtitiæ thorax cœleſtis, & aureus umbo
Salvantis clypei: non abſit fervidus enſis
Ætherij flatus non caſſis amica ſalutis.
Hic habita bonus, hic te veſtigantibus offer.
Donec ad alterius traductos ocia vitæ
Æterno ſiſtas genitori. ô Lucifer illam
Ultimus acceleres cupidis mortalibus horam.

FINIS.

HENRI-

HENRICI MEIBOMII

VINDICIÆ

BILLINGANÆ,

sive demonstratio evidens,

HERMANNVM BILLINGVM, primum ab Ottone M. Imperatore, Saxoniæ Borealis institutum

DVCEM,

non equestris ordinis hominem, nedum pauperis agricolæ filium,

sed ex illustri generosâque familiâ Saxonicâ fuisse oriundum.

Qq

Fridericus Hortlederus, Consiliarius Saxonicus, Tomo I. de caussis belli Germanici, lib. IV, cap. XXIII. in Notis ad Chronici Spalatini titulum II., ubi de Hermanni Billingi prosapia agitur.

INveteratum hunc errorem (de obscuris natalibus Hermanni BillingI) ex animis hominum nuper doctissime exemit, Historicorum ac Poëtarum nostri aevi facilè Princeps, amicus meus, HENRICUS MEIBOMIUS, in Vindiciis Billinganis.

Illustrissimo, generosissimoque Principi ac Domino,

DN. RUDOLPHO,

Principi Anhaldino, Comiti Ascaniæ, Domino Servestæ & Bernburgi, &c.

Domino meo Clementissimo.

Illustrissimi generis, illustrissime & generosissime Princeps, Domine clementissime, Reinerum Reineccium, multæ lectionis, magniq; & ingenij & judicij hominem, collegam & amicum meum conjunctissimum, in familiaribus colloquijs sæpenumero conquestum memini, quòd in primis operum suorum editionibus, præceptorum, quibus in academijs Lipsiensi ac VVitebergensi usus fuisset, sententijs & opinionibus intrepidè subscripserit, ratus nihil ab illis profectum, quod non in fontibus, unde ista haurienda, eodem sensu reperiretur. In quo tamen pluries fuerit deceptus, eamq; ob caussam ipsum deinceps nullis, quantumvis magna in re litterariâ auctoritatis existimationisq; hominibus, temerè fidem adhibuisse: sed majoris securitatis caussâ in universis suis commentationibus, relictis rivulis, ad fontes ipsos provolasse, nihilq; unquam protulisse, de quo non certo sibi constaret, in antiquis scriptoribus, sive illi sacri, sive profani, eodem quo vulgaretur sensu inveniri. Atq; inde esse, quod annis subsequentibus multa in scriptis suis mutarit: non paucos aliorum lapsus veritate demonstratâ indicarit, agrumq; historicum multis modis cultiorem reddiderit. Incomparabilis hujus

viri judicium semper magni feci: pluris nunc facio, postquam in accuratâ antiquitatis nostræ investigatione desudanti, tam crebræ recentium scriptorum sese offerunt hallucinationes. Ad præsentes Vindicias quod attinet, equidem sanctè affirmo, inveteratam istam assertionem de Hermanni Billingi natalibus obscurioribus req; familiari supra modum angustâ, utcunq; illa, non à vulgo tantum scriptorum, sed à coryphæis frequenter inculcetur, suspectam semper mihi fuisse. Cogitabam mecum, fieri vix potuisse, in tantâ frequentiâ & multitudine familiarum illustrium, per Saxoniam florentium, ut homo novus, ruri natus & educatus, ad honorem non medioxumum, sed primarium, atq; summo Reipublicæ principe proximum, Ducalem puto, derepentè proveheretur. Statuebam rem insolentem invidiam & sermonem habituram fuisse. Invidiam, quòd homo nullarum imaginum, modici agelli possessor, ad tantum dignitatis apicem, nullo singulari suo merito præcedente, promoveretur. Sermonem, quòd Cæsar, alioqui sapientissimus, inconsideratè ac sine exemplo, neglectis, quibus abundabat, gentilibus ac consanguineis, præteritis aliis de illustri nobilitate dynastis, tantum, tamq; rarum beneficium homini privato & ignobili elargiretur: quâ suâ prolixâ munificentiâ in toto Imperio, Saxoniâ cum-primis, simultates, æmulationes, odia, (mala innocentis sanguinis effusioni occasionem præbitura) indubitatè excitaturus videretur. Hæc diligenter expendenti in mentem & illud veniebat, à plerisq; recentiorum affirmari, Hermannum Billingum apud Ottonem M. regiæ sobolis masculæ pædagogum egisse: quod ab illorum temporum moribus est alienissimum. Etenim sub avo Carolorum, Ottonum, & Henricorum, Regum Ducumq; liberi, tenelli adhuc, in Canonicorum aut monachorum collegia amandabantur, ut apud religiosos homines, procul à strepitu offendiculisq; aulicis, à tenero ungui ad exercitia pietatis, honestarumq; ac liberalium artium & linguarum cognitionem assuefierent. Exemplis abundant historiæ, nos relictis

extra-

extraneis, unum atq; alterum ex domesticis proferemus. Otto M. Imp. filium cognominem, Imperij heredem designatum, vix septennem, enutriendum informandumq; tradidit VVilhelmo archiepiscopo Moguntino, ut continuator Reginonis: velut Sigebertus Gemblacensis VVilhelmo Moguntino & Brunoni Coloniensi. Otto tertius institutus est à VVarino archiepiscopo Coloniensi, ut Ditmarus sub finem libri III. affirmat. Idem in carmine, quod libro V præfixit, de Henrico II. scribit, quod à VVolfgango Episcopo Ratisbonensi educatus sit. Henricus IV. fuit in disciplinâ Annonis archiepiscopi Coloniensis, quem inde suum magistrum appellat. Hæc, quæ attulimus, exempla, planum faciunt, magnorum principum liberos olim in religiosorum hominum contuberniis, minimè verò in aulis enutritos. Vnde corruit etiam illud, quod de παιδοτροφίᾳ aulicâ Hermanni Billingi vulgò affirmatur. His præjudiciis animatus, in ea, quæ de laudatissimi principis natalibus suspecta jampridem habueram, diligentiùs inquirere cœpi: animadversoq; tandem, quàm facilè totum hoc commentum refutari posset, Vindicias meditari cœpi, quæ cùm illustrissimi herois, familiaq; augustissimæ conditoris felicissimi, caussam agant, dignas putavi eo principe, qui inter majores suos Billingos numeret: cui etiam à pietate, litterarum cognitione & beneficentiâ apud eruditos illustre nomen. Hunc verò tua mihi præstat excelsitas, princeps generosissime, in cujus laudes ut hîc ampliùs digrediar inconveniens puto. Didici enim à sapientibus, Virtuti laudes post funus rectiùs persolvi, & ab exequiis majus exsurgere nomen: neq; deerunt qui id suo tempore luculenter præstabunt. Vnum rogo, ut Excelsitas vestra litterarium hoc munus, neq; mole magnum, neq; fortè satis elaboratum, solo se argumento, quod principi minimè ingratum esse poterit, commendans, clementer suscipere, meisq; laboribus ad illustrandam patriam spectantibus, patrocinio suo subvenire non dedignetur. Deus opt. max. per quem reges regnant, in cujus pallio & femore scriptum

est, Rex regum, & dominus dominantium, *Exc. V. cum illustrissimâ conjuge, totâq́ familiâ, ad nominis sui gloriam subditorumq́ salutem quam-diutissimè incolumem conservet. Dabam Helmæstadij in Iuliâ academiâ, pridie Non. Februarij, quo die ante annos sexaginta quatuor Excel. V. avus paternus, Ioannes Princeps Anhaldinus, heros inclytus, syncerae religionis, pacis & concordiae studiosissimus, anno aetatis XLVI. ex hac vitâ in cœlestem aulam evocatus est. Anno postremi temporis* CIↃ IↃ C XV.

Excell. Vestram

submissè & reverenter colens

HENRICVS MEIBOMIVS.

Alber-

Albertus Crancius Saxon.
lib. IV. cap. IIX.

IN Italiam profecturus Rex Otto, quum longævam prospiceret futuram expeditionem, ad Albim fluvium provinciam, quæ erat extra Pontificum iura, Hermanno cuidam acris ingenij viro ad tutelam commendavit, cujus antè virtutem & industriam in paucis Rex erat expertus. Parvis quidem natalibus exierat, sed erat procero corpore, *acri visu, bonis moribus, fide præcipuâ in dominos. Quibus rebus innotuit aulicis, & cœpit esse ex ministerialibus aulæ: deinde præpositus regiis liberis ad mores componendos, &c.*

Herman-

Hermannus Dux Saxoniæ.

Hildegardis VVesterburgia.



Post

POst tempora Karoli Magni apud Saxones cum imperio fuere, non præsidatus titulo, sed jure hereditario, VVidechindi, ultimi regis & primi Saxoniæ Ducis, posteri. Ex quibus Otto Magnus, Henrici Aucupis F. patri in Imperio surrogatus, partem Saxoniæ Aquilonarem, tàm Danis, quàm Henetis sive Slavis vicinam, annisque superioribus ab utrisquè nunquam non infestatam afflictamque, Hermanno, Billingi filio, uni ex ministris aulicis, primùm tanquam legato gubernandam, deinde ceu peculium possidendam, atque ad heredes transmittendam concessit. Hujus posteritas novum istum Saxoniæ Ducatum (nam qui hactenus fuerat ex hoc minimè desijt) circiter centum & quinquaginta annos tenuit, claudente demum familiam Duce Magno: ex cujus filiabus, cùm altera nubsisset Henrico Nigro, Bajoariæ Duci, è Guelfis oriundo, altera Ottoni Ballenstedio, marchioni Soltvvedelensi, evénit, ut inter generosas istas familias deinceps super hoc Ducatu diuturnæ essent lites & dimicationes.

Ab Henrico Nigro Guelfo (quod & in vulgus notum) originem ducunt BRUNSUICENSES & LUNEBURGENSES Duces hodie longè potentissimi. Ottonis posteri sunt inferioris Saxoniæ Duces, quos ab illustri aulæ sede LAVVENBURGIOS vulgò appellamus, & principes ANHALDINI. Inclytæ hæ familiæ originem suam arcessunt ab Hermanno Billingo, novo, quem dixi, in Saxoniâ Boreali principe.

De hoc sui temporis laudatissimo Heroë invaluit nugatoria & vana opinio, non quidem, quæ famam ejus & gloriam

gloriam vel minimum obfuſcare aut lædere poſſit: ſed quæ à vero, quod manifeſtè evincemus, longè aberret. Sunt enim qui affirmant, humilis obſcuræque originis, neque in re ſatis lautâ, imo pauperem fuiſſe, virtute autem & fortitudine, quæ in eo præclaræ, quaſi per gradus ad ſummos honores perveniſſe. Quod ipſum etſi in laude cenſeri collocarique poſſit & debeat (nam & illuſtria exempla in medio: *Davidis* in ſacris literis; *Agathoclis* in profanâ hiſtoriâ: quorum neutri natales obſcuri regnum invidere: notusque ſenarius, à Polybio Claudij Cæſaris liberto apud Dionem lib. LX. prolatus:

Reges quoq; extitere de caprariis.)

glorioſum tamen eſt viris magnis, ſi ex majoribus honoratis primordia generis arceſſant. Quò reſpiciunt verſus Euripidis à Plutarcho lib. de nobilitate repetiti:

Non præmium ullum liberis præſtantius,
Ac noſſe patrem nobilem, fortem, probum.

Minimè igitur ſilentio illud involvendum, imò omnes iſtius generis errores & opiniones commentitiæ, quæ in agrum hiſtoricum, quacunque vel incuriâ vel injuriâ, inſtar infelicis lolij irrepſere, evellendæ ſunt & eradicandæ.

Sanè de Hermanno Billingo longè aliter, quàm vulgò affirmatur, rem ſe habere, neque novum fuiſſe hominem, parvis opibus & facultatibus præditum, evidenter demonſtrabimus & lucidè: atque ita quidem, ut qui contradixerit, nihil cum dixiſſe, evincamus. Initiò autem quibus auctoribus ſuſpecta hæc aſſertio ſe debeat: deinde quomodo qui ſucceſſere ſcriptores novitij aliquid de ſuo affluentes errores erroribus cumularint, exponemus.

Primus qui obſcuros natales Billinganos adſtruxit eſt M. Adamus, Canonicus Bremenſis, homo peregrinus & in Saxoniâ hoſpes: quem ſi accuratè ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, quam

quam nobis reliquit, examines, natione vel Thuringum, vel quod tutius affirmaverim, Misenum invenies. Nam ex eâ gente, & quidem è Comitibus VVetinensibus originem traxit Adelbertus, Hamburgensis archiepiscopus, cum quo Adamus Bremam venit.

Historicus ille operis sui lib. II. cap. IV. de Hermanno Billingi F. sic scribit. *Vir iste pauperibus ortus natalibus, primò, ut ajunt, septem mansis, totidemq́; manentibus, ex hereditate paternâ fuit contentus. Deinde, quòd erat acris ingenij, decorisq́; formæ, cùm pro merito fidei & humilitatis, quam dominis & patribus exhibuit, facile notus esset in curiâ, ad familiaritatem ipsius Regis pervénit. Qui compertâ juvenis industriâ suscepit eum in numero ministrorum, deinde nutricium præcepit esse filiorum. Mox etiam succedentibus prosperis commisit ei vices Præfecturæ. In quibus officijs strenuè administratis, dicitur manentes suos pro furto in judicium relatos, datâ sententiâ simul omnes ad mortem damnasse. Cujus novitate facinoris, & tum carus in populo, & clarissimus deinceps factus est in palatio. Postquam verò Ducatum meruit Saxoniæ, judicio & justitiâ gubernavit provinciam, & in defensione sanctarum ecclesiarum studiosus usq; in finem permansit.* Hactenus Adamus Bremensis, quem de verbo ad verbum exscripsit Helmoldus Chron. Sclavorum lib. I. cap. X. nisi quod pro *patribus* legit *paribus*, rectissimè meo judicio. Reponit cramben istam Albertus Stadensis ad annum DCCCCLXI. nullâ voculâ immutatâ. Notanda autem apud Adamum veniunt vocabula, *mansus* & *manens*, in hac significatione classicis scriptoribus ignota: mediæ ætati usitatissima. *Mansus*, mansa, mansum (sic enim promiscuè usurpant scriptores) est latifundium, sive prædium, in quo quis manere ac familiam alere potest. *Manentes* (quos aliqui *Mansuarios*, Crancius *Mansionarios*, appellat) sunt villici mansos incolentes agrosque exercentes. Chroni-

con Saxon. vernaculâ linguâ scriptum de Hermanni Billingi animadversione in villicos suos eadem cum Adamo referens, mansum interpretatur istam agri mensuram, quæ mediæ ætatis scriptoribus *Hùba, Hoba*, sive *Huoba*, nobis ein Hufe Landes.

His igitur ex ordine Ecclesiastico triumviris, Adamo, Helmoldo & Alberto, quos dixi, auctoribus, affirmari credique cœptum est, Hermannum Billingum infimâ fortunâ hominem, parvisque opibus & facultatibus præditum fuisse. Qui error, sine ulteriori veritatis inquisitione, à subsequentium seculorum scriptoribus, non retentus tantùm, verùm aliquâ etiam accessione locupletatus est. Etenim Crancius, qui prædictos scriptores legit & exscripsit, de suo aliquid adjicere non erubuit, ut de prosapiâ Billinganâ certi quid pronunciaret. Verum audiamus ipsummet de Duce Hermanno diversis in locis explicantem. Metropol. lib. III. cap. XIX. inquit: *Erat in regiis ministeriis vir industrius, militari sed infimo genere natus, tenui patrimonio, utpote septem solis mansionariis gaudens.* Saxoniæ lib. IV. cap. IIX. *Parvis quidem natalibus exierat, sed erat procero corpore, acri visu, bonis moribus, fide præcipuâ in dominos.* cap. XVI. *susceptus de pulvere privatæ familiæ.* cap. XXIII. *Qui nobilitatem primus in suam intulit familiam.* lib. V. cap. XXVI. *Hermannus testimonio virtutis suæ eam sibi vendicavit gloriam, quòd infimo militiæ genere natus Ducalem honorem primus inveheret in domum suam.* Hactenus ille. Neque melius sentire voluit Georgius Spalatinus in Chronico Saxonico, ubi hæc habet: Keiser Otto zog mit macht in Italien und machet Herman Billings/ von Stuckeshorn im Land zu Lüneburg/ eines armen Edelmans Sohn/ dazumahl Landvogt in NiederSachsen/ und seiner Söhne Hoff und Lehrmeister/ zum Hertzogen zu Sachsen und Lüneburg. Gab ihm auch ein new sonderlich Wapen/ wie es denn die Hertzogen zu

Braun-

Braunschweig und Lüneburg noch diese zeit führen/ In ansehen daß sich bemelter Herman von Stukeshorn/ in allen seinen Ampten und diensten/ so woll/ trewlich und ehrlich gehalten hatte. Cui accessit nuperrime Christophorus Lehnman/ Chronici Spirensis lib. V. cap. V. qui Hermannum einen Edelknecht adpellat. Nihil autem ex his elicias aliud, quàm domum Billinganam ordini militarium, infimorum tamen, adnumeratam, privatæque non absimilem fuisse. *Militares* enim Crancio vocantur, qui nostris moribus sunt Equites, die Edelleute: ordo ipse, die Ritterschafft. Etsi illis nomen militarium idem auctor penè invideat, malitque *ministeriales* indigitari. Videatur Metropolis lib. III. cap. XI. lib. IIX. cap. XIV. & XLVI.

Verum præter jam recensitos alij longiùs progressi, non dubitarunt natales Hermanni notabili aliquâ maculâ adspergere, *rustici* sive *agricolæ* cujusdam *filium* pronunciantes. Hi sunt Sebastianus Munsterus, Henricus Pantaleon & alij. Non dubito autem, quin seducti sint ab Hermanno Cornero Lubecensi, familiæ Dominicanæ monacho, rerum Saxonicarum scriptore, cujus opus historicum etiam ad superiores Germanos pervasisse colligas ex Francisci Irenici exegesi lib. III. cap. LIX. LXII. LXIII. & CV. Hodie manuscriptum extat in bibliothecâ amplissimi Senatus Luneburgensis.

Is igitur Cornerus folio CCLV. de Hermanno Billingo sic loquitur: ***Tricesimo sexto anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXII. Hermannus, filius VVilingi rustici, factus est Dux Saxoniæ & VVestvaliæ seu Angriæ. Otto namq; Imperator secundum Chronicam Saxonum, videns fratres suos Henricum & Brunonem cum Ludolfo filio suo sibi rebelles existere, Ducatum Saxoniæ & VVestvaliæ, qui jure hereditario Ludolfo filio suo, & Henrico fratri suo debebatur, abstulit, & cuidam Hermanno, filio***

VVilingi rustici de curiâ Stubbekeshorn, distante à Luneburg per VI. miliaria, partem terrarum Saxoniæ & VVestvaliæ ut vicario, sive præfecto, concessit & donavit: & sic Ducatus iste de stirpe VVidekindi quondam regis Angirorum est ablatus: de cujus prosapiâ Otto Imperator erat, & sui fratres, ac filij: iste autem Hermannus fuit primò ab Ottone Imperatore in numerum ministrorum curiæ communium assumtus, prout suprà anno Ottonis XXIV. patuit. Otto ergo Imperator iturus ad Italiam, de consilio & beneplacito fidelium suorum, eidem Hermanno tutelæ vicem in Saxoniâ & VVestvaliâ commisit, postquam verò redijt, & fidelitatem ac strenuitatem præfati Hermanni percepit, ipsum Ducem fecit, & ex tunc sibi suisq; heredibus & successoribus ipsum Ducatum jure perpetuo possidendum delegavit. Huc usque Cornerus, qui historiam suam, Hieronymo Henningesio affirmante, produxit ad annum Christi XXXV. post mille & quadringentos. Corneri verba interpretatus est Dominicus Dreuerus Goslariensis, inseruitque genealogijs suis MS. quas Henrici Iunioris, Ducis Brunsuicensis & Luneburgensis, antiquitatis patriæ lectione in senectute viridi sese oblectantis, jussu concinnavit. Dreueri verba sunt: Im Jahr DCCCCLII. Da ward Herman/ Billinges des Bawren Sohn/ Hertzog zu Sachsen vnd Angern/ das nun Westphalen wird genant. Keyser Otto merckte/ daß seine Brüder Heinrich vnd Bruno/ sampt seinem Sohn Ludolfo/ eins wieder jhn waren/ da begabt er mit dem Hertzogthumb Sachsen vnd Westvalen/ das Erblich zustund seinem Brüder Henrico/ vnd Ludolfo seinem Sohn/ Hermanno Bilinge von Stubbekeßhorn/ eines Bawren Sohn/ geborn auff der Lüneburger Heyde/ dem er zuvor (do er in Welschlandt verreisen wolte) dasselbige vorzustehende befohlen hatte/ als seinem Vogde. Also ist das Hertzogthumb vom Königlichen geschlechte Witikindi gekommen/ von welchem außgesprossen

waren

waren eben derselbige Keyser Otto / sampt seinen Kindern. Herman war von Ackerleuten geboren / sein Vater verließ jhm zum Erbtheil sechs Hove Landes / daran hette er ein genüge. So weit gehen die wort gemeltes Dominici Dreueri.

Post Cornerum errorem eundem erraſſe Nicolaum Marſchalcum Thurium ex quibuſdam ſchedis cognovi. Verba ejus ex Latino in noſtrum ſermonem translata hæc ibi referuntur: Derſelbige Herman / iſt Herman Biling genent / eins frommen Bawren Sohn / geboren zu Stübbekeßhorn im Lande zu Lüneburg bey Soltow gelegen. Bibliotheca Geſneri refert Marſchalcum Chronicon ſuum ab orbe condito uſque ad annum Chriſti MDXXII. perduxiſſe: quod ſummâ diligentiâ inveſtigatum, nondum tamen hactenus videre potui.

Sebaſtianus Munſterus, neſcio an ab Hermanno Cornero, vel ab alio quopiam ſeductus, eadem inculcat Coſmographiæ libro III. capite CCCCXLII. his verbis: *Produnt Saxonum hiſtoriæ, Hermannum Biling, cujuſdam agricolæ filium, natum prope Soltovv in Luneburgenſi ſolitudine, valde magnum effectum apud Ottonem Imperatorem ob fidele miniſterium, quod eidem Cæſari in Italiâ agenti interim in Saxoniæ partibus exhibuerat.*

Munſterum ſine dubio exſcripſit Henricus Pantaleon, medicus Baſileenſis, cujus parte ſecundâ proſopographiæ hæc ſunt verba: *Hermannus natus eſt patre ruſtico, qui in campis Luneburgicis juxta Soltavv in villâ ſuâ Stubbeckhorn colendis agris & pecoribus educandis operam dabat.* Hæc Pantaleonis verba ſunt, quibus novum de ſuo errorem addit, nempe ab Hermanno Billingo promanaſſe Ducum Megapolenſium familiam, quod omnino ferendum non eſt. Quis enim in hi-

in historiâ Germanicâ tam est hospes, ut ignoret Megapolenses principes Henetos esse?

Adamus Thraciger, aliàs in inquirenda veritate vir diligentissimus, hunc scopulum, quin impingeret, evitare non potuit. In Chronici Hamburgensis, quod MS. circumfertur, parte secundâ ita loquitur: Unter diesem Ottone (dem grossen) hat sich die Herrschafft der Stadt Hamburg und der Stormarn und Holstein/ abermahl verendert/ dann es war in seinem Hove einer/ Herman Billing/ eines Bawren Sohn im Lande Lüneburg auff einem Hove bey Soltow Stübbkeßhorn genant/ ꝛc.

Nec dissentire ab his videtur Joannes Stadtweg in Chron. MS. his verbis: Otto de erste verhögede einen armen Man/ de hete Herman/ und was Bilinges Sohn/ de wart ein grott Tyranne/ und buwede den Berg to Lüneburg/ und ward g:ott/ dat vele Vorsten und Heren van eme kemen ꝛc.

Atque hîc, lector candide, considera errorem erroribus cumulatum: Hermannum Billingum durioribus è tugurio rusticano prodeuntem: qui mitiores videri volunt, ordinis solummodo equestris eum faciunt, & quidem ne sit inter primos, sed medioxumos. Verum neutrum verum est, longèque de Billingo aliter sentiendum. Fuit enim ex ordine *Nobilium* sive *Dynastarum*, qui per Saxoniam plures fuere, relicti à Karolo M. cùm gentem fortissimam, ferocissimam, non tam armis subjugatam, quàm humanitate & officijs delinitam, Francis adjunxisset, avitâque libertate uti, frui, permitteret.

Hi Nobiles, sive Dynastæ, nostris Edle Herrn/ à Bedâ Anglo historiæ Eccles. lib. V. cap. XI. *Satrapæ* nominantur, quod vocabulum retinet Theodoricus Niemius lib. de privilegijs & juribus Imperij: retinet VVernerus Rolevincius parte II. cap. I. de laudibus antiquæ Saxoniæ. Annalibus Franci-

Francicis astronomo auctore sunt *primores*. Sic loquuntur etiam Conradus Vrsbergensis & Gobelinus in Cosmodromio ætate VI. cap. XXXIV. etsi idem loco eodem *principes* appellet. Annales Francici Fuldenses ad annum DCCCLXXXII, & Frodoardus Presbyter ad annum DCCCCXXXV, *primates* Saxonum vocant. Ipse Karolus M. in diplomate fundationis Episcopæ Osnaburgensis *potentes regionis* indigitat. Adi Ertvvini Ertmani Chronicon Osnaburgense MS. & Crancium Metropol. lib. I. cap. II. Talis fuit Widechindus, antequam bellum cum Karolo M. gerendum ab æqualibus ei committeretur. Vnde à Rolevincio libri suprà allegati parte II. lib. V. nobilis vocatur: quem Annales Francici unum è primoribus Westvalorum appellant. Talis etiam fuit Meinolfus conditor cœnobij Bodeke in agro Paderbornensi, de quo Gobelinus ætate VI. cap. XL. Crancius Metropol. lib. I. cap. XVI. Prætereà Vffo conditor monasterij Molenbecensis in diœcesi Mindensi: adi Chron. Mindense editum à Pistorio, & Crancium Metrop. lib. III. cap. IIX.

Hos verò Nobiles, de quibus loquimur, fuisse indigenas, non peregrinos, sive adventitios, vel ex unius Poëtæ anonymi, qui nobis vitam Karoli M. reliquit, testimonio abundè cognoscas. Locus est ad annum DCCCIII.

Explodendus igitur Niemius, qui libro suprà memorato, nullo auctore, imo contra omnes, non erubescit affirmare, Widechindum magnum non habuisse legitimam sobolem, sed unicum tantum filium spurium, qui cum per leges patri in hereditate peramplâ succedere non posset, Saxoniam à Karolo M. victore in Comitatus, Baronias & Dominia divisam, eque Galliâ, Franconiâ, superiori Germaniâ, alijsque orbis terrarum partibus evocatos proceres, dynastias istas possidendas accepisse. Quæ narratio tota fabulosa est, refutata à Wide-

chindo monacho lib. I. ubi Theodoricum patrem Mathildis Augustæ, Henrici Aucupis conjugis, de stirpe Widechindi magni descendisse affirmat. Quem locum non tam repetit, quàm illustrat Gobelinus, ætatis VI. cap. XLVII. ubi Theodoricum Comitem Aldenburgensem nominat, qui Crancio est Ringelheimensis, Saxon. lib. III. cap. II. etsi Gobelini sententiam non dissimulet in Metropoli lib. III. cap. XXV. De Mathildâ Augustâ eadem cum Widechindo scribit Ditmarus Merspurgensis lib. I. Sed fortasse non merebantur nugæ istæ refutationem aliquam.

Ex hac Nobilitate in Saxoniâ eligebantur *Comites*, hoc est, *judices*, quorum officium cùm in diplomate Imperiali Karoli M. quo Trutmannum Comitem in Westvaliâ ordinat, eleganter exprimatur, verba ejus subjiciemus: *Quapropter in illâ parte Saxoniæ Trutmannum virum inlustrem ibidem Comitem ordinamus, ut resideat in curte ad campos, in mallo publico, ad universorum caussas audiendas, vel recta judicia terminanda, itaq; advocatum omnium presbyterorum in totâ Saxonia fideliter agat, superq; vicarios & Scabinos, quos sub se habet, diligenter inquirat & animadvertat, ita ut officia sua sedulò peragant &c.* Diploma datum est anno DCCLXXXIIX. Superest autem in archivis inclytæ & Imperialis Tremoniæ in Westvaliâ.

Comites isti suppeditabant provinciæ *Duces*, *Marchiones*: qui dignitates non hereditarias, sed ad tempus datas administrabant: quemadmodum & ipsi Comites, quoties supremo magistratui liberet, exauctorari poterant.

Ex hoc Nobilium ordine fuit Billingus, Hermanni parens, quod apparet ex officio & dignitate Comitis ipsi commissâ. Testis Ecco sive Eccius de Repkau juris Saxonici glossator: ex cujus Chronico Dominicus Drenerus, suprà à nobis laudatus, hæc allegat verba: Das Landt bey der Elbe gab

gab der Keyser Otto einem Edelman/ der hieß Herman/ der war ein Sohne Graven Bilings. Er erhöhete ihn im Reich mit fleiß. Hactenus Ecco glossator. Alterum testimonium suppeditat nobis diploma Ottonis M. quo monasterium Bergense ad Albim prope Magdeburgum, magno sumtu nuper conditum, archiepiscopatui Magdeburgico subjicit: ubi Imperator sic loquitur: *Nos Otto, interventu conjugis nostræ Adelheid, & filij nostri Ottonis, dedimus ecclesiæ S. Mauricij in Magdeburg monasterium, quod Billingus Comes in prædio vel fisco dicti Ottonis in honore S. Ioannis Baptistæ, ac beatorum Petri & Paulli apostolorum construxit, cum castello, & villâ, &c.* A. C. DCCCCLXIIX. Regni XXXIII. Imperij VII.

Vide Billingum gemino testimonio Comitem, quâ dignitate gaudere minimè potuisset, nisi ei inter Nobiles locus. Quod equidem animadvertisse Crancius videri potest, titubanter tamen, & non nisi cum restrictione affirmat, Metropol. lib. III. cap. XIX. *Patrem*, inquit, *habuerunt* (Amelungus Episcopus Verdensis & Hermannus Dux Saxoniæ) *Biling infimæ nobilitatis hominem.* Cui assertioni lib. IV. cap. XXIII. disertè contradicit: locum suprà attulimus.

Sed, inquis, si Billingus Comes fuit, quem usurpavit titulum? Non erat apud veteres Germanos moris, quemadmodum nunc est, ut à territorio, quod vel præsidatus jure, vel hereditario possidebant, nomen sumerent qui cum imperio erant: quin potiùs ipsi regionibus appellationem dabant. Exempla sunt in medio: ex quibus pauca Saxonica attingam. In Metropoli Crancianâ lib. II. cap. XXX. memoratur villa Wallia in *Comitatu Bernarij*. Diploma Ottonis M. Imp. Magdeburgense de anno DCCCCXXXVII. meminit *Comitatus Thietmari* in pago Nort-thuringiâ: & *Comitatus Geronis ac Christiani*. Otto II. Imp. in privilegio Mindensi, dato DCCCC-

LXXIV. meminit *Comitatus Bernharai Comitis.* In privilegijs ejusdem Cæsaris, Osnaburgensi sub datâ DCCCCLXXV. Hamburgensi de anno DCCCCLXXXIII. & DCCCCLXXXIIX. nominatur *Comitatus Bernhardi Ducis.* Idem Imp. in diplomate Gandesheimensi anni DCCCCLXXII. meminit *Comitatus Rotvvigi Comitis.* Infinita hujusmodi exempla repertas in diplomatis veterum Impp. Germanicorum: ex quibus planum fit quod dixi, Comites olim non à territorijs gubernatis nomen accepisse, sed eis impertitos.

Verùm præter hanc alia esse potuit omissi tituli caussa, quam animadvertit Ioannes Pistorius: cujus verba ex præfatione in tertium tomum historicorum subjungam. *Pro consuetudine,* inquit, *illius seculi Nobiles, Comites, ipsiq; Duces, sine habitationis loco & præfecturis vel familiæ cognomentis absolutè simplicissimeq; propriis nominibus notabantur: fortè quòd qui tum Comes & inde Dux certi loci & gentis esse cognoscebatur, posteris omnibus quis olim fuisset, eodem modo exploratum compertumq; esse simplices & non nimium curiosi majores arbitrarentur: vel quod ex dignitatibus, quæ in familijs non inhærebant, nec ad filios progrediebantur, non posse familiarum distingui status judicarent.* Hactenus Pistorius.

Quæ verò de Comitatu *Soltoviensi* in agro Luneburgico adfert Hoppenrodius, & ex eo alij, non tantùm suspecta duco, verùm etiam quæ de frequentissimis illis tempore Karoli M. & successorum temporibus per utramque Saxoniam Dynastijs, ex obscuro quodam cuculligero Ballenstedensi *Henrico Bassao,* tanquam comperta, planeque indubitata ab omnibus penè recentibus rerum Saxonicarum scriptoribus inculcantur, nullo fundamento niti, atque cum veritate historicâ multis modis pugnare intrepidè affirmo, sucque tempore & loco demonstrabo.

Sed

Sed dimittimus Bilingum, quem tamen cum Cornero rectius *VVilingum* vocabimus. Chronicon Saxonicum vetus vocat Byllick/ Lazio lib. IX. de Migrat. Gent. est *Bilico*; quod puto esse idem cum *VVillich*, & Saxonico Wilcke/ Latinis *VVilkinus*. Terminatio *ing*, seu *ingk* manavit ex consuetudine veteribus Germanis usitata, qua *Brune* Brüning / *VVolf* Wolffing/ *Swartz* Schwarting dicuntur: quod docet Beatus Rhenanus Rer. German. lib. III. & Lazius loco adducto lib. VII.

Dimittimus, inquam, Bilingum, quem degradatum, tantumq; non ab imperitis capite diminutum, natalibus & honori restituimus, jamque ad filium ejus Hermannum accedimus. Is Widechindo monacho lib. II. nominatur Nobilis, eo quem diximus respectu. Verba Widechindi sunt: *Placuit igitur novo Regi* (Ottonem Magnum innuit) *novum principem militiæ instituere: elegitq; ad hoc officium virum nobilem & industrium, satisq; prudentem nomine Hermannum.* Widechindum sequitur Chronicon Slavicum editum ab Erpoldo Lindenbrogio, quod cap. 81. hæc habet verba: *Hermanno nobili viro Saxonia commissa, ne Dani, vel aliæ gentes suâ in absentiâ malè agerent.* En generis nobilitatem in eo spectatam, cui majores honores deferendi: etenim soli nobilitati ad hos patuisse aditum antea ostendimus. Chron. Saxon. rithmis contextum eundem vocat Dynastam:

An dhem Nidherlande was besezzen/
Bi den zitten gar vermezzen/
Ein Herre dher heyz Herman/
Als ich vernommen han
Sin Vader Bilingh was genant.

Ex his apparet, quis fuerit ante Ducatum Hermannus, non equidem Comes, ut parens & frater Wigmannus, sed Nobilis Dynasta, sive Baro, agri seu territorij alicujus dominus:

quod ipsum demonstrasse, satis fortasse fuerit refutandæ nugaci & commentitiæ opinioni de obscuris istis natalibus, vel casâ rusticâ Billinganâ. Verum nos per hanc velitationem familiam istam magis adhuc illustrabimus. Fratrem Hermanni Wigmannum Comitis dignitate gavisum, ex Widechindo monacho liquet. Apud hunc lib. III. Imperator Otto M. Wigmanno Iuniori rerum novarum studioso denunciari jubet, meminerit, quòd utroque parente orbatus, ab Augusto, loco filij habitus liberaliterq; educatus fuerit: adultior factus patrios honores ejusdem beneficentiâ indeptus sit. Atqui Wigmannus hic fuit Comes teste Ditmaro libro II.

De eodem Wigmanno Hermanni fratre dignus notatu locus exstat apud Widechindum lib. II. antea à nobis ex parte relatus, qui sic habet: *Placuit novo regi* (Ottoni M.) *novum principem militiæ constituere: elegitq; ad hoc officium virum nobilem & industrium, satisque prudentem nomine Hermannum. Quo honore, non solùm cæterorum principum, sed & fratris sui Wigmanni offendit invidiam. Quapropter & simulatâ infirmitate amovit se ab exercitu.*

Hîc Wigmannus inter principes locum habet, quod de dignitate Comitis accipio: etenim appellationes Ducum & Comitum sæpè confunduntur. Sic Guelfus qui Dux Bavariæ apud Theganum pag. CCIIX. in vitâ Ludovici Pij Imp. pag. CCCLXXIII. & ab Aimoino lib. V. cap. XI. Comes appellatur. Sic annales Francici Brunonem Saxonem, Brunsuigæ conditorem, à Normannis cæsum, ad annum DCCCLXXX. Ducem vocant & Comitem.

Quomodo verò hæc unquam fidem merebuntur? ex duobus fratribus germanis, alterum esse Comitem, referri inter aulæ Imperialis regniq; præpotentis principes: alterum verò raris habitata mapalia tectis deserentem, ut infeli-

cem familiæ tenuioris conditionem cum meliore commutet, non absque invidiâ aliorum, laboriosè operam dare.

Verùm progrediendum nobis ulteriùs, & ostendenda Billingorum cum Saxonum nobilissimis, hoc est, ipsis, qui tum temporis cum imperio erant, Cæsaribus Augustis cognatio. Index & testis rei fide dignissimus Ditmarus Mersepurgius, qui lib. II. affirmat *Brunonem* ejus nominis primum *Episcopum Verdensem*, & Hermannum Billingum fuisse consanguineos. Atqui Brunonem istum Ottonis M. ex Ludolfo filio primogenito, Sueviæ Duce, fuisse nepotem affirmat Georgius Fabricius Originum Saxon. lib. III. Crancius quidem Antistitem illum natu & virtute nobilem dicit, genus tamen non exprimit. Vide Metrop. lib. III. cap. XXXVI. Ioannes Trithemius in Chronico Hirsaug. scribit fuisse fratrem Hermanni Saxoniæ Ducis, memoriæ lapsu, id enim de Amelungo Brunonis antecessore intelligendum. Quid autem gloriosius tribui Billingis potuit, quàm ejus Antistitis esse consanguineos, cui parens Dux Sueviæ nobilissimus, avus, proavus ac patruus Romanorum Imperatores augustissimi, invictissimi?

Eandem sanguinis cognationem inculcat etiam Wigmannus junior, Hermanni Ducis ex fratre Wigmanno nepos, ut memini. Qui cùm post multas rebelliones & transfugia, quorum veniam ab Imperatore mitissimo Ottone M. semel atq; iterum impetravit, extremùm ad Sclavos, juratos religionis & Imperij hostes, turpiter defecisset, accidit, ut à Misacâ barbaro Cæsari confœderato, victus & è fugâ in villam quandam compulsus, ab hostibus circumfusus acriter impeteretur. Ibi cùm moriundum sibi videret, potiori ex hostibus gladium hisce verbis tradidit: *Accipe hunc gladium, & defer domino tuo, quo pro signo victoriæ illum teneat, Imperatoriq; amico transmittat, quo sciat, aut hostem occisum irridere, vel certè*

propin-

propinquum deflere. Exstat historia apud Widechindum Corbeiensem lib. III.

Satisfactum opinor abundè instituto nostro, præstitæq; Billingo & filijs, quà natales vindiciæ: libet tamen ex Ditmaro narrationem adjicere, quæ ad rem non parum facere videtur. Sic igitur ille lib. II. *Herimannus Dux Saxoniam regebat, positâq; ad Magdeburg concione, susceptus est ab archiepiscopo, manuq; deducitur ad ecclesiam, accensis luminaribus, cunctisq; sonantibus campanis. Ibi avum meimet Henricum, tantæ resistentem superbiæ, dolo capere Dux nisus non potuit: quia hunc militum magna caterva vallavit, præcepit tamen ei, ut Romam post Imperatorem pergeret. Quod libentissimè complens, transcensis Alpibus, ut primùm ad Imperatorem venit, videns eum à longè solotenus se prostravit, interrogatusq; quid caussæ hoc esset, quod accusatus apud eum gratiam suam pietatemq; solitam perdidisse timeret, lacrymabiliter respondit. Quem protinus elevatum imperator osculatur, singulaq; sagaciter perquirens, & de susceptione Ducis, quomodoq; in medio Episcoporum ad mensam loco Imperatoris sederet, lectoq; dormiret, perdidicit. Ob hoc Cæsar Augustus masculè succensens, Alberto per epistolam mandavit Episcopo, ut tot sibi equos mitteret, quot Duci campanas sonare, vel quot lucernas accendi præceperat. Imperatoris archipræsul peragens edicta, quibuscunque valuit modis se per legatos excusare contendit.* Hactenus Ditmarus. Repetit historiam Chronicon Magdeburg. MS. disertimq; Henricum, Ditmari avum, Hermanno insolenter agenti se opponentem, Comitem de Staden appellat. A quo discedens Georgius Fabricius, Comitem Sumeringium vocat, confunditque cum Henrico Comite Walbecensi, Lotharij F. vide Origin. Saxon. lib. II. Est autem Summeringa villa Thuringiæ, referente Sifrido presbytero lib. II. Familiam Comitum Stadensium enucleavit diligenter Alb. Stadensis ad annum MCXLIV. repetivit

inde

inde Crancius Saxon. lib. VI. cap. V. & VI. Metrop. lib. V. cap. XXIV.

Quis verò sanæ mentis rectiq; judicij homo credere unquam velit aut possit, Hermannum vilis agricolæ filium, nuper rure in aulam extractum, vel, ut civiliores affirmant, ex infimo equitum sive militarium ordine inter ministros aulicos adscriptum, vixq; in novo eodemq; perquam invidioso magistratu confirmatum, tam intolerandam ambitionem in animum admittere ausum, ut honores summo principi debitos, nullique æqualium unquam ambitos, nedum protervè usurpatos, ab improvido Antistite deferri sibi arroganter pateretur? Nemo, opinor, facilè persuaderi poterit, in agricolæ filio eam fuisse animi insolentiam. Homini in aulis ad tempus versato, usuque rerum à temeritate abducto, in memoriam venisset aurea parænesis, ab ingenioso poëta ingeniosè rotundo & eleganti disticho expressa:

Fortunam reverenter habe, quicunque repentè
Dives ab exili progrediere loco.

Meâ opinione spiritus ille in Hermanno Billingo æquò tumidior, non aliunde, quàm à generis claritate, majorumque imaginibus promanavit. Venit novo Duci in mentem, quòd ex illustri nobilitate originem duceret, patrem habuisset Comitem, fratrem, & ex eo nepotem in eadem dignitate constitutos vidisset: denique ipsum Imperatorem proximâ attingeret consanguinitate, quem in propinquo facilè illud laturum falsò sibi persuasit, quod ne æquales quidem sine inviriâ, sine stomacho intueri posse, cum pudore & ignominiâ expertus fuit.

De primo controversiæ capite, puta de natalibus Ducis Hermanni, diximus hactenus: nunc accedendum ad alterum, probandumque Billingos tam parvis opibus & faculta-

tibus, ſicut aſſertum meminimus, nequaquam fuiſſe. Refutat fabulam VVidechindus Corbeienſis lib. II. ubi VVigmannus, quemadmodum antea dixi, inter principes regni numeratur, additurque virum fuiſſe potentem. Vnde verò huic deſubitò opes ſive potentia, cujus pater, vel agricola, vel ex infimo militarium ordine? cujus fratri res modicæ, imo pauperculæ? Quid enim fuerit tam modici agri dominum eſſe, & quidem eo in loco, ubi ille macer & exilis? Idem VVidechindus lib. III. commemorat, quomodo VVidechindus junior Hermannum patruum interverſæ hereditatis paternæ coram Cæſare Ottone publicè accuſarit. Quod cùm temerè & ſine cauſsâ factum eſſet, nec accuſatus intentati criminis convinci poſſet, æquiſſimus Cæſar iniquum & injuſtum actorem cuſtodiæ mancipari juſſit. Quid autem opus tam acerbâ accuſatione? quid judiciali illo ſtrepitu & moleſtiâ, ſi lis fuit de tam paupere regno? Dignitatem, quâ gaudebat frater, nepoti eripere Hermannus non potuit, pendebat enim à ſolius Imperatoris arbitrio. Fuit igitur actio de diminutâ hereditate, quæ ſi vel modica, vel penè nulla, ad quid conventio coram Cæſare, & in actorem cauſſam ſuam non probantem, judicis cognati tam ſevera animadverſio? Reverâ uti prius falſum, ita & poſterius: longeque ſentiendum aliter de utroque, quod planum nos feciſſe, ut ſpero, imo confido, nemo inficias ibit.

Atque hîc eſto finis noſtræ velitationis, quam equidem non illibenter inſtituimus, nullo tamen alio fine, quàm ut quod falſum probè perſpexeramus, veritatis larvâ ſpoliatum profligaremus, illuſtri planeque heroicæ familiæ avito ſuo honore & dignatione redditâ. Effigies, quas dedimus, tam Hermanni Billingi, quàm conjugis Hildegardis VVeſterburgiæ, debemus collegio Brunſuicenſi *San-Blaſiano*, cujus ut alibi, ita hoc loco honoris ergò mentionem facimus. Liber in

quo

quo exstat vetus est, scriptus in membranâ ante annos CCC. & IV. Inspiciendum illum nobis exhibuit *Valentinus Mollerus* ICtus. ædis ejusdem Decanus, vir & nostri, & studiorum quæ colimus, amantissimus. Genuinas esse imagines multæ ostendunt circumstantiæ, deque proceritate Hermanni disertè loquitur Crancius Saxon. lib. IV. cap. IIX. de habitu picturæ conveniunt veteres, conveniunt scriptorum monumenta. De obitu ejus res est controversa. Henningesius eum collocat in annum DCCCCLXXXI, Thraziger DCCCCLXXIV. uterque male. VVidechindus enim Corbeiensis disertè dicit Hermanni obitum Cæsaris Ottonis I. obitum antecessisse. Verba ejus hæc sunt: *Tristis illa loca perambulabat* (Otto I. Imp.) *de obitu optimi viri Ducis Hermanni, qui prudentia & justitia miraq; vigilantia in rebus civilibus & externis cunctis retro mortalibus æternam reliquit memoriam.* Vide sub finem lib. III. Consentit Ditmarus Merseburgius lib. II. his usus verbis: *Dehinc ivit* (Otto) *ad Quidilingeburg, proximum Pascha divinis laudibus humanisq; peragens gaudijs. Huc confluebant Cæsaris edicto Miseco atque Boleslaus Duces, cum omnibus regni totius primarijs: consummatisq; pacifice cunctis, ditati muneribus magnis, reversi sunt ad suos lætantes, Calendis Aprilis. Herimannus autem Dux ibi tum moriens Imperatoris gaudia turbavit.* Hisce duobus tertius accedat testis, Auctor Chronici Magdeburgensis MSti inquiens: *Inde Quedeliggeburg abbatiam, quam venerabilis mater sua Mathildis condidit, adiens, advenientibus ibi Poloniæ ac Bohemiæ Ducum, Græcorum quoq;, Beneventorum, Vngariorum, Bulgarorum, Danorum & Slavorum legatis, cum totius regni principum concursu, Paschalia gaudia peragit, licet illa Hermannus Dux Saxoniæ sibi dilectissimus tunc moriens, nonparum turbasset.* Ex quibus liquido apparet, Hermannum ante Cæsarem

Ottonem obijsse, & quidem in ferijs Paschalibus, Kal. Aprilis in Comitijs Quedlinburgensibus. Celebravit autem hæc Otto anno DCCCCLXXIII, ijsque finitis diem suum ipse etiam obijt eodem anno. Et Hermannus quidem Luneburgi conditus fuit, Cæsar Magdeburgi. Cæterum familiam Billinganam integram, cum Deo juvante, & si ætas suppetat, alibi dabimus, & ita dabimus, ut dum veritati consulimus, non pauci aliorum errores indicandi veniant. Sit Socrates amicus ac Plato, amica tamen veritas magis.

FINIS.

APOLOGIA
PRO
DIVO IMP. CÆS. OTTONE IV. P. F. AVG. P. PATR.

Contra falsas criminationes & convitia, quibus opt. Principem onerare & insectari non sunt veriti,

CONRADVS ABBAS VRSpergensis, Joannes Cuspinianus, Sebastianus Munsterus, quiq; hos sequuntur recentiores nonnulli,

instituta
ab

HENRICO MEIBOMIO.

SERENISSIMO, POTENTISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

FRIDERICO-VLRICO,

Brunsuicensium ac Lunæburgensium Duci, &c.

Domino meo Clementissimo.

TRiennium est, & quod excurrit, serenissime & potentissime Princeps, Domine clementissime, cùm Excelsitatis Tuæ jussu, Reineri Reineccii, Steinhemij, V. CL. commentationem de Saxonum Originibus, quam ante annos aliquot, de clementi voluntate augustissimi Principis, HENRICI IULII, *Excelsitatis Tuæ parentis, instar Apologiæ Ioannis Bodini Andegavi, Germanomastygis, assertionibus quibusdam frivolis & ineptis opponendam, elaborarat, in apertam lucem produxi, præmissâ præfatione, ab illustri senatu aulico approbatâ & subscriptâ. In eâ ostendi priorem ejus scripti editionem à nobili præstantisq; ingenii & doctrinæ viro Andreâ Knichio, Iurisconsulto, Polyhistore & Politico excellenti, Hanoviæ typis VVechelianis procuratam, non esse ultimum absolutumq; concinnatoris super hac materiâ conatum, sed primum conceptum, longeq; falsum esse quendam in vicinâ ad Albim Parthenope Iurisconsultum, audacter pronunciare ausum, Reineccium, quem amicum vocat, editæ commentationis non esse auctorem, sed alium fortè ex Vtopiâ usq; impostorem, qui post mortem optimi viri cartas supposititias litteratis hominibus pravo exemplo obtruserit. Quo verò animo capularis senex præfationem minimè immodestam exceperit, non est, clementissi-*

tißime Princeps, ut Excelsitati Tuæ exponam. Norunt aulæ, sciunt academiæ urbesq; primariæ, quibus pagellas in me exprompias legendas obtrusit: norunt emporia, in quibus venales expositæ sunt. Benè autem in vestibulo hujus duelli factum, ut auctor, secundum præsagium suum, alterum in sepulcro pedem habens, totus tamen in fermento positus, vivis semetipsum depingeret coloribus: quoq; esset ingenio & naturâ, quantumq; conviciando valeret, doctis aquè ac indoctis (hujus enim ergò cartas suas vernaculo sermone legi voluit) testatum faceret. Mihi cygneam istam cantionem pellegenti, nihil præter opinionem evenit, satis enim superq; noram, quàm acerbè idem ipse, contra divinæ majestatis vicarios stilum aliquando strinxisset, nedum ut mihi parcendum putaret. Verùm cum atroces nimium occurrerent calumniæ, criminationes supra modum falsæ & falsæ, honori meo, ut debui, & jure potui, consultum ivi, scriptoq; apologetico, non edentulo, innocentiam meam tutatus sum calumniasq; abstersi. Id scriptum nonunius, sed plurium censuræ ac examini subjectum, dignum judicabatur, quod publicè legeretur. Non enim meam solius caussam egeram, sed adversarii imaginationes & insomnia, ad veritatis historicæ (cujus notitiam veteranus in hac palæstrâ miles cur mihi non vendicem?) normam & amußim probè examinata, foras eliminaram. Quis verò omnium exemplari meo, prælo jam apparato, propriâ auctoritate, vel domi suæ compedito detentoq;, vel prorsus abolito, editionem impedierit, amore ne mei, an odio id fecerit, equidem scire non possum, cum hodieq; rei invidiosæ culpam sustinere nemo velit, vel fortaßis audeat: neque ego nunc rem amplius urgeo, adversario ad communem judicem profecto: cum larvis verò pugnare mihi non est animus. Manebit tamen clementißime Princeps, hyperaspistes meus in Excelsitatis Tuæ tablino, sive cartophylacio: manebit in illustri academiæ hujus bibliothecâ legendus, intelligendus, judicandus. Hoc tempore, Princeps clementißime, Excelsitati Tuæ novam offero Apologiam, longè majo-

majoris sublimiorisq; argumenti, quà caussam ipsam, quà adversarios, quibus cum colluctandum mihi fuit. Sed ut illius bonitas animum mihi dedit, sic absterrere hi non potuere, quin in arenam quasi provolarem. Tua Domine clementissime, Excelsitas, ejusq; consiliarij sapientissimi, judicent, pro quâ parte militet veritas; injuriamne intulerint optimo imperatori Ottoni, Excelsitatis Tuæ agnato, scriptores quos notavi, tam veteres, quàm recentes; an verò temerè egerim ego, qui nunc demum post quatuor secula, iniquè vapulantis patrocinium susceperim, proq; virili tutatus sim. Ad me quod attinet, etsi paupertini mei ingenii conscius, etiam injussus quod debui egi, neq; temperare mihi potui, præsertim cum αὐθένται καὶ ἀξιόπιστοι scriptores ad manus essent, quin illustrissimæ domui Guelficæ, cui hac in academiâ annos jam ultra quadraginta publicè docendo, privatim commentando, fideliter inservio, pro beneficiis in me meosq; collatis, hoc quale quale ἀντιπελαργίαν, μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ θύων, grato animo reponerem. Volenti amplius mecum super hac re contendere (quod erit manifestam veritatem inficiari, nugisq; patrocinari) ἄνευ φιλονεικίας me sistam, neq; caussam deseram, ἰσχυρὸν γὰρ τὸ ἀληθές. Tuam quod restat, Princeps clementissime, Excelsitatem, cum fratre unico, adeoq; totâ Brunsuicensium ac Lunæburgensium Ducum fundatissimâ ac præpotente familiâ, Dei optimi maximi, Regis Regum & Domini Dominantium, tuitioni supplex commendo. Helmæstadij, propridie Kalendas Januarias, anno χριστογονίας 1624. ineunte.

Illustrissimæ Excelsitatis V.

minister & professor in acad. Iuliâ

HENRICUS MEIBOMIUS, Lemgoviensis.

AP-

APOLOGIA PRO OTTONE IMPERATORE.

ABbas Vrspergensis, cui Caspar Bruschius & nomen & natales restituit, ipso Melanthone teste, de historiâ Germanicâ optimè meritus est, quippe qui de Imperatoribus nostris multa studiosè collegit, præterea notationem temporis, alterum historiæ oculum, reliquis diligentius adhibuit. Eadem scribit Chytræus, neq; dissentiunt alij, ut planè invidiosum sit, ab hac magnorum virorum censurâ judicioq; discedere, ac Vrspergensem reum agere. Est tamen quod jure meritoq; reprehendam, cùm pro me faciat *veritas, historia anima & sacrarium,* G. Pachym. histor. lib. 1. fideq; digniores historici aliter rem gestam exposuerint. Scribit Conradus à Lichtenavv (nam hoc Vrspergensi nomen, hæc familia) Ottonem quartum Saxonem, qui Henrico VI. Cæsare vitâ functo, à nonnullis Imperij Principibus Reipub gubernandæ præpositus est, *fuisse hominem stultum & superbum, simulâsse zelum justitiæ, interim omnia egisse superbè, demumq; propter superbiam regno excidisse.* Quæ si vera essent, vehementer opinione suâ falsi fuissent principes electores: venisset ipse ad Imperium indignus, ijs nimirum contaminatus vicijs, quæ nulli regno, nedum ei, quod reliquorum caput, conveniunt. Etsi enim reges majestas decet & apud suos auctoritas: illa tamen ab insolentiâ, fastu & tumore debet esse aliena, neq; omnino pueri, nedum fatui regnum capessere debent.

Vrspergensem monachum, tanquam ex tripode oracula pronunciantem, Ioannes Cuspinianus Francus, qui avorum nostrorum memoria Impp. Romanor. res gestas ex professo describendas sumsit, confidenter secutus est, ita quidem, ut de optimo innocentissimoq; principe multò, quàm alter, loquatur inverecundius inciviliusque. Etenim *temerarium vocat & imprudentem superbumq;, qui præ se omnes contemserit: simularit quidem erga religiosos favorem, sed reverâ superbè dominatus sit, eamq; ob caussam regno exciderit & improlis è vitâ emigrarit.* Hæc sua convitia auget coronide cujusdam malè tornati epigrammatis, quod tale est.

Expulit è regno funesta superbia Othonem,
Qui proceres claros spreverat atq; pios.
Pontificiq; datam servare fidem furibundus
Respuit, emeritam pertulit ergo fugam.

Tali acroamate medicus & orator Cæsareus Germanici sanguinis Imperatorem laudatissimum, nescio quibus actus intemperijs exornare non erubuit, secutus, ut dixi, Vrspergensem monachum, cæcus cæcam, & ita secutus, ut in criminando de suo etiam liberalem se præstiterit. Ab hac censoriâ virgulâ ne latum quidem unguem discedit Sebastianus Munsterus, cujus verba Cosmographiæ Latinæ lib. 3. cap. 19. hæc sunt: *Otto temerarius, audax & superbus princeps & qui omnes præ se contemneret: atq; idcirco parvo tempore in imperio duravit.* Ac potuissent ista fortassis, vel temporum injuriæ, vel scriptorum imperitiæ adscribi, ideoq; dissimulari, nisi nostrâ ætate vir excellentis ingenij & doctrinæ, magniq; nominis & in Imperio Germanico præpotentis Septemviri medicus, ac in illustri academiâ professor primarius, plus nimio relationibus, tam Vrspergensis, quàm Cuspiniani inhærens, innocentem Imperatorem Ottonem paribus verberasset convicijs. Scribit enim satis inconsideratè, *audacem fuisse & temerarium: insolentis ac prætumidi ingenij: inepto fastu ex alto ceteros despexisse principes: infelici exitu pœnas persolvisse de affectato per ambitionem & injustis armis quæsito Imperio, extra vocationem & ordinem, Pontificum impulsu: fuisse non dissimilem avi patrisq; ingenio & fortunâ, illo elatum & insolentem, hac infelicem.* Hæc ille in optimos principes iniquè mordax & injuriosus. Omnibus hisce recentior nuperusq; scriptor Horatius Tursellinus, Lojolitanæ familiæ monachus, uno atq; altero verbo calumnias suas absolvens, lib. 8. Epitomes Histor. Ottonem *Imperatorum* vocat *deterrimum brevissimumq;.*

Atqui ista omnia ex inconsideratis Vrspergensis cuculligeri narrationibus, tanquam ex limoso turbidoq; fonte promanarunt, errorq; in principio parvus in fine factus est valde magnus, quod usu venire post Aristotelem prudentiæ oculum ex lib. 1. de cœló, affirmat Thomas Aquinas, ipsaq; contestatur experientia. Quo exemplo docemur, sæpenumero optimos & reipublicæ salutares bonoque publico natos principes, vel unius nefarij parumve intelligentis homi-

hominis turpi malevolentia, vel non satis providâ cautâq; rerum gestarum expositione, deformatos, cum qui vindicias præstant non reperiantur, ab uno in aliud seculum ignominiosè traduci & innocenter vapulare: cum digni essent, qui pro amore erga patriam non obscuro, pro rebus fortiter feliciterque gestis, longè aliam mercedem reportarent. Henrico VII. Imperatori generositate naturæ, ingenij præstantiâ, excelsi animi magnitudine, moderatione in omni vitâ, alijsque virtutibus maximè conspicuo, Blondus suæ gentis more, nunc Decad. 2. lib. 9. *avaritiam*, nunc *imprudentiam*, nunc *fatuitatem* objicit, sed invenit, qui innocentiæ patrocinati calumniantis os maledicum obstruerent. Qui Ottoni id præstaret inventus est nemo. Sed agedum consideremus ejus ad Imperium evocationem, subsecutam in eo confirmationem, administratæ reipublicæ modum & felicitatem, denique ab illâ iniquissimam remotionem, atq; hæc consideremus non perfunctoriè, sed, quâ in re tanti opus, accuratione, fietq; manifestum, peccaritne tàm enormiter Otto Cæsar, ut merito suo adeo malè apud posteritatē audiat, vel num innocenti injuria olim facta fuerit, atq; etiamnum fiat hodie. Quod ut commodius præstemus, ab ovo, secundum adagium, repetenda res erit, quæ in hunc se habet modū.

Henricus VI. Imperator, Barbarossæ filius, non tam Reipublicæ, quod callidè simulabat, quàm familiæ, in quâ jam tertius Augusti dignitate potiebatur, suæq; posteritati consultum cupiens, hoc agebat unicè, ut Romanum Imperium à primâ ejus ad Germanos translatione, à liberâ principum electione dependens, deinceps esset hereditarium. Verùm placet hac de re audire differentem Ioannem monachum, citante collectore magni Chronici Belgici. *Is*, inquit, *Imperator Henricus videns regnum Almaniæ & Imperium Romanum propter frequentes mutationes Imperatorum multa mala perpessum, priusquam vota principum in personâ Imperatoris possent convenire, ordinavit, ut ampliùs electio non fieret, sed per solam sanguinis successionem Imperium conferretur, ita ut qui propinquior Imperatori esset, hereditariè Imperator fieret. Vt autem Henricus à filio suo Friderico, quem de Constantiâ uxore suâ habuit, sumeret exordium, regnum Siciliæ & Calabriæ & Ducatum Apuliæ & principatum Capuæ, quæ filius eius ab avis heres acceperat, Romano Imperio univit, ut perpetuò terrarum*

rum istarum unius dominus esset. Ordinavit etiam, ut mulieres masculis deficientibus succederent in hereditatem, & ne Imperator mortuâ manu ecclesiasticarum personarum ultrà expostularet. Constitutioni igitur huic profuturæ consensit curia Romana & principes LII. qui Imperatorem eligere consueverant, quorum sigilla litteris super hoc confectis sunt appensa. Hactenus Ioannes monachus. Ex cujus verbis manifestum fit, quibus artibus in suam sententiam Cæsar Imperij principes pertraxerit. Primò enim promittit amplificationem Imperij accessione aliquot amplissimarum regionum: sed quæ aliàs essent Reipublicæ, per fraudem & vim ab eâ alienatæ. Deinde de principibus tam ecclesiasticis quàm politicis, præclarè se meriturum ostendit. Vt enim horum bona feudalia sancivit esse allodia, hoc est, ab omni clientelâ libera & soluta: ita illorum exspirantium exuvias sive possessiones mobiles & se moventes, non ut hactenus fieri consueverat, fisco Cæsareo, sed ecclesijs viduatis & vacantibus cedere voluit. Privilegium illud non semel Imperatoribus extorquere conati fuerant Episcopi, ad eum tamen usque diem frustra. Addunt alij, Cæsarem largitionibus negocium suum confecisse, erogatâ in principes pecuniâ Anglicâ, immensâ illâ peneq; incredibili, quâ Richardum regem ex Palæstinâ revertentem & in Austriâ captum, summâ cum nominis sui infamiâ emunxerat. Divulgato per Germaniam rumore de novâ Cæsaris ambitiosi sanctione, cum antiquis moribus pugnante, Saxonici principes libertatis conservandæ studiosi, unanimiter intercesserunt. Caussam in publicis Comitijs popularium nomine peroravit Bernhardus Saxoniæ Dux, parum pensi habens, quòd à Cæsaris parente, Henrici Leonis nuper exauctorati, dignitate exornatus fuisset. Meminit Gobelinus Persona strictim his verbis: *Hic Henricus concordavit cum principibus regni, quòd liberi sui post eum hereditario jure regnum obtinerent, sed contradictum est à principibus Saxoniæ. Quare ipse Imperator principes illos à promisso absolvit, & iuramenta eâ occasione præstita relaxavit.* Chronicon Halberstadense MSC. rem paulò aliter exponit his verbis: *Conradus Moguntinus archiepiscopus cum principibus Saxoniæ conspiraverat adversus Imperatorem Henricum Sextum. quia idem petierat ab eisdem, ut successio Imperij ad heredes suos transiret. Erat tum Episcopus Halverstadensis electus Gardolfus, cuius*

ordinatio hanc ob caussam est aliquamdiu dilata: sed idem Gardolfus nuncium, qui conspirationis litteras inter principes tulit, cum eisdem litteris captivavit. Quibus Imperatori ostensis, ipse, sicut vir sapiens & discretus, petitionem principibus porrectam relaxavit. Huc usque Chronicon. Defuncto Imperatore Henrico VI. quod factum anno Christi 1197. sub finem Octobris, principes regni Germanici, penes quos eligendi potestas, discordare cœperunt & dissidere, eo eventu, ut pro uno duos Reipublicæ dederint Augustos, Philippum Suevum defuncti Cæsaris fratrem, & Ottonem Saxonem Henrici Leonis filium. Inter horum parentes quæ inimicitiæ intercesserint, non est ut repetam: nota ex historicis omnia: exitus fuit tristissimus, Henrico Leone planè in ordinem redacto. Qui Ottoni fasces regni deferebant, initiò pauci erant, pleriq; Belgæ & Occidentales Saxones, antesignanus Adolfus Vbiorum archiantistes, ex familiâ Comitum Altenaënsium, quæ pòst accessione aliquot provinciarum locupletata, Duces Iuliacenses & Clivenses, nostrâ memoriâ longè clarissimos, enixa est. Conradus Moguntinensis archiepiscopus, cujus in ipso electionis actu primæ partes fuissent, peregrè hoc tempore erat religiosam militiam in Palæstinam secutus, qui si domi fuisset, pro suâ, quâ pollebat, prudentiâ rerumque usu & auctoritate, in commune consuluisset, belliq; civilis caussas præcidisset: sed fata urgebant Germaniam. Philippo major adhærebat pars Principum, quod largitionibus confecisse eum scriptores coætanei litteris mandare non dubitarunt. Singulorum verba ad fidem rei faciendam integrè subjungam. Arnoldus Lubecensis Helmoldi continuator lib. 7. cap. 5. *Philippus muneribus datis omnes sibi adstrinxerat.* Otto de S. Blasio appendice ad Chronicon Ottonis Frisingensis cap. 46. *Philippus regalia, tradente sibi Imperatore fratre suo, tenens, omnesq; thesauros ipsius possessionesque prædiorum aliorumq; fratrum suorum, ditissimorum, videlicet, principum, ipsorum heres solus obtinens, principes Ottoni adhærentes, quosdam minis, quosdam promissis, & donis, in suam partem transduxit.* Gotfridus monachus à CL. Frehero invulgatus: *Constat tamen, quod ipse* (Philippus) *nuncios ad archiepiscopum Coloniensem cum precibus transmisit, multa offerens, sed plura promittens, si ad suam electionem animum vellet inclinare.* Et paullò post: *Prædictus itaq; Dux caussam suam*

suam agens, & ut necessitas eum compulit, ab omnibus auxilium petens, omnes penè principes muneribus sibi conciliat. Plures rei probandæ testes advocare non puto operæ precium: ex allatis liquet, quibus artibus Philippus Imperium acquirere, acquisitum sibi confirmare allaboraverit: non frustra, quippe qui ideo maximam principum partem secum haberet. De Ottone nihil horum commemoratur, fuitq; omnis ambitionis ac prensationis expers ejus electio. Agebat peregrè in Gallijs, ubi ditionē Pictaviensem, ab avunculo Richardo Angliæ Rege donatione liberâ acceptā, titulo Comitis possidebat. Procul igitur absens prehensare electores non potuit, multo minus auro corrumpere: neque fortè in Germaniâ erant, qui ejus partibus magnoperè studerēt. Fratrem germanū Henricum Saxoniæ Ducem Rheniq; Palatinum electioni interfuisse affirmant Arnoldus Lubecensis lib. 6. cap. 1. consentit Otto de S. Blasio cap. 47. controversum faciunt Godefridus monachus pag. 265. & Trithemius Chron. Hirsaugiensi ad annum 1199. Quibus suffragatur Rogerius Hovedenus Anglus annalium parte posteriore. Nequaquam verò audiendus Hieronymus Henningesius præfatione in alteram partem Genealog. secundi & tertij regni in quartâ monarchiâ, aut Elias Reusnerus in Genealogico, ubi scribunt: *Ottonem 4. ad Imperium evectum à Pontifice Romano per fratrem Henricum Palatinum Rheni.* Electione peractâ, amandati sunt in Galliam cum honorifico comitatu legati splendidi, Emicho Leiningensis & Albertus Dagsburgensis, ambo Comites, apud suos magnæ dignationis. Quibus auditis, lautijsq; more regibus principibusque usitato, magnificè muneratis, Otto electioni consentiens, aleam jecit, multisq; ex Gallicâ Anglicâq; nobilitate stipatus, in Germaniam properavit. In itinere salutavit regem Franciæ Philippū, ejusnominis secundum, quem parum civilem, imo invidum potius invenit. Rem gestam exponit Arnoldus Lubecensis, lib. 7. cap. 17. & ex eo repetit, sed paullò aliter, Crancius Saxon. lib. 7. cap. 29. Arnoldi verba placet apponere. *Cùm Otto à Principibus de Pictavio ad regalem electionem vocaretur, & conductu regis Franciam transiret, ipse eum transeuntem vidit & salutavit & inter collationes, quibus se mutuo salutabant, rex Franci in hac verba prorupit: Intelleximus, ait, quòd ad Imperium Romanum vocemini. Ad hoc ille, Verum est, ait, quod audistis: sed in Deo sit iter meum. Cui rex,*

Non

Non credetis, quòd tanta vobis proveniat dignitas. Quòd si vel sola Saxonia in personam vestram consenserit, detis mihi nunc dextrarium, quem peto, & cum creatus fueritis, dabo vobis tres civitates meliores regni mei, Parisium, Stampes, Aurelianum. Habebat sane Rex Otto munera multa regis Angliæ avunculi sui Richardi & centum quinquaginta millia marcarum, quæ in somariis ferebant quinquaginta dextrarij; inter quos erat unus nominatior, quem rex petebat. Dominus ergo Otto, dato dextrario, ibat viâ, quâ cœperat. Nunc ergo non fit injuria, Dominum Imperatorem repetere sua. Crancij verba auctorem, quem exscribit, non parum, ut assolet, interpolantis, piget adscribere. Coronam Imperij more institutoq; majorum Aquisgrani accepturus Otto urbem invênit clausam. Inerat cum valido præsidio VValramus Henrici Ducis Limburgij filius, paullò antè à Philippo Cæsare donatione castri regij Berinltein corruptus, postmodum omnis mali communem patriam pessumdantis μηχανοῤῥάφου. Expugnatum est Aquisgranum labore magno, sumtu incredibili. Arnoldus Lubecensis lib. 6. cap. 1. impensa dicit *septuaginta marcarum millia*, quæ nostræ monetæ faciunt aureos quingenties & sexagies millenos. Tanto constitit Ottoni diadema Imperij primum, impositum ei ipsâ die Pentecostes, à duobus archiepiscopis Coloniensi Adolfo & Ioanne Trevirensi. Regalia, quæ vocant, sive insignia novo Cæsari tradi solita, hoc tempore erant penes Philippum, à fratre defuncto accepta, quæ Otto non magnoperè desiderans *gloriabatur, se etiamsi non Regalia, iura tamen & loca regalia tenere*, ut Otto de S. Blasio, cap. 46. Hoc igitur modo ad Imperium pervenit Otto, non ambitu aut largitionibus, quibus adversarius principum animos occupavit. Electus est absens, accitus peregrè & quidem per nuncios perquam honoratos. In electoribus nullus ei vel consanguinitate propinquus, vel ditionibus confinis, neq; fortè alicujus beneficij accepti nomine obnoxius ac devinctus. Paternum maternumq; sanguinem, Cæsareis regijsque dignitatibus, meritis erga orbem Christianum illustrem, gloriosum, animos principum ad electionem impulisse, credibile est. Nec deerant virtutes regiæ isto honoris & eminentiæ fastigio dignæ. Testimonio fit vir ævi & ingenij simplicis, nec rei ignarus, quippe qui testis domesticus. Is igitur linguâ vernaculâ in hunc modum:

Men

Men seyt ouch sulche mere/
Des her ein scone Vürste were.
Gut to sprechene und obermilte/
Ein tûre Ritter unter scilte.
Suze und guter site:
Gottesfürchte wonde im mite.
Ein jugent hatte ouch wißheit/
Das des Riches werdicheit
An im nicht were verlorn/
Off he eynliche were gekorn.

Et paullo post:

Alleyne der werde Keyser clar
Hette eyn kündich Hertze gar.
Her was doch dabi barmhertzig/
Vnd helt sich doch algelich
Vor eynen nidheren man/
Dhes seyt men all sünghet wan.

En tibi hîc Regem multiplici virtute: religiosum ac pium, liberalem, affabilem, robustum ac valentem, mansuetum, sapientem & misericordem. Qui si in melius incidisset seculum: si contra furias Papales, ipsis Avernalibus nihilo meliores, totumq; Romanum Imperium fucatâ tyrannide magis magisq; oppressum eversumq; euntes, oportunum & ex lege debitum sensisset auxilium: si deniq; caussæ bonitati exitus respondisset, inter principes bono Reipublicæ natos, libertatis custodes & perpetuos parentes, laudabili vetustatis erga magistratus exemplo, adscriptus fuisset. Verum, ut dixi, fata urgebant Germaniam, principibus plærisque, sive superstitione, sive invidiâ dementatis, avitamq; libertatem omni auro preciosiorem & cum eo jura Romani Imperij, majorum sudore & sanguine acquisita, in sui ipsius & ipsorum perniciẽ & infamiam, Italiæ toties debellatæ ignaviter resignantibus. Ad capessendum Imperium ultrò oblatum Ottonem non una impulit caussa. Honorificum erat principum Germaniæ judicium & opinio, quam contemnere insolentis, negligere segnis & supini videbatur animi. Accedebat auctoritas avunculi Richardi Angliæ Regis, nepoti ex sorore quoquomodo consultum volentis. Forte

anti-

an etiam aliquid inaudierat Otto de importunis præposterisq; defuncti Cæsaris conatibus, summâ ope adnisi, contra leges patrias moremq; receptum, Imperij fasces hereditarios reddere suæq; familiæ mancipare. Quod si obtinuisset, vel si ex ejus familiâ Regno potiretur alius, omnino futurum metuebat, ne suis cum fratribus novis involueretur difficultatibus, deq; hereditate paternâ plus nimio accisâ, diminutâq; amplius periclitaretur. Norat enim, quàm implacabile, inveteratum, planeq; hereditarium in domum Guelficam, fuisset odium eorum Cæsarum, qui ex familiâ Hohenstaufiâ proximis annis cum imperio fuissent. Quomodo Conradus tertius Henricum Superbum Bojariæ & Saxoniæ Ducem, acerbè oppugnatum tandem & ditionibus & vitâ expulisset: filium ejus Henricum Leonem hereditatem paternam jure reposcentem, inani spe diu lactatum ludificatumq;, omnis solatij inopem reliquisset. Quomodo eundem successor Fridericus Barbarossa ferali æmulorum invidiâ tetrisque calumnijs oppressum, sanguinis cognatione multisq; meritis publicis & privatis posthabitis, dignitate Ducali cum maximâ parte avitarum ditionum in utraque Saxoniâ & Bojariâ despoliasset & ad majorem ignominiam gemino mulctasset exsilio. In quo pertinaci odio perseverans filius & successor Henricus Sextus, Leonem jam senem, laboribus & ærumnis exhaustum, ejusque primogenitum Henricum, Rheni Palatinum, non minus adflixisset: illum restitutione in integrum toties simulatè promissâ extremè fraudans, hujus matrimonium legitimè contractum, iniquis regiâque personâ indignis modis insectans & tantum non irritum reddens. Hæc ab annis benè multis in istum usq; diem adversus proximum sanguinem, puta avum, parentem & fratrem, pertinacis odij profanæque malevolentiæ edita continuataque exempla, non poterant non Ottonis animum percellere solicitumque reddere, hortari etiam, suæ suorumque securitati consuleret: quod fieri commodissimè feliciterque posset, si oblatos Imperij fasces sine cunctatione acceptaret. Absque dubio etiam stimulos adjecit perquam insolens regis Galliæ, ut Arnoldus Lubecensis loco suprà memorato loquitur, *subsannatio & insultatio*, Ottoni hospiti suo accipiendæ coronæ causâ Aquisgranum tendenti, satis superbè confidenterque inani augurio rei cœptæ feli-

cem eventum denegantis. Quomodocunque ista se habuerint omnia, Otto coronam Imperij, ut diximus, in loco, quo debuit, indeptus est. Electores principes, ut ostenderent, quâ fide & integritate in negocio totius orbis Christiani salutem concernente, versati essent: quomodo nihil contra leges patrias moremque receptum egissent, ad Pontificem Romanum Innocentium (cujus antecessores ab Henrici IV. Imperatoris funestis turbulentisque temporibus, præposterâ & exitiali ut eventus docuit πολυπραγμοσύνῃ negociis politicis ad ipsorum officium, solius ecclesiastici regiminis vitæque privatæ cancellis circumscriptum, minimè pertinentibus, violenter sese immiscuerant) litteris rei gestæ seriem novique Regis commendationem continentes, Romam miserunt. Conservavit eas Baronius Cardinalis, ex quo integras subjiciemus. *Sanctissimo patri ac domino Innocentio, sacrosanctæ Romanæ sedis summo Pontifici, Principes & Barones Alemanniæ, clerici & laici debitam in Christo reverentiam & sinceritatem obsequij. Cùm placuisset ei, qui aufert Spiritum principum, & magnus & terribilis est super Reges terræ, dominum Henricum Imperatorem de medio auferre, necessarium nobis fuit visum, de substituendo Rege tractatum & colloquium habere. Convenimus ergo sæpius & miserias & oppressiones, quas hactenus sustinueramus, recensentes, per universos Regni * * * * animos nostros ereximus & quid honori Ecclesiæ Dei & paci ac quieti subjectorum expediret, deliberantes, nunc unum, nunc alium, quasi finaliter eligere putabamus. Verùm quia non est prudentia, non est potentia, non est consilium, nisi per Deum, placuit ei, qui Abrahæ filium immolare volenti victimam providit, & David fratribus juniorem de post fœtantes accepit, atque Matthiam ex discipulorum numero ad sortem Apostolatus elegit, serenissimum Dominum Othonem, quondam Henrici Ducis Saxoniæ filium, ad regimen Romani Imperij de terrâ peregrinationis suæ ex inopinato offerre nobis. Invocatâ itaq; Sancti Spiritus gratiâ, prædictum Dominum Othonem, Christianæ fidei cultorem devotissimum, atque sanctæ Romanæ ecclesiæ Advocatum & defensorem fidelissimum, & Iudiciariæ potestatis observatorem justissimum, de longâ & antiquâ Regum prosapiâ ex utrâque lineâ specialiter editum, ad Romani regni fastigium justè & rationabiliter elegimus, & sicuti debuimus, ipsius electioni consensimus, ipsumq; in Augustorum sede à Carolo Magno apud Aquisgranum huic dignitati deputatâ, locavimus, & coro-*

na &

nâ & diademate per manum Adolfi Coloniensis archiepiscopi, eâ, quâ debuit, solemnitate, feliciter coronavimus. Nos autem Principes, qui jam dictum Dominum in Regem elegimus, feuda nostra, quæ ab Imperio tenemus, à manu ipsius recipientes, hominium sibi fecimus & fidelitatem juravimus. Tantæ igitur dignitatis munus excellentissimus Princeps, divinæ potiùs gratiæ, quàm suis meritis adscribens, primitias hujus honoris offerens Domino, propriâ voluntate iuramento firmavit, inprimis sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, deinde omnia ecclesiarum iura bona fide servare & manu tenere & subiectos Imperij exheredatos maximè & à suis possessionibus violenter eiectos, in suâ iustitiâ pro posse iuvare & conservare. Pravam illam consuetudinem insuper, quam Imperatores antecessores sui in occupandis rebus mobilibus vel se moventibus decedentium Episcoporum, vel Abbatum Principum, huc usq; servaverunt, penitus exstirpans, nos ecclesiasticos Principes ex hac indebitâ vexatione regali benevolentiâ liberos dimisit & decedentium bona suis successoribus servanda liberaliter statuit. Paternitati ergo vestræ dignum supplicare duximus, quatenus fidem & devotionem Domini nostri Regis attendentes, merita quoq; illustrissimi patris sui Henrici Ducis Saxoniæ, qui ab obsequio sanctæ Romanæ ecclesiæ nunquam recessit, memoriter tenentes, paci & quieti nostræ & vestræ, intuitu Dei & nostri obsequij, providentes, ipsius electionem & consecrationem auctoritate vestrâ confirmare & Imperiali coronatione armare paternâ pietate dignemini. Sanctitatem insuper vestram obnixè rogamus, quatenus Principes & Barones, à tam rationabili electione discordes, ecclesiasticâ censurâ ad concordiam revocetis, & ab illicitâ fidelitate partis adversæ clave S. Petri resolutos, ad præstandum Regi Domino nostro fidelitatem & subiectionem auctoritate vestrâ compellatis. Vt autem à Domino Rege nostro iura Romanæ ecclesiæ, (ut prædictum est) integra & illibata serventur, nos in bonâ fide spondemus & pro Domino rege nostro fideiubemus.

† *Ego Adolfus Coloniens. archiep. elegi & subscr.*
† *Ego Bernardus Paderborn. Episcopus elegi & subscr.*
† *Ego Thietmarus Mindens. Eps elegi & subscr.*
† *Ego VVitechindus Corbeius abbas elegi & subscr.*
† *Ego Conradus Tudensis abbas elegi & subscr.*
† *Ego Erbertus VVerdensis abbas elegi & subscr.*
† *Ego Henricus Dux Lotharingiæ qui & Brabantiæ, marchio Romani Imperij elegi & subscripsi.*

† *Ego Henricus Comes de Kuke elegi & subscripsi.*

Hactenus primi Ottonis electores plenâ manu eum laudantes: cum quibus postmodum se conjunxerunt Cameracensis, Argentinensis & Vltrajectinus Episcopi. Ex principibus Politicis Henricus Dux Limburgius, ejusque filius VValramus, comes Hannoniæ, Balduinus comes Flandriæ. Denique suo accessit suffragio Godefridi Ducis Brabantiæ, hoc tempore religionis ergo in Palæstinam profecti, domi relicta conjunx Isabella, heroici animi mulier. Cusus est isto tempore Coloniæ numus argenteus hujus formæ:

Inscriptio.	In alio latere.
OTTO REX.	COLONIA.
In medio crux quadrata.	ADOLFVS
	E P S.

Innocentius Pontifex acceptis Principum litteris, quas dixi, Ottonem regem rite creatum pronunciat, subque finem anni 1202. præcipitante Iunio Guidonem, Episcopum Prænestinum Coloniam amandat, ut Ottone Rege declarato, Philippum cum fautoribus suis communione piorum abigeret, omnibusque ut se ab eo tanquam pseudo-imperatore, vitio facto, sejungerent: Ottoni verò tanquam regi legitimo aggregarent, severè imperaret. Fuit hoc veluti classicum belli civilis in Germaniâ, quod utrinque magnâ animorum contentione varioque eventu & fortunâ gestum, non nisi morte Philippi finiri potuit. Quales hi cognati principes ad funestum certamen accesserint, indicat strictim Arnoldus Lubecensis lib. 6. cap. 2. *Otto potens erat viribus, audax animo, rugiens ut catulus leonis suscitatus ad prædam, ad bella paratus, aut vincere aut vinci affectabat. Philippus verò, cui plus roboris erat, astutiâ magis, quàm congressionibus vincere studebat,* &c. Credi verò vix potest, quàm varios, inconstantes & lubricos animos in nonnullis suæ partis principibus Otto deprehenderit, non veritis contra datam fidem, contra juramenta religiosè præstita, spe alicujus vel novi honoris, vel opum affulgente, desultoriâ levitate, parti, cui adhæserant, immutari, & ad aliam non sine turpi infamiæ notâ transire. Non dicam de Ottocaro Rege Boemo, non de Hermanno Thuringiæ Lantgravio, non de Episcopis, Comitibus & Nobilibus, sive Baronibus

Lotha-

Lotharingiæ, quos Godefridus monachus Coloniensis his depingit verbis: *Plures ex eis in exiguo ponentes mendacium aut periurium, contra conscientiam venire non timebant, ore quidem sacramenta præstantes & fidem iurantes Regi Ottoni, cùm cor eorum longè ab eo remotum cum Philippo magis rectum videretur, quàm secum.* Vnicum insignitæ improbitatis & profligatæ perfidiæ exemplum producam in Adolfo Coloniensi præsule, nuper Ottonianæ electionis auspice & directore. Is iuramenti fidelitatis, quo se novo Regi, ut ad Pontificem ipse perscribit, obstrinxerat, oblitus: parvi etiam faciens, quòd amplissimos Angariæ & VVestvaliæ Ducatus, non absque alterius injuriâ acquisitos, diœcesi suæ confirmari impetrasset, solius Comitis Iuliacensis VVilhelmi hominis summæ audaciæ pellaciâ inductus, deserto Ottone ad Philippum transiit. Sed hoc transfugium malo aliorum, quàm meis verbis exponere. Sic igitur Arnoldus Lubecensis lib. 7. cap. 1. *Cùm Otto Rex Coloniam potenter obtinuisset, & amplior ei prosperitas arridere videretur, repentè inopinata adversitas contra eum exorta est. Siquidem Comes de Gulike contra eum insidias moliri cœpit, ita ut Philippo Regi litteras & nuncios occultè dirigeret, hoc demandans, si ipsum divitijs & honoribus ampliare vellet, quòd non solùm omnes faventes Ottonis Regis, sed & ipsum archiepiscopum Coloniensem in suam partem adducere vellet. Qui gavisus est, hoc remandans, ut super hoc negocio ad locum determinatum sibi occurrere vellet, quod & factum est. Philippus igitur eum sibi sub iuramento arctius adstringens, curiam quandam DC. marcas persolventem, ei in beneficio concessit, & ditatum auro & argento, vestibus preciosis & equis, ad sua remisit, omnesq́; ei obsequentes bene induit. VVilhelmus igitur Comes ipsum archiepiscopum & omnes Nobiliores ita præstigijs suis circumvenit, ut omnes Ottoni renunciaverint, & in partem Philippi se inclinaverint. Quid plura? pravalente conspiratione, Philippus Aquisgranum potenter adducitur, ab Adolfo archiepiscopo Rex consecratur & in sedem Imperialem collocatur. Displicuit tamen verbum istud Coloniensibus, qui fidem Ottoni servabant, arguentes super hoc archiepiscopum, quòd eis inconsultis tantam novitatem præsumsisset.* Hactenus Arnoldus Lubecensis, à quo modicè variat Godfridus Monachus his verbis: *Post hæc Philippus Coloniensem archiepiscopum per Trevirensem, Spirensem & Constantiensem Episcopos, apud Andernacum sibi conciliat, & ut Ducem Brabantiæ &*

reliquos Lotharingia nobiles fideles sibi efficiat, novem millia marcarum ei donat. Salvelt etiam, & alia quadam ab episcopio ablata ei redonat, plurima promittens, rogat. Coloniensis verò Episcopus sacramentum, quod dudum Ottoni fecerat, parvipendens, & periurium & excommunicationem Apostolici non metuens, post festum S. Martini ad eundem Philippum cum Duce Brabantia Confluentiam venit, & ei iuramentum fidelitatis cum Duce ibidem fecit. Ibi etiam Rex Philippus celebrem curiam omnibus, qui aderant Principibus, in Epiphaniâ Domini, Aquisgrani indicit & Coloniensis eum ibidem in Regem consecrari & ungi promittit. quod & factum est. Rex ergo, ut proposuerat, cum pluribus Regni principibus Aquisgrani venit: ubi cum maximo apparatu Coloniensis ei occurrit. Ibi Rex consilio cum suis habito, ut principes suam liberam electionem secundum antiquitatis institutum non perdant, regium nomen & coronam deponit, & ut concorditer ab omnibus eligatur, precatur. Quod & factum est, & à Coloniensi archiepiscopo cum Mariâ (rectiùs Irene) *uxore suâ ungitur & consecratur: Sifrido Moguntino & Cameracensi Episcopo eisdem diebus cum litteris propè Coloniae existentibus, & pro hac injustâ consecratione excommunicationem ei intendentibus.* Hæc Godefridus monachus. Nequaquam verò Proteus iste, cothurno versatilior, infidelitatis & perjurij pœnas effugit, jussu Pontificis honore & dignitate suâ exutus, Brunone Bonnensis ædis Præposito in locum ejus suffecto. Exstat apud Arnoldum Lubecensem lib. 7. c. 3. bulla Innocentij Papæ, quâ Adolfus exepiscopus *pertinacis inobœdientiæ, periurij iterati & proditionis vulgatæ* reus actus & pronunciatus, absentus reddi jubetur. Quæ interim fuerit fortuna Ottonis, ostendit Godefridus monachus verbis sequentibus: *Constabat, quia Otto Rex omni penè terreno & humano solatio destitutus, quantum ad respectum adversæ partis, Regnum aut Imperium nunquam obtinere posset, nisi adiutorio solius Dei, qui dominatur in regno hominis & cui vult dat illud.* Philippus verò, qui profusis largitionibus sibi-ipsi nervos inciderat, *cùm non haberet pecunias, quibus salaria, sive solda, preberet militibus, primus cœpit distrahere prædia, quæ pater suus latè acquisierat in Alemannia: ita ut cuilibet Baroni, sive ministeriali, villas seu prædia rusticana, vel ecclesias sibi contiguas obligaret. Sicq; factum est, ut nihil remaneret, præter inane nomen domini terræ, & civitates seu villas, in quibus fora habentur & pauca castella terræ,* Conradi Urspergensis verbis hæc referimus,

mus. Sub idem tempus Ottoni novum, cæterisque omnibus perniciosius malum emersurum videbatur, tepescente erga ipsum favore Pontificis, cujus solius ope & auxilio hactenus fulciebatur. Memoriam rei conservavit Otto de S. Blasio cap. 48. *Innocentius, inquit, Papa Philippo iam antea offensus, eò quòd in Tusciâ existens, quoddam patrimonium S. Petri invaserat, ipsum in Regem eligere non consensit, sed Ottoni favens, ipsum in defensorem Romanæ ecclesiæ collaudavit. Veruntamen procedente tempore, videns vires Ottonis ablatas & favore principum admodum concidisse, Philippum verò, subiectis Ottonis fautoribus, prævaluisse ipsi, duos Cardinales ex latere suo, Hugonem videlicet Ostiensem & Velletrensem Episcopum, & Leonem tituli S. Crucis in Ierusalem presbyterum Cardinalem ad eum direxit, ut auctoritate Apostolicâ, ad litem terminandam, datâ ab utrisq; pace, ad diem & locum condictum Reges convenirent, ibiq; mediantibus Cardinalibus aliisq; principibus, qualicunq; conditione pax inter eos reformaretur. Itaq; die condictâ in inferioribus Rheni partibus, non procul à Colonia, convenientes, post multa passim tractata, Ottoni à Philippo per Cardinales offertur, ut acceptâ in uxorem filiâ eius cum Ducatu Alemanniæ, aliorumque prædiorum suorum redditibus, Regio nomine deposito, ipsi de cetero ut regi pareret, Philippo exhinc sine controversia regnante. Ad hec Otto, quamvis iam desperatus, indignè ferens aliqua sibi pro Regno offerri, se Regnum non nisi cum morte depositurum protestatus, Philippo ut sibi cederet, multo maiora obtulit. Talìq; ambitione non convenientes, infecto negocio ab utroq; discessum est, Cardinalibus ad regem Philippum se conferentibus, eiq; favorem domini Apostolici deferentibus.* Hactenus ille. Quomodo verò à Philippo argenteis telis confixi sint hi legati, contrà ab Ottone confusi, explicat Arnoldus Lubecensis lib. 7. cap. 5. Reductum esse in gratiam Pontificis Philippum, testatur etiam Vrspergensis, sed ut alium reconciliationis modum adferat, conditionibus ejusmodi, quæ impletæ utrique parti, perquam fuissent ignominiosæ, manifestatâ Innocentij nimio-plus familiæ suæ amplificandæ, locupletandæque studentis insatiabili πλεονεξίᾳ: Cæsaris verò ambitione, filiæ tam illustri sanguine editæ, honorem & existimationem, regno adhuc admodum incerto & dubio posthabentis. Sed iterum uti hìc libet Vrspergensis abbatis verbis: *Iam principes, inquit, diuturnis bellis fatigati decreverunt ad concordiam rebelles inter se Reges revocare.*

vocare. Sanè quia iam maximum impedimentum huius rei fuit dominus Papa, cùm pars Ottoni valde fuisset infirmata. Decretum est igitur, quatenus nuncii mitterentur Romam, qui Philippum in gratiam summi Pontificis reducerent. Missi sunt igitur viri Nobiles & auctorabiles, VVolfgerus Patriarcha Aquilegiensis & Gebhardus Burggravius Magdeburgensis, cum quibusdam ministerialibus Philippi Regis. Qui assumptis de Cremonâ quibusdam viris peritis, perveniunt ad curiam Romanam, à quibus inducitur Papa, ut velit permittere, quatenus regnet Philippus. At propter hoc (ut retulerunt nobis viri veridici) promittitur Papæ, quod filia Regis daretur in uxorem filio fratris sui Richardi, qui iam Comes fuerat effectus Papæ suffragio: nec statuit Papa repetere terras, quas multotiens ab Imperatoribus repetere consueverunt antecessores sui in Tusciâ & Spoleto & Marchia Anconitana, sperans, quòd in potestatem sui nepotis propter prædictas nuptias possent devenire. Hactenus Vrspergensis, cui Cuspinianus suffragatur inquiens: *Cum cæteri principes diuturnis fatigati dissidiis ac bellis assiduis attriti iam languerent, nec Philippo multùm adversarentur, solus restabat Pontifex placandus. Quem mirâ etiam arte devicit Cæsar, ut tandem odium grave deponeret: desponsare enim promisit Philippus per Oratores suos filiam suam filio fratris ipsius Richardi, Comitis Tusciæ & marchiæ Anconitanæ. E quibus quidem nuptiis Innocentius religiosus Pontifex lucra rem metiens sperabat Tusciam, Spoletum & Marchiam Anconitanam in potestatem nepotis sui venturas.* Hucusque Cuspinianus in historiâ Philippi Suevi. Latissimè hîc se diffundit Huldricus Mutius, remque gestam multis circumstantijs explicat, cujus expositionem non possumus non integram addere. Is igitur inquit: *Philippus postquam in Germaniâ res stabilivit suas, quantum potuit fieri firmissimè, convocatis Principibus exponit suam voluntatem faciendæ pacis ecclesiæ propter vitanda scandala: multorum enim simplicium & bonorum mentes offendi sciebat & in conscientia cruciari, quod excommunicati erant omnes adhærentes Imperatori Philippo. Idcirco decernunt in eo conventu principes, ut legati ad Romanum Pontificem mittantur de pace faciendâ, & ut explicent, quantum malorum ortum sit & exoriri adhuc possit ex illâ discordiâ. Missa est autem honestissima legatio ex doctis & principibus viris. Hi ubi venerunt Romam, exposuerunt multis mandata, docentq; quantus religionis contemptus vulgo fieri soleat, ubi vident Principes contemnere ea, quæ religionis sunt. Philippum*

lippum autem esse iam in eo loco, ut nullam adversariis reliquerit spem: amari ab omnibus: boni Principis dotes cumulatim in eo esse. Et non esse Principem, qui religionem maioris faciat, iam partium contentionibus coactum dissentire invitum à Romano Pontifice, quanquam non dissentiat, sed eum torquere, quòd ex Rom. Pontifice cum hoste suo sentiat. Hac & alia multa ubi legati Germani exposuerunt nomine communis pacis, Papa negocium suum privatum adfert, petens si velit Philippus absolvi & electionem suam probari per Apostolicam auctoritatem, ut filiam suam nepoti Pontificis matrimonio copulet: sperarunt enim Pontificij ex hoc coniugio magnam partem Italiæ ad se redituram. Hoc cùm serio Romanus peteret Pontifex, polliceretur operam suam & studium erga Philippum Imperatorem si hoc faceret. Item addebat Pontifex, facilè effecturum, ut Otto nihil posthac amplius tentaret. Sed legati non parum offensi, quòd Pontifex tam apertè privata publicis, carnalia spiritualibus anteponeret, responderunt, sibi non licere in hac re quicquam agere, nec in mandatis suis habere: suadere autem, ut Pontifex propter matrimonium hoc legatos ad Imperatorem mittat, se autem pro virili curaturos, ut nuptiæ illæ fiant. Nunc autem propter Ecclesiæ & Reipublicæ publicam pacem, & propter evitanda scandala Romam missos, de his rebus agendum esse. Pontifex eandem canit cantilenam, si filiam dederit, nihil non facturum eorum quæ petebant, imò longè plura promittebat, quàm optare ausus fuisset Philippus. Quare Pontifex cum legatis Cæsaris suos etiam mittit legatos, illisq; plenam potestatem dat, omnia, quæ petit Philippus, concedendi, modò filia excommunicati principis nubat nepoti Pontificis. Mittit autem legationem, quâ dignior nulla mitti potuisset. Erant legati Leo titulo S. Crucis in Hierusalem Cardinalis Episcopus Hostiensis & Episcopus Velturiensis. Qui ubi venerunt in Germaniam Augustæ Vindelicorum legati honorificè suscepti sunt à Philippo: sed Philippus ex suis legatis quos Romam miserat cognovit, quam ob caussam potissimum adessent, quid sperarent: quare statuit rem paullulum producere, & ita Pontificios alloqui comiter, ut in spem certam vocaret illos, filiam nepoti Pontificis desponsaturum, etsi nihil de illâ re adhuc tractatum erat. Legati tamen facilè conjicere poterant, omnia per legatos suos Imperatori exposita: neq; enim legati quid actum esset Romæ dicere potuerunt, nisi illud de petitione Papæ dicerent: ex Augusta igitur Philippus Spiram secum ducit Pontificis legatos. Spiræ edito edicto publico, convocat omnes Principes ad Comitia in Northusen, ubi Natalem Domini cele-

brat præsentibus legatis Pontificis. Admirabantur omnes, Romanos Cardinalem & Episcopum interesse sacris excommunicati Philippi. Sed Philippus propterea ita spe lactabat & suspenderat legatos, ut sic viderent infirmiores (qui non sine conscientia commercium habebant cum Imperatore excommunicato, maxime in sacris) nec auctores excommunicationum semper curare illa fulgura magnopere. In Comitiis igitur illis, ubi legati exposuerunt Papæ voluntatem de conjugio filiæ Imperatoris & nepotis sui, simulq; intelligerent Principes ex ore Legatorum, quare id peteret Pontifex: nam dicebant nomine dotis ea fore satis, quæ in Italiâ posset Imperatoris nomine concedere, quæ alioqui non essent in manibus Philippi. Principes pleriq; cum Imperatore ridebant & admirabantur, quâ fronte auderent tam apertè sua quærere. Quare nihil responderunt quod attinebat ad matrimonium illud, sed dicebant, primùm oportere mortalium rebus communibus consulere, postquam illæ bene haberent & pacata essent, tum ad parva illa privata descendendum. Legati Pontificij ubi negare non audebant hæc sic habere, rubore suffusi, de pace inter Ottonem & Philippum cæperunt tractare, etsi proposuerant priùs suam rem agere copulando illos, quos dixi, nempe nepotem Papæ & Philippi filiam. Principes igitur de componendâ pace inter Ottonem & Philippum multa excogitarunt &c. Benè sit æternùm manibus tuis, Muti cordatissime, qui nec mussare, nec mutus hîc esse voluisti, sed animo intrepido, voce liberâ, calamo veraci & ingenuo, posteritati exposuisti omnia. *Quærendus* nunc, Pachymeri, *quærendus*, inquam, tecum *alius terrarum orbis, è quo sanctos Pontifices petamus.* Carolus Sigonius callidè hæc omnia præterit, ratus sedi Romanæ, cui totum se mancipasset, istiusmodi narrationes, utut veras, parum futuras honorificas, ideoque dissimulandas. Dum autem versutus ac versipellis Pontifex, & Philippus Cæsar, cum vulpe vulpinans, promissionibus amplis spebusque prolixis ita ludunt, sibique mutuò illudunt, Deus optimus maximus, cujus proprium est, *Sapientes capere in ipsorum calliditate, & consilium versutum reddere temerarium*, Iobi 5. pro Ottone, jam ab omnibus despreto & desperato, efficaciter propugnabat. Etenim Philippus, *sive Brunsuigam obsessurus*, ut Otto de S. Blasio, cap. 50. *sive Daniæ Regem VValdemarum*, ut Arnoldus Lubecensis lib. 7. cap. 14. *aliosve per Saxoniam optimates, cum Ottone facientes*, ut Vrspergensis, *debellaturus*, atque hujus rei gratia numerosum conscribens exerci-

tum,

dum, eumque omnis generis machinis bellicis instruens, Bambergæ, ubi usque dum copiæ confluerent, valetudini operam dabat, regnum pariter & vitam amisit, cæsus non in acie, sed cubiculo, non stans, sed cubans. Auctorem occasionemque tam immanis parricidij libet indicare ex Arnoldo Lubecensi, qui hîc ceteris accuratior. Is igitur lib. 7. cap. 14. *Cùm Philippus quietus consisteret in Bavenberg, exspectans coadunationem expeditorum, repente miserabilis & inopinata commotio inter ipsum & Palatinum Othonem de VVidelingsbach exorta est. Quam minimè silentio prætereundam putamus. Sanè Philippus Rex filiam suam Othoni, utpote nobili viro, desponsare decreverat. Sed quia idem Otho nimis erat crudelis & inhumanus, mutatâ voluntate propositum desponsationis mutaverat. Quod intelligens Otho Palatinus pro filiâ Henrici Ducis Poloniæ laborabat, dixitq; Philippo Regi: Domine, meminisse volumus clementiam vestram, quàm devotus vobis semper fuerim, & quanta in servitio vestro in præsenti guerrâ expenderim, & quanto apparatu nunc contra adversarios vestros vobiscum procedere decreverim. Ideo peto, ut nunc in modico pro me sitis & literas commendatitias Dominò Duci Poloniæ dirigatis, ut cœptum bene inchoatum, pactum videlicet desponsationis, vestrâ mediante maiestate, melius consummetur. Cui Rex: id quàm devotus faciam. Et ille gavisus, obtulit litteras de instanti negocio ordinatas. Illo abeunte mutatæ sunt litteræ in contrarium & signata bullâ regiâ. Cumq; Palatinus litteras accepisset, perspexit in schedulâ maculam quandam exteriorem, sicq; concepit suspicionem, veniensq; ad suum quendam familiarem, aperi, inquit, mihi litteras, ut earum sciam tenorem. Qui perspectis litteris expavit, dicens: Rogo, ut Dei intuitu, litteras me vobis exponere non arctetis: quia nihil aliud nisi mortem mihi imminere video, si eas exposuero. Sicq; acceptis litteris Palatinus alteri nimis importunè insistebat & ita tenorem ipsarum cognoscebat. Vnde graviter efferatus, nihil nisi mortem Regis animo versabat. Dissimulatâ tamen irâ ad Philippum quasi iucundans & congratulans intrabat. Vnâ igitur dierum, Philippo secretiùs in cubiculo consistente, quia medianam in utroq; brachio inciderat, Palatinus nudo gladio in atrio regali quasi ludens incedebat. Sicq; accedens ad cubiculum Regis, ostium clanculò pulsabat, & ingressus simili modo coram Rege se gerebat. Cui Rex: Depone, ait, gladium: quia non est hic locus modo. Et ille, immo est locus, ut tu perfidiam tuam luas. Et statim uno ictu cervicem eius tetigit, nec*

 secun-

secundum vulnus apposuit. Cumque qui aderant, eum impetere vellent, ille aperto ostio violenter exsiliens, fugam dedit. Philippus tamen non sine ratione litteras mutaverat: quia puella, quam Otho desponsare cupiebat, consanguinitate Philippum ex matre contingebat. Ideoq; Regi displicebat, ut vir tam crudelis & impius & imprudens tam nobili virgini jungeretur. Idem quoq; Palatinus crudelitate nimiâ quendam de melioribus terræ, VVolff nomine, occiderat: unde graviter Philippum offenderat. Ipsius tamen regnum cessavit tali factâ consummatione. Hactenus Arnoldus Lubecensis, quem Crancius, ut assolet, verbis nonnihil mutatis repræsentat Saxoniæ lib. 7. cap. 28. Chronica Augustensis à Cl. Frehero publicata aliam parricidij caussam verbis sequentibus inculcat: *Hic* (Philippus Rex) *cùm adhuc in regio solio sublimatus non fuisset, promiserat ducere matrimonialiter filiam Othonis Palatini Comitis de VVitilinspach, quam postmodum repudiavit. Unde idem Comes commotus accessit in Bamberg ad cameram ipsius Regis, tanquam ei solus pacificè locuturus, & gladio, quem occultè gestabat, ipsum Regem subito interfecit.* Hactenus Chronica, quam laudavimus. In hanc sententiam inclinat Casparus Bruschius, catalogo Episcoporum Babenbergensium, cap. 15. Epitomes de Germaniæ Episcopatibus. Huldricus Mutius lib. 19. scribit inventos, qui suspicati fuerint, parricidam homicidium commisisse, ut Ottonis gratiam aucuparetur, beneficiumque ab eo impetraret. Quod omnino falsum putamus. Si enim hoc nomine policeri sibi aliquid potuit, cur non rectà in Saxoniam profugit? si non speratum perpetrati sceleris præmium, saltim ejus impunitatem aut aliquam à pœnâ securitatem inventurus. Quomodo etiam in destinatam Philippi cædem conspirare potuerunt, Ecbertus Bambergensis Episcopus ejusque frater Henricus Histriæ Marchio, quos cum Ottone adversus Philippum convenisse, ejusque partes fovisse, nemo quisquam litteris prodidit. Verum in sinistram partem suspicio omnia interpretari solet. Sed non impunè abijt latro immanis, ut audiemus. Abbas Vrspergensis divinâ ultione Philippo insperatam indignamque cædem provenisse arbitratur, *ut sub gladio tyranni caderet, qui primus ecclesias impotestatem tyrannorum contradidit.* Sunt qui pœnam talionis arbitrentur, quòd Philippus *Episcopum VVirceburgensem Conradum, virum venerabilem, interfici vel jusserit, vel dissimulando permiserit,* Chronicon

nicon Belgicum magnum. Multæ verò & magnæ lucebant in Philippo virtutes, quas dissimulare hoc loco nefas fuerit. Sic igitur de eo Arnoldus Lubecensis lib. 7. cap. 14. *Cecidit vir nobilis & potens multis virtutibus. Erat enim vir mansuetus & humilis & admodum affabilis. Et quia litteratus erat, divina devotus valde frequentabat.* Monachus Nussiensis in magno Chronico Belgico in hunc modum de eo loquitur: *Philippus licet ætate iuvenis, potentiâ tamen clarus & pietate præcellens, militiâ optimus, largitate serenus & omnium virtutum insignibus præcipuus.* Vrspergensis tali eum exornat elogio: *Erat Philippus animo lenis, mente mitis, erga homines benignus, largus satis & discretus, debilis quidem, sed satis virilis, in quantum considere poterat de viribus suorum: facie venustâ & decorâ, capillo flavo, staturâ magis tenui, quàm grossâ, &c.* Egregias istas summoque Principi convenientes animi corporisque dotes, obscurabat cœca & temeraria regnandi libido, quæ adeo eum dementarat, ut ex Principibus non paucos, vel profusis largitionibus, vel amplis & superbis promissis ad perjuria committenda induceret: in Germaniâ aliquot urbes Regias, Northusium, Salfeldiam & Mulhusium ab Imperio abalienaret, in Italiâ idem sine dubio facturus, nisi mors intervenisset: filiam generosissimam, tam Romani quam Byzantini Imperij Cæsarum, aliorumque Regum & magnorum Principum sanguinem, homini novo nullarumque imaginum, Pontificum Romanorum clienti, contra Germanicæ gentis dignitatem moremque, maritare non abnegarit, vel saltim facturum se simularit: denique ærario exhausto, nervisque rerum gerendarum incisis, à rapinâ & sacrilegio vix se abstinuerit. En tibi perpulcros præcipitis ambitionis ærumnosæque φιλαρχίας fructus! Cædes Philippi patrata est 10. Kal. Iulij, anno 1208. Quâ percrebescente, Otto animum oppressum erigens spem regni firmiorem animo concepit: nullum enim jam amplius metuebat regni æmulum, quòd Fridericus rex Siciliæ impubis regnoque impar: Bertholdus vero Zaringiæ Dux, nuper ad Imperij gubernacula accitus, socordis abjectique esset animi, nihil minus, quàm fasces cogitans, quos concorditer oblatos auro illice delinitus turpiter admodum alteri resignasset. Et quia in armis adhuc erat Otto, de multiplicibus injurijs, durante civili tumultu acceptis vindicandis, nonnullisque ex Principibus

(in quibus teste Ioanne Dubravio, Histor. Boëm lib. 15. Ottocarus rex Boëmiæ præcipuus erat) castigandis cogitabat, verùm Magdeburgensis archiepiscopus Albertus, origine comes Hallermundius, & Bernhardus Saxoniæ Dux, intercedentes, prudentiæ & fidelitatis plena consilia ei subministrarunt, nempe, *rem esse periculi plenam à severitate & vindictâ Imperium auspicari: qui id benignitate & mansuetudine temperavissent, his candida & læta fuisse omnia, etiam hostes æquiores, quam aliis cives: non magis ira quàm fama studendum: quærendum amorem apud populares, metum apud hostes. Iacere adhuc rempublicam seditionibus bellisq; tumultibus perturbatam, quæ mala nisi maturè circumspecteq; sublata è medio fuerint, suspicionum, simultatum offensionumq;, deniq; ex his bellorum civilium caussas nunquam defuturas. Exstirpari autem hæc omnia unâ istâ ratione posse, si omnes Imperij Principes data publicâ fide & securitate, ad deliberandum statuendumq; de Imperij salute ac pace publicâ conveniant. Si quis principum abfuerit, suo quemq; incommodo damnoq; abfuturum.* Gessit bene monentibus morem Cæsar atque e vestigio conventum indixit Halberstadij, ad quem convenerunt plærique primores ecclesiastici, Principes ac Dynastæ per utramque Saxoniam & Thuringiam. Ex peregrinis solus aderat Otto designatus VVirceburgensis antistes. *Hi omnes ac si divinitus inspirati, pari voto ac unanimi consensu, Ottonem in Romanum principem & semper Augustum crearunt, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, archiepiscopo, qui primam vocem habere videbatur, incoante, prosequente verò Bernhardo Duce cum Marchione Misnensi & Lantgravio Thuringiæ, & alijs, ad quos electio Regis pertinere videbatur,* verba sunt Arnoldi Lubecens. lib. 7. cap. 15. Proximè & secundùm hæc, auctoritate archiepiscopi Moguntini & Henrici Comitis Palatini, urgente negocium Conrado antistite Spirensi, qui idem regni Cancellarius regalia Imperij in manibus habebat, altera indicta sunt comitia Francofurti ad Mœnum. Convenere ibi ex Bojariâ, Sueviâ & Franconiâ Principes & Dynastæ, tanto numero, ut jactatum fuerit, *non in pluribus annis, tot nobiles, tot potentes insimul convenisse,* Godefridus monachus. Collector magni Chronici Belgici de hoc conventu sic disserit: *Apud Francfordiam curia celebris habita est quinquaginta Principum, à quibus omnibus, Philippo Rege occiso, Rex Otto, huius nominis quartus, votivâ concordiâ & unanimi inspira-* *tione*

tione in Regem est declaratus, & in Regno feliciter sublimatus, sicq; divinâ sibi favente clementiâ totius Regni monarchiam solus obtinuit. Ibidem repræsentata sunt ei Imperialia cum plenitudine potestatis & honoris & benevolentiâ favoris, Arnoldus Lubecensis lib. 7. cap. 16. Actum est Francofurti de pace & tranquillitate in Imperio restituendâ stabiliendâque: de injustis vectigalibus, tempore belli civilis introductis abolendis: denique de institutis, legibus & consuetudinibus, à temporibus Caroli M. in præsens usque usurpatis, sed bellorum tumultibus non parum labefactatis, auctoritate publicâ revocandis roborandisque. Imperator conceptis verbis prior in ista capita juravit, quem secuti sunt reliqui Regni ordines, nemine quoquam dissentiente, nedum contradicente. Sub finem comitiorum, sive sponte suâ, sive aliorum instinctu, Francofurtum appulit Beatrix Cæsaris Philippi, immaniter trucidati filia, quæ in conspectum Augusti Ordinumque admissa, perquam lamentabili voce & ejulatu de indignâ parentis sui innocentis cæde, conquesta, justam tam atrocis, tam nefarij facinoris vindictam suppliciter efflagitavit. Responsum est miseræ publico nomine clementer, reque in deliberationem deductâ, decretum est, infame parricidium more majorum puniendum, ipsum cædis auctorem VVitelsbachium, ejusque complices infandæ necis conscios, lege Bojaricâ hostes Imperij judicandos proscribendosque, atq; ubi ubi gentium deprehensi essent morte multandos. De Beatrice regiâ virgine omnibus animi corporisque dotibus admodum conspicuâ, opulentâ etiam valdè, quippe quæ trecentorum & quinquaginta castrorum heres esset, Ottoni Cæsari copulandâ, à quibusdam proceribus verba facta sunt, sed nihil conclusum. Vrspergensis autumat Ottonem huic matrimonio occasionem dedisse, sic enim loquitur: *Timens Otto, quod ministeriales spectantes ad Philippum, non facilè suo subderentur imperio, sed ad suos nativos dominos redirent, filiam Philippi, tanquam dominam omnium rerum, quæ ad generationem istam spectabant, accepit uxorem.* Alij aliter sentiunt Otto de S. Blasio cap. 51. his verbis utitur: *Fortunâ prosperis successibus arridente, ne Principes, qui cum Philippo fuerant, & hi qui Ottoni prius adherentes demum apostataverant, Regem, conscientiâ remordente, suspectum haberent, medium quoddam necessè fuit interponi: ne occasione, ut fieri solet, alicuius discordiæ*

cordiæ conflatâ, in pristinum rursus exitium Regnum involveretur. Ad hoc nullum magis idoneum inveniri potuit, quàm ut Otto Rex acciperet in matrimonium Philippi filiam, quæ connexione insolubili concordiam inter Regem & Principes stabiliret. Francofurto Cæsar discessit Noribergam, inde Augustam Vindelicorũ, ubi anno 1209. ineunte 8. Idus Ianuarij publico conventu de sententiâ Principum lege Bojaricâ Otto Palatinus Comes & Henricus Marchio Andechsius, ille propter perpetratum parricidium, hic quod conscius fuisset, proscripti, omnibus dignitatibus, beneficijs ac prædiorum suorum redditibus, sine spe recuperationis judicialiter privati, dignitatesque eorum in alios translatæ, beneficia alijs concessa, soli prædiorum reditus hæredibus relicti sunt, Otto de S. Blasio c. 51. Ibidem animadversum fuit in quinque pacis violatores, uno decollato quinque in furcam actis. Vrspergensis sui similis, hoc est, pravis indulgens affectibus, eadem de re sic loquitur: *Tunc Rex, peragratis partibus Rheni, advenit in Sueviam: cœpit autem facinorosis terrorem incutere & judicia super eos exercere, potius indignans super eos per superbiam, quàm amans justitiam.* Vide, quæso, & pervide, lector, hominis religiosi de alienis negocijs præceps & invidiosum judicium. Dicit ibidem Barones & milites suo tempore fuisse plærumq; prædones. Quis verò princeps gladio ultore divinitus obarmatus, ejusmodi grassatores, reipublicæ pestes & busta, in suâ ferat ditione? quis ad aliena scelera connivendo inevitabilis pœnæ se participem reddat? Imo qui hoc nolit, statim ne audiet simulator magis, quàm administer justitiæ? Ad Comitia Augustana venerunt *civitatum Italicarum legati, offerentes singularum insignia cum clavibus aureis & multis alijs donis, ac per hoc subjectionem profitentes*, Otto de S. Blasio cap. 50. In conventu Hagenoënsi tempore Quadragesimæ (ut Romana vocat ecclesia) celebrato, indicta est ordinibus Imperij expeditio Italica sumendæ coronæ caussâ. Nunciatum ibidem, consceleratum homicidam VVitelsbachium, sine certâ sede hactenus oberrantem, pertinaci industriâ Henrici Calatini mareschalli, in Bojariâ apud Oberndorfium, haut longè à Ratisbonâ in ripâ Danubij, deprehensum, multisque vulneribus inflictis obtruncatum, caput humeris avulsum in profluentem abjectum esse. Gratum erat principibus audire innocentissimi Cæsaris manibus isto modo parentatum. Venerunt eódem Legati Ponti-

Pontificij, suprà quoque nominati, Hugo & Leo Cardinales, à Philippo paullò ante obitum Romam amandati, afferentes consensum Pontificis super matrimonio Ottonis Cæsaris & Beatricis: quod etsi neque cum divinis legibus, neque Cæsarum sanctionibus pugnaret, in odiosa tantùm & ociosa Pontificum Romanorum decreta, augendæ potentiæ & lucri faciundo inservientia, incurreret, consummari tamen non potuit, nisi collatâ à Papâ indulgentiâ. Iidem legati Cæsarem, Pontificis nomine officiosè salutatum, ut quamprimum in Italiam transiret, hortati sunt. Qui respondit; à matrimonio se non alienum, quia verò res magni sit momenti, differendam ejus expeditionem ad Comitia universalia statim post Pentecosten indicenda, eò ipsi quoque venirent. Hagenoënsi conventu soluto, Cæsar in Saxoniam cogitans, in itinere deflexit Aldenburgum, tum temporis Imperiale ad amnem Pleissam opidum, *ubi convenere Misnenses & Cisnenses, Poloni quoque Boëmi & Ungari, ibiq. multis negociis determinatis, & pace iuratâ, quæ in omnibus curiis præcedentibus firmata erat*, Cæsar in patriam remigravit. Arnoldus Lubecensis lib. 7 cap. 18. Sacrum Pentecostes festum in majorum suorum hereditario augustali Danevverderodâ Brunsvigæ celebravit, *ad quod amicos tantum familiares adesse voluit, archiepiscopum, videlicet, Magdeburgensem, Halverstadensem electum, Hildensemensem episcopum, Merseburgensem episcopum, Havelbergensem episcopum, Corbeiensem abbatem, VVertinensem abbatem. Aderatq. totus festivus Dux Bernhardus, Lantgravius, Palatinus Comes Rheni, Misnensis marchio, Conradus marchio. VVilhelmus Dux Luneburgensis, qui erat frater regis Ottonis, Marchio de Brandenborg. Comitum vero non erat numerus, militum plurima multitudo, quibus omnibus honestissimè & abundantissimè de impensâ regiâ administratum est*, Arnoldus Lubecensis lib. 7. cap. 18. In hac solemnitate festivâ Albertus Magdeburgensis archiepiscopus molles aditus & tempora fandi commoda observans, Cæsare gaudio elato, occasionem rapuit, sibique suisque Suffraganeis, quos vocant, impetravit ab onere quodam inveterato liberationem. Diploma alibi ex MSC. codice, sed non integrâ, è me editum, totum hîc subjiciam. *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto quartus, divinâ favente clementiâ Romanorum Rex & semper Augustus. Iustum est & honestum, ut bene meritos suorum meritorum digna benefici-*

 orum

orum præmia congruo ordine subsequantur, unde est, quòd nos attendentes præclara devotionis obsequia, quæ dilectus princeps noster Albertus Magdeburgensis ecclesiæ archiepiscopus, ab exordio nostræ promotionis ferventer nobis exhibuit, & Domino etiam concedente imposterum nobis est exhibiturus, non immeritò ad omnia ea exequenda puri animi nostri movemur intentione, quæ vel honorem personæ suæ respiciunt, vel ad commodum, vel utilitatem ecclesiæ suæ principalis & demum suffraganearum ecclesiarum suarum conducunt. Cum igitur ex antiquâ & antiquatâ consuetudine omnium Episcoporum decedentium, qui de iurisdictione sunt Imperij, in quibuscunque redditibus relliquiæ Fisco cedere debeant Imperiali, ob sinceram dilectionem memorati archiepiscopi, eiusq; personæ reverentiam, successoribus, dummodo à præsenti togâ carnis exeunt, & omnium suffraganeorum suorum successoribus, in perpetuum concedimus, ut omnes proventus Episcopales, qui defunctis Episcopis Imperio cedere consueverunt, deinceps ad usus ipsorum colligantur & collecta reserventur; statuentes, ut si decedentes Episcopi aliquibus debitis fuerint innodati, ea exinde persolvantur: per hoc tamen speciale gratiæ nostræ donum Magdeburgensem ecclesiam, omnesq; eius suffraganeas ecclesias, cum omnibus earum familiis, occasione memorati Archiepiscopi volentes esse specialius honoratas. Porrò cum Romani Imperatores & Reges antecessores nostri in omnibus civitatibus & opidis ecclesiarum Imperij, durantibus curiis Imperialibus, in illis accipere consueverint theloneum & monetam, & in suos usus convertere: nos propter sinceram dilectionem, quam ad memoratum gerimus archiepiscopum, eandem consuetudinem, eiusq; debitum, prorsus abolere decrevimus, & tam Magdeburgensi civitati, quam universis opidis ad ipsam ecclesiam pertinentibus, illius onus obsequij liberaliter in perpetuum relaxamus. In terris quoq; ubi ex antiquo Magdeburgensis numismatis percussio currere consueverat, statuimus, nec theloneum, nec monetam, aut per nos, aut unquam per aliquem alium, nisi de voluntate & consensu ipsius archiepiscopi, vel successorum suorum, ponendam. Cæterum, ut tam memoratus archiepiscopus, quàm familiæ suæ dilecta nobis universitas, plenitudinem gratiæ nostræ per uberiores exhibitiones operum recognoscat, nos neque per nos, neque per homines nostros, faciemus, vel fieri mandabimus, in civitate Magdeburgensi, vel in opidis, vel in aliquibus bonis archiepiscopi & ecclesiæ, aliquam exactionem: nec sumemus hospitia, quæ vulgariter Herbergariæ nuncupantur, contra voluntatem Archiepiscopi, vel alicuius sui successoris,

ris, per hanc etiam specialem gratiam nostram ecclesiam Magdeburgensem volentes esse specialiter honoratam. Vt autem hoc liberalitatis nostræ donum sæpe fata Magdeburgensi ecclesiæ & suffraganeis eius omni ævo ratum & inconvulsum permaneat, præsentem exinde paginam conscribi jussimus & Maiestatis nostræ sigillo communiri, statuentes & regio edicto firmiter præcipientes, ut nulli de cetero personæ, alta vel humili, ecclesiasticæ sive seculari, hanc nostræ donationis divalem paginam licitum sit infringere, vel aliquo ei temeritatis ausu obviare, quod si quis facere præsumpserit, in vindictam transgressionis auri purissimi libras centum apponat, quarum medietas Cameræ nostræ, reliquum passis iniuriam persolvatur. Huius rei testes sunt Hartbertus Hildensemensis Episcopus, Tidericus Mersburgensis episcopus, Siboto Havelbergensis episcopus, Henricus Comes Palatinus Reni, Bernhardus Dux Saxoniæ, Hermannus Lantgravius Thuringiæ, Tidericus marchio Misnensis, Conradus marchio de Landesberg, Albertus marchio Brandenburgensis, Comes Fridericus de Brene, Gevehardus Burgravius Magdeburgensis, Comes Adolfus de Scovenborg, Comes Burchardus de Mansfelt, Comes Algerus de Hohinstein, Albertus & Gevehardus de Arnstein, Cone de Minczenberg, Basilius de Osterode, Gunczillinus Dapifer, Tidericus Rabel & alij quamplures.

Signum Dn. Ottonis quarti Romanorum Regis invictissimi.

Ego Conradus Spirensis episcopus, regalis aulæ Cancellarius, vice Dni Sifridi Maguntinensis archiepiscopi, totius Germaniæ Cancellarij, recognovi.

Acta sunt anno Dominicæ incarnationis 1209. Indictione 12. regnante Dn. Ottone 4. Romanorum Rege glorioso, anno regni eius duodecimo. Datum apud Brunsuic, per manus VValteri regalis aulæ protonotarij 14. Kalend. Iunij. Qualecunque hoc *Cæsarum Romanorum ius*, sive potius (ut Imperator Fridericus apud Arnoldum Lubecensem lib. 3. cap. 17. loquitur) *scintillam eius*, post ademta tributa vetera à Francis instituta, quæ fuere *foderum, parata & mansionaticum*: post alienatas, non sine aliquanto Reipublicæ dispendio, tot seculis usurpatas Episcoporum investituras, absolutæ perfectæque libertatis avidi Episcopi, Pontifice suam operam impertiente, Friderico Barbarossâ Imperante, evertere conati fuerant, sed magnanimitate

tate Cæsaris repressi, in commodius tempus negocium distulerunt. Videatur Arnoldus Lubecensis loco citato. Factam electoribus suis ab Ottone hujus privilegij spem, ostendunt litteræ suprà ex Baronio allatæ, verùm interveniente insperatâ Vbiorum archiepiscopi defectione, secutâque belli civilis tempestate, nihil fuit immutatum. Ferijs Pentecostes, de quibus diximus, pio ritu & non sine hilaritate peractis, Otto ad Comitia VVirceburgi indicta proficiscitur, quæ qualia fuerint, quidve actum ibi sit, indicabunt nobis ejus temporis scriptores. Otto de S. Blasio cap. 51. *Curia à principibus apud Herbipolim indicitur in octavâ Pentecostes. Principes igitur ex diversis regni partibus ad hanc curiam convenerunt; legatiq; civitatum Italiæ subiectionem offerentes interfuerunt, Ottonemq; Regem regali ambitione coronatâ civitate, cum maximo tripudio susceperunt, ibiq; in palatium regale congregati, extructo tribunali, Rex conscendit, Cardinales habens collaterales, reliquis principibus circumsedentibus. Itaq; Hugo Ostiensis episcopus Cardinalis primò exorsus, de caussâ regalis connubij, pro quâ convenerant, rationabiliter Latino idiomate allegavit, interpretem habens VVirziburgensem episcopum, Regiq; Ottoni, ut pro bono pacis & concordiæ ad abolendam præteritorum malorum memoriam, cum filiâ illustrissimi principis Philippi matrimonium contraheret, auctoritate Dei & beati Petri per Apostolicam obedientiam, in remissionem peccatorum suorum, præcepit. Rege igitur ad hoc devoto animo consentiente, abbas Morimundensis, Cistercienfis ordinis, surrexit, omniumq; abbatum, aliorumq; claustralium utriusq; ordinis, Cluniacensis videlicet & Cisterciensis, personam assumens, delictum hoc connubio contra consuetudinem Ecclesiæ quamvis dispensatoriè committendum, monastico ordini auctoritate apostolicâ imposuit: Regi per hoc iniungens pœnitentiam, ut monasteriorum, aliarumque ecclesiarum pro posse defensor existeret, viduis & pupillis iusto iudicio præesset, monasteriumq; Cisterciensis ordinis in fundo proprio ædificaret, ac posthac ecclesiæ Hierosolymitanæ in propriâ personâ subveniret. His omnibus Rege obediente, puella iam nubilis à Duce Leopoldo Orientali & Ludovico Duce Bavariæ adducta, tribunali sistitur, ac de consensu interrogata, verecundata admodum rubore perfusa, se libenti animo consentire profitetur. Mox à Duce Leopoldo cognato suo, per manus Cardinalium lege Francorum, Regi Ottoni desponsatur, à quo amantissimè amplexata, publici signo osculi, mutuationeq; annulorum subarratur, tractatisq; diversis re-*

sis regni negociis, à curiâ digrediuntur, Reginaq; Saxoniam perducta apud Brunsvvich aliquandiu mansura collocatur. Arnoldus Lubecensis lib. 7. cap. 18. *Finita autem festivitate* (Pentecostes) *abijt Rex Goslariam, & ordinatis ibi quibusdam negociis, processit VValkenrede, ubi invenit abbatem de Morimunde, cum aliis quinquaginta duobus abbatibus sui ordinis, qui eum omnes suæ fraternitatis socium & orationis fecerunt, & sic Regem secuti sunt ab ipso largiter procurati usq; Herbipolim, ubi cum maximâ solemnitate susceptus est Dominicâ Domine in tuâ misericordiâ, cum hymnis & laudibus Dei. Cantus autem hic erat: Advenisti desiderabilis. Aderant ibi legati Dn. Apostolici, Hugo Ostiensis Cardinalis & Episcopus. Leo Sabinensis Cardinalis & Episcopus; cum maximâ copiâ Prælatorum & Principum, Sacerdotum & clericorum, inter quos erat archiepiscopus Maguntinus Siffridus, Coloniensis Thidericus, Trevirensis Iohannes, Salceburgensis Everhardus, Argentinensis Henricus, Augustensis Siffridus, Constantiensis VVernerus, de Frisinge Episcopus* (Otto,) *Pataviensis Manegoldus, Ratisbonensis Henricus, Basileensis Ludolfus, Hildensemensis Hartbertus, Verdensis Iso, Halberstadensis Fridericus, Sibotho Havelbergensis: Abbas Cono Elevvangensis, Abbas Vuldensis, Hersueldensis. Corbeiensis, Prumiensis, VVirtzburgensis. Hos sequuntur nomina Regum sive principum: Odaaggerus rex Boëmiæ, Marchio de Mereren, Luppoldus Dux Austriæ, Dux Saxoniæ Bernhardus, Lodevvicus Dux Bavariæ, Dux Bertoldus de Zeringe, Dux de Lutringe, Marchio Misnensis, Conradus marchio de Landesberg, marchio Adelbertus de Brandenburg & alij quam-plures. Ordinatis igitur ibi multis negociis & firmatâ pace, sicut in omnibus curiis suprà dictis, Dominus Rex pro speciali negocio, assumptis tantùm Cardinalibus, Prælatis, Principibus, sacerdotibus litteratis & legis-peritis; de legitimandâ ei filiâ Philippi Regis sic omnibus generaliter exorsus est: Rogamus omnes vos in Domino. primò Cardinales, qui de auctoritate, sive consilio Dn. Apostolici adestis: summos etiam archiepiscopos, Episcopos, abbates & alios, quos ecclesiasticus ordo diversis gradibus distinguit: excellentiam quoq; Regum, Ducum, Principum, ut verba nostra attendatis. Deus cœli, post multas adversitates, cum beneplacito omnium, Regnum nobis donavit, ita ut non immeritò cum gratiarum actione ei dicere possimus, lapidem quem reprobarunt ædificantes, hic factus est nobis in caput anguli. A Domino factum est illud, & est mirabile in oculis nostris. Quod cùm luce clarius constet & optio nobis non desit, de illu-*

 strissimæ

strissimis fœminis, quas habet orbis Romanus, è quibus sponsam sive coniugem eligere possimus, tamen quia tàm celebris conventus pendet de articulo filiæ Philippi Ducis Sueviæ, quam nostram consanguineam nemo dubitat. vestro nos submittimus arbitrio, sive consilio, ut iuxta salutem animarum vestrarum sincerè deliberetis, omni scrupulo postposito favoris sive timoris, quid nobis super hoc sit faciendum. Si enim sex millibus annorum victuri essemus, magis omni tempore cælibem eligeremus ducere vitam, quàm cum animæ periculo sortiri uxorem. Nemo gloriam, generositatem, divitias, castra, huius virginis attendat: quæ omnia saluti animæ æquiparari non possunt. Hæc enim omnia nobiscum sunt. Si verò ipsa castra CCCL. distribuantur sororibus, quas hæc contingit hæreditas, parum est quod restat. Nunc igitur, ut dictum est, super hoc deliberetis, ut congruum nobis responsum reddatis. Omnibus igitur ad colloquium locum dantibus, Rex ait fratri Henrico Palatino; qui à dextris eius erat: Volumus, ut cedas, ne quem tua præsentia de ullâ suspicione terreat. Factâ igitur longâ deliberatione, tandem ad Dn. Regem reversi sunt. Posuerant autem verba in ore Lippoldi, Ducis Austriæ, viri facundissimi & litterati, qui sic coram Rege locutus est: Domine Rex, placet ut audiatis responsum Cardinalium, Prælatorum & Principum? Ad hæc Rex, audio. Et ille: Noverit sublimitas vestra, quòd iste tàm celebris conventus Cardinalium, auctoritatem Dn. Papæ præferentium, summorum Prælatorum & Principum & omnium litteratorum, omnino vobis decrevit expedire, pro bono pacis & statu Romani orbis, ut virginem, de quâ mentio habetur, uxorem ducatis: hoc addentes, ut omnis auferatur trepidatio, duas congregationes monachorum præclaras liberrimè constituatis. Nos quoque vobis non deerimus facultates & eleemosynas largè erogando: Sacerdotes etiam, sive alij inferioris ordinis in Missis & orationibus subveniendo. Ad hæc Rex: Nos consilium sanum & bonum tantæ auctoritatis non refragantes vestris acquiescimus dictis. Igitur vocetur puella. Quæ cum à Pontificibus, sive Principibus gloriosè adducta fuisset, Rex consurgens de throno suo, eam cum inclinatione recepit. Quâ reclinante, proferens annulum eam coram omnibus subarrhavit, & in osculo recepit & ipsam inter Cardinales, quorum cathedra è regione coram facie Regis erat, residere præcipiens, sic omnibus ait: Ecce reginam habetis, ipsam ut decet honorate. Ordinatis etiam legatis honestissimè eam cum sorore usque Brunsvich deduci præcepit: ipse verò in terrâ remansit, & peragratis illis partibus de consecratione Imperiali tractare cœpit. Hactenus

Arnoldus

Arnoldus Lubecensis, quem suo more Crancius exscribit Saxon. lib. 7. cap. 30. & 31. Vltima ante Italicam profectionem Comitia Otto habuit Augustæ Vindelicorum: acta ibi breviter exponit Arnoldus libro prædicto cap. 20. inquiens: *Post festum beati Ioannis Baptistæ* (Imperator) *curiam indixit celebrem in civitate Augustâ, ubi convenerunt omnes illius terræ principes, cum quibus habuit mysterium consilij sui, ut ipsis cooperantibus honorificè cum gloriâ & honore Theutonicorum Imperialem perciperet benedictionem. Ad quod negocium deputati sunt plurimi, tam Prælati, quàm Principes, seu omnes, qui regalia tenebant, archiepiscopus Trevirensis, Magdeburgensis, Herbipolensis, Argentinensis, Spirensis, qui & Cancellarius, VVormatiensis, Basileensis, Constantiensis, Pataviensis, Episcopus de Chuore, de Augustâ, de Eisteth, de Pragâ, de Olmotz. Abbates de Augia, de S. Gallo, de Kempte, de VVissenburg, de Selse, de Prume, de Epsterna. Quibus adiuncti sunt principes, Dux Bavariæ, Dux de Lotringia, Dux de Zeringe, Dux de Carinthia, Dux de Mereren, Marchiones & Comites plurimi. Cæteri qui remanserunt thesauris innumeris in ipsâ profectione Regi subservierunt.* Repetit Crancius lib. 7. cap. 31. Ex his, quæ hactenus de industriâ satis prolixè, non meis, sed istius, aut proximi ævi, auctorum verbis, in medium protuli, apertum, perspicuum ac meridianâ luce clariùs existit, quale fuerit Ottonis imperium, legitimum videlicet, non *per ambitionem affectatum, non iniustis armis quæsitum extra vocationem & ordinem, Pontificum impulsu*, quemadmodum ille, cujus verba suprà attulimus, parum cautè, ne quid gravius dicam, scribere ausus fuit. Si quid primæ electioni, à paucis initio profectæ, sed plurium suffragijs accedentibus stabilitæ & confirmatæ, defuisse videri potest, quod affirmare nolim, id omne compensatum est abunde, ordinibus Imperij per universam Germaniam, postquam occulto Dei armipotentis, regna dantis & adimentis judicio, potentatus & honoris æmulus vitam simul & regnum perdidisset, sine tergiversatione, fidem, operam & opes offerentibus. Qualia fuerint primordia Imperij Ottoniani indicat Arnoldus Lubecensis lib. 7. cap. 17. inquiens, *Orta est nova lux in orbe Romano, iucunditas pacis & securitas quietis*: indicat auctor fragmenti historici apud Christianum Vrstisium tomo. 2. historicorum Germaniæ pag. 88. verbis sequentibus; *Omni autem tempore Ottonis, per totum regnum*

gnum Alemanniæ summa pax & securitas fuit, ita ut omnes mirarentur, quòd etiam in absentiâ ejus, dum esset in Siciliâ, tanta pax potuit esse in terrâ. Nec dissentit auctor Chronici rithmici, cujus verba sunt:

Otto dher hohe Keyser clar,
Hilt an so grozer ere dhri Jar
Dhe Kronen und daz Riche/
Al dher Werlt so vridelichte/
Daz men in möchte nennen scone
Des Vridhes Herre unte Sohne.

Verum exigui ista fuit felicitas temporis novo labefactata incendio, versipellis, inquieti & turbulenti Pontificis Innocentij temeritate infelici Germaniæ conflato: de cujus occasione plura erunt dicenda, sic tamen, ut hodœporicon Italicum præmittamus. De eo legimus verba sequentia, admodum odiosa: *Italiam magno cum exercitu ingressus, munerum magnificentiâ magis, quàm armorum terrore aditum sibi ad urbem Romam patefecit, auro Italorum voluntatibus expugnatis.* Sic enim loquitur medicus & historicus supra tectè indicatus. Quæ sine auctore dicta, temporis istius scriptores constanter & concorditer falsitatis arguunt. Godefridus monachus: *Eodem anno 1209. Otto Rex Italiam cum magno apparatu intravit, ubi principes totius Longobardiæ, ei occurrentes cum gloriâ susceperunt, infinitam pecuniam vectigalium & tributorum à temporibus Henrici (VI) Imp. reservatam tradiderunt.* Repetit Trithemius totidem verbis Chronico Hirsaugiensi. Armis Germanorum territos fuisse Italos, non dissimulat monachus Paduanus S. Iustinæ, cujus annales primus evulgavit Christianus Vrstisius, tomo historicorum Germanicorum primo. Verba scriptoris sunt: *Circa hæc tempora Otto Dux Saxoniæ, in Regem Alemanniæ electus, descendit de Alemanniâ & venit in Lombardiam cum exercitu copioso: in cujus adventu terribili tremuit Italia nimio pavore concussa.* Hæc probatæ sinceræque antiquitatis testimonia minimè suspecta evertunt omnes subsequentium seculorum sequiores narrationes. Sed ad iter Ottonis redeundum; quod ut maturaret, hortator ei Pontifex: suberat alia etiam caussa: audierat enim haut dubijs nuncijs, Italiam post Cæsaris Henrici mortem, sic, aut ad libertatem alienatam, aut ad dominatum erectam esse, ut jura Imperij attrectare non dubitaret. Seri-

em itineris mutuabor ab Arnoldo Lubecensi & cum eo copulabo Ottonem San-Blasianum, & Huldericum Mutium. Sic igitur Arnoldus: *Circa assumptionem B. Virginis Alpium iuga scandere cœpit, relictâq; civitate, quæ ex aqua nomine naturaliter Insbrucke dicitur, prosperè tenuit Brixiam, ubi Athasis fluvius occurrit, per cujus devexum tendens venit Tarentum* (Tridentum). *Quo relicto venit ad transitum arduum, montibus præclusum, qui Veronensium Clusa dicitur, ubi castrum est firmissimum, quod ex longâ antiquitate urbs Hildebrandi dicitur. Illuc robur erat fortium propter amplitudinem ipsius castri, qui contra Veronenses guerram diutinam habentes, eos non parum infestabant. Adveniente igitur Rege ipsum castrum ei offerunt, per quod plurimum toti terræ fuerat dominatus. Veronenses tamen adhuc ipsos castellanos infestare non timebant, sicq; offensam Regis incurrerunt. Postea tamen datis multis millibus marcarum in gratiam recepti sunt. Dominus igitur Rex procedens magnificè receptus est à Mantuanis & Cremonensibus, unde Poëta:*

Mantua væ misera nimium vicina Cremonæ!

Verùm post transitum Padi Parmonenses & Pontremulenses Regem cum gaudio susceperunt. Nec defuerunt Mediolanenses, Genuenses, Lucenses cum aliis civitatibus, civitates suas tripudiando offerentes & gazis innumeris & muneribus eum honorantes. Ubi cum per tempus stetisset, & in civitatibus illis multa ordinasset, transitâ civitate magnâ, quæ linguâ eorum Senis vocatur, ubi per dies aliquot steterat, venit ad civitatem, ubi passa est beata Christina, quæ de nomine eius Stagnum S. Christinæ vocatur. Unde procedens cum omni comitatu suo venit Biternis, ubi cum magnâ solemnitate & multo comitatu, tam cleri, quàm populi, occurrit ei Dominus Apostolicus Innocentius. Quanto autem gaudio & cordis exultatione se mutuo receperint, ex multis complexibus & osculis, vel etiam profusis eorum lacrymis, quas habundantia lætitiæ produxerat, præsentis scripti depromere nequit inopia. Hæc Arnoldus: brevior Otto Sanblasianus, cujus verba sunt: *Otto expeditionem movit in Italiam, & per vallem Tridentinam ducens exercitum Veronam pervenit, ibiq; à civibus, ponte navibus compacto, per Athasin cum toto exercitu transductus, favorabiliter excipitur. Dispositis itaq; inibi negociis Imperii, Gardam castellum, ab Imperatore Henrico VI. Veronensibus quondam traditum, ab ipsis recepit, & in eo præsidia Imperii more antiquorum posuit. Exin Bononiam copias traiiciens generalem inibi curiam cum Principibus Italiæ celebravit,*

 ac inde

ac inde Mediolanum perveniens, honorificè à civibus suscipitur. Ubi moram faciens negociaq; Republicæ disponens, validum ex omni Italiâ contraxit exercitum. Pyrenæum transiens Tusciam applicuit, nuncios ad Dn. Apostolicum Patriarcham Aquileiensem & Episcopum Spirensem Cancellarium suum Romam præmisit. Qui ex personâ Regis compositione Imperialis consecrationis cum Apostolico factâ, ad Regem regrediuntur, ipsumq; cum universo exercitu ex parte Dn. Apostolici filiali affectu compositionem consecrationis intimantes, salutaverunt. Qui mox ad Urbem tendens exercitum castra metari ante portas urbis fecit. &c. Non minus brevis est Mutius lib. 19. Chronici sic inquiens: *Conscribitur per Germaniam passim exercitus, Augustæ conveniunt cum copiis omnes, ut imperatum erat. Per vallem Tridentinam iter facientes Veronam veniunt, ubi excipiuntur pacificè & offeruntur illi omnia, quæ potest dominus à subiectis sperare. Postea Bononiam usq; venit, illic statuit experiri totius Latij principum animos, & omnia priùs tentare verbis, quàm armis. Quare Bononiam convocat omnes Italiæ Principes & civitatum magistros, cum eis pacem fœderaq; facit, imperat quoq; singulis pro facultatum mensurâ numerum certum equitum & peditum, contractisq; Italicis copiis magnificentissimè pervenit Romam &c.* Tribus hisce Germanis scriptoribus subjungam quartum Italum Carolum Sigonium, nostræ nationi ejusque in Italiâ juribus aliâs non satis æquum, hac in re, de quâ agimus, sincerum & candidum. Is igitur lib. 16. *Otto,* inquit, *ante assumptionem Beatæ virginis ad Alpes venit, ac castra ad locum Benacum 14. Kal. Septembris fecit, mox traiecto Athesi Veronam, comiter cùm à cæteris, tum inprimis ab Azone marchione exceptus, accessit, ubi de transactâ civium seditione admonitus, cives inter se oportunè conciliavit, ac Monticulos ex Atestino carcere liberatos Veronam restituit. Mediolanum inde accedenti populus ac clerus insolitâ animorum alacritate apparuit. Præcipuè autem Otto nobilibus puerorum puellarumq; choris est delectatus, qui in candidâ veste incedentes ac ramos oleæ præferentes, eximias regis laudes carminibus aptè compositis celebrabant. Inde constituto die ab Huberto archiepiscopo in basilicâ S. Ambrosii ingenti pompâ coronâ ferreâ, antiquo regni Italici monumento, ornatus, contrà Mediolanensibus vetera omnia regum privilegia confirmavit, ac multis præterea non levibus eos muneribus insignivit. Profectus inde, Huberto archiepiscopo comitante, Mediolano Bononiam rectâ Æmiliæ itinere ita adijt, ut ubiq;*

castris

castris extrà urbes locatis solemnibus ab obviis populis honoribus atq; officiis cultus sit, quibus singulis & ipse ius mitissime dixit, atq; omnes beneficiis, quæ postularant, affecit. Inde traiecto Appennino per Etruriam iter ingressus omnes eius regionis civitates, claves & dona offerentes obvias habuit. Viterbium autem ut venit, ibi Pontificem solito honore complexus, atq; ab eo comiter exceptus, Romam ut ad solemnia coronæ peragenda prodiret, est invitatus. Quàm verò hæc iterum diversa ab illis, quæ in medium suprà allata, hic repetere tædiosum putamus. Perduximus hactenus, cum Deo bene juvante, Ottonem è mediâ Germaniâ trans Alpes in Italiam, perque ejus provincias Romam usque coronandum ab Innocentio Papâ, qui quidem hanc ad rem summâ erat voluntate: duas verò intervenisse difficultates ab uno atque altero proditum est: nos eas perquiremus & contemplabimur, Vna erat à rege Gallorum Philippo Bornio, altera à populo Romano. De Galli insulsâ & inurbanâ dicacitate, per ludibrium deposito etiam pignore affirmare ausi, nunquam regnaturum Ottonem, suprà diximus: eam ob caussam non potuit non suspectam habere crescentem Ottonis potentiam. Erat secundum hanc alia caussa, quæ domum Guelficam perquam invisam reddiderat Gallo, præreptâ ei sponsâ ab Henrico Duce Saxoniæ, Henrici Leonis primogenito. Quæ res ita se habet. Philippus Bornius, Ludovici Pij filius, primâ conjuge defunctâ, duxit alteram, VVoldemari Daniæ Regis filiam, Canuti sororem, Ingebergam (Rogerus Hovedenus, Historicus Anglus, annalium parte posteriore Botildam vocat) verum paullò post, incertùm quâ de causâ (nam alij alias proferunt) eam repudiavit, additâ etiam custodiæ ignominiâ. Soluto hoc per divortium matrimonio, Gallus animum adjecit ad unicam Conradi Comitis Palatini filiam, patriarum ditionum heredem, quæ quòd consobrina esset Henrici Sexti Imperatoris, ejus in hoc negocio operam sibi profuturam putavit. Missis itaque legatis ad parentes puellæ, eam in matrimonium petit. Non ignorabat Cæsar in annis infantiæ desponsatam Henrico Saxoniæ Duci, Leonis primogenito, unicè tamen hoc agebat, ut præterito Saxone Gallus voti fieret compos. Verùm puella induci non potuit, ut regi nuberet, caussata ejus infamiam & summum probrum ex dedecoroso innocentis & quidem regiæ stirpis conju-

 gis

gis repudio contractum. Sed eâ de re alibi à nobis pluribus actum, quò lectorem remitto. Propter hanc in isto fastigio repulsam, Ottonis Imperium Gallo invisum fuisse nihilque ab eo, quod coronationem impedire quoquo modo posset prætermissum, nullum est dubium. Sed quid illi cum peregrinâ Republicâ negotij, à quâ tot seculis majores ejus alienos se reddiderant? Veniendum nunc ad cives Romanos, Ottoni coronando obstrepentes, qui hoc ævo quales fuerint, ostendit Crancius Saxon. lib. 7. cap. 33. *nimirum, ipsâ dudum verâ Romanitate vanescente, ex omni colluvie gentium novus populus, pacis hostis; quietis impatiens:* quod judicium suo stabilit suffragio Iacobus Meierus annalium Flandr. lib. 11. Haut igitur mirum, ab istâ fæce aliquid postulatum, quod Cæsar vel dare non posset, vel nollet. Quale verò id fuit? quantivis-ne precij? certè magni. Rem nobis explicat Helmoldus presbyter Buzoviensis lib. 1. cap. 80. de Friderico Barbarossâ agens, cujus verba hæc: *Miserunt Romani legatos ad Regem in castra, qui dicerent ei, paratum esse Senatum & universos cives urbis, ad excipiendum eum cum triumphalibus pompis, siquidem Imperatorio more sese exhibuisset. Quo percunctante modum, quo sese exhibere deberet; illi aiunt, Regem propter Imperiale fastigium Romam venientem decet venire more suo, hoc est, in curru aureo, purpuratum, agentem præ curribus suis tyrannos bello subactos & divitias gentium. Præterea oportet eum honorare urbem, quæ caput orbis est & mater Imperij, & dare Senatui, quæ edictis præfixa sunt, videlicet, quindecim millium libras argenti, ut per hoc suscitentur animi Senatus ad benevolentiam & exhibeant ei honorem triumphalem, & quem electio principum regni creavit Regem, auctoritas Senatus perficiat Cæsarem. Tunc Rex subridens, grata, inquit, promissio, sed cara emptio. Magna requiritis, ô viri Romani, de exinanitâ camerâ nostrâ. Puto autem, quia occasiones quæritis adversum nos, imponendo non imponenda. Consultius verò agitis, si, his omissis, amicitiæ potiùs nostræ, quàm armorum ceperitis experimentum. At illi pertinacius instabant, dicentes: jura civitatis nullatenus irritanda, sed gerendum morem Senatui: alioqui adventanti claustra urbis obiicienda.* Pleniùs rem cognoscere desiderantes, legant apud Ottonem Frisingensem lib. 2. cap. 21. de rebus gestis Friderici Barbarossæ, legatorum Senatus Populique Romani arrogantem, superbam juxtà atque stolidam ad Cæsarem orationem

ejusque

ejusque masculum ac Heroici spiritus plenum responsum. Vtriusque paraphrasin artificiosè elaboratam, vibrantibusque sententijs refertam, habet Guntherus Poëta in Ligurino lib. 3. Variant autem tam Frisingensis, quàm Guntherus, ab Helmoldo, quinque tantum marcarum millia à Romanis exacta scribentes, quæ pecunia etsi longe minor, quam ea, quam Helmoldus inculcat, satis tamen magna est. Nam si libras auri hîc intelligas, erunt septingenta millia aureorum Rhenensium, hoc est quasi septem tonnæ auri. Etenim libra continet duas marcas: marca verò olim 70. florenos Rhenenses, hodie 75. Conradus Rittershusius Notis ad Guntheri Ligurinum lib. 3. cap. 3. Vero-simile est, Romanos sui semper similes, hoc est, non minus effrenatos sibique præfidentes, quàm avaros, Ottoni Cæsari eandem occinuisse cantilenam, ratos tot annis cum adversâ fortunâ colluctatum, nec dum ab invidiâ satis tutum, facilè ipsis, si non omnia, quæ efflagitarent, saltim eorum aliquid elargiturum, hærente ipsis in memoriâ, quibus artibus *Tusculanense castellum contra omnes insultus Romanorum Imperij asylum*, Otto Sanblasianus cap. 33. *in quo omne munimen Imperatoris contra ipsos constabat*, Godefridus monachus ad annum 1191. Henrico Sexto Cæsari coronæ accipiendæ caussâ Romam nimio plus properanti, non sine dantis maculâ & deformitate, extorsissent. Sed non defuit prudenti cordatoque principi Ottoni, quod importunæ legationi reponeret. Nauclerus volum. 2. generat. 41. scribit donativum à Romanis ipso coronationis die efflagitatum; cui adstipulatur Albericus monachus trium-fontium citante collectore magni Chronici Belgici. Sub actum coronationis Pontifex, more recepto, à Cæsare exegit juramentum, quod quale fuerit diligenter iniquirendum: nam ab eo multorum malorum occasio & primordia. Apud Helmoldum lib. 1. cap. 60. ab Henrico 5. Imp. Paschalis Papa exigit juramentum, *quatenus in catholicæ fidei observantiâ integer: in Apostolicæ sedis reverentiâ promtus: in ecclesiarum defensione solicitus esset.* Ottonem Innocentius longè gravius jusjurandum jurare compellit. Capita ex diversis scriptoribus observavi sequentia. I. De justitiâ cuilibet administrandâ: Sacris ædibus, viduis, orphanis protegendis, Otto de S. Blasio. II. De obedientiâ ecclesiæ Romanæ præstandâ, ejusque ditione (Patrimoni-

gis repudio contractum. Sed eâ de re alibi à nobis pluribus actum, quò lectorem remitto. Propter hanc in isto fastigio repulsam, Ottonis Imperium Gallo invisum fuisse nihilque ab eo, quod coronationem impedire quoquo modo posset prætermissum, nullum est dubium. Sed quid illi cum peregrinâ Republicâ negotij, à quâ tot seculis majores ejus alienos se reddiderant? Veniendum nunc ad cives Romanos, Ottoni coronando obstrepentes, qui hoc ævo quales fuerint, ostendit Crancius Saxon. lib. 7. cap. 33. *nimirum, ipsâ dudum verâ Romanitate vanescente, ex omni colluvie gentium novus populus, pacis hostis; quietis impatiens:* quod judicium suo stabilit suffragio Iacobus Meierus annalium Flandr. lib. 11. Haut igitur mirum, ab istâ fæce aliquid postulatum, quod Cæsar vel dare non posset, vel nollet. Quale verò id fuit? quantivis-ne precij? certè magni. Rem nobis explicat Helmoldus presbyter Buzoviensis lib. 1. cap. 80. de Friderico Barbarossâ agens, cujus verba hæc: *Miserunt Romani legatos ad Regem in castra, qui dicerent ei, paratum esse Senatum & universos cives urbis, ad excipiendum eum cum triumphalibus pompis, siquidem Imperatorio more sese exhibuisset. Quo percunctante modum, quo sese exhibere deberet; illi aiunt, Regem propter Imperiale fastigium Romam venientem decet venire more suo, hoc est, in curru aureo, purpuratum, agentem præ curribus suis tyrannos bello subactos & divitias gentium. Præterea oportet eum honorare urbem, quæ caput orbis est & mater Imperij, & dare Senatui, quæ edictis præfixa sunt, videlicet, quindecim millium libras argenti, ut per hoc suscitentur animi Senatus ad benevolentiam & exhibeant ei honorem triumphalem, & quem electio principum regni creavit Regem, auctoritas Senatus perficiat Cæsarem. Tunc Rex subridens, grata, inquit, promissio, sed cara emptio. Magna requiritis, ô viri Romani, de exinanitâ camerâ nostrâ. Puto autem, quia occasiones quæritis adversum nos, imponendo non imponenda. Consultius verò agitis, si, his omissis, amicitiæ potiùs nostræ, quàm armorum cœperitis experimentum. At illi pertinacius instabant, dicentes: jura civitatis nullatenus irritanda, sed gerendum morem Senatui: alioqui adventanti claustra urbis obiicienda.* Pleniùs rem cognoscere desiderantes, legant apud Ottonem Frisingensem lib. 2. cap. 21. de rebus gestis Friderici Barbarossæ, legatorum Senatus Populique Romani arrogantem, superbam juxtà atque stolidam ad Cæsarem orationem

ejusque

ejusque masculum ac Heroici spiritus plenum responsum. Vtriusque paraphrasin artificiosè elaboratam, vibrantibusque sententijs refertam, habet Guntherus Poëta in Ligurino lib. 3. Variant autem tam Frisingensis, quàm Guntherus, ab Helmoldo, quinque tantum marcarum millia à Romanis exacta scribentes, quæ pecunia etsi longe minor, quam ea, quam Helmoldus inculcat, satis tamen magna est. Nam si libras auri hîc intelligas, erunt septingenta millia aureorum Rhenensium, hoc est quasi septem tonnæ auri. Etenim libra continet duas marcas: marca verò olim 70. florenos Rhenenses, hodie 75. Conradus Rittershusius Notis ad Guntheri Ligurinum lib. 3. cap. 3. Vero-simile est, Romanos sui semper similes, hoc est, non minus effrenatos sibique præfidentes, quàm avaros, Ottoni Cæsari eandem occinuisse cantilenam, ratos tot annis cum adversâ fortunâ colluctatum, nec dum ab invidiâ satis tutum, facilè ipsis, si non omnia, quæ efflagitarent, saltim eorum aliquid elargiturum, hærente ipsis in memoriâ, quibus artibus *Tusculanense castellum contra omnes insultus Romanorum Imperij asylum*, Otto Sanblasianus cap. 33. *in quo omne munimen Imperatoris contra ipsos constabat*, Godefridus monachus ad annum 1191. Henrico Sexto Cæsari coronæ accipiendæ caussâ Romam nimio plus properanti, non sine dantis maculâ & deformitate, extorsissent. Sed non defuit prudenti cordatoque principi Ottoni, quod importunæ legationi reponeret. Nauclerus volum. 2. generat. 41. scribit donativum à Romanis ipso coronationis die efflagitatum: cui adstipulatur Albericus monachus trium-fontium citante collectore magni Chronici Belgici. Sub actum coronationis Pontifex, more recepto, à Cæsare exegit juramentum, quod quale fuerit diligenter iniquirendum: nam ab eo multorum malorum occasio & primordia. Apud Helmoldum lib. 1. cap. 60. ab Henrico 5. Imp. Paschalis Papa exigit juramentum, *quatenus in catholicæ fidei observantiâ integer: in Apostolicæ sedis reverentiâ promtus: in ecclesiarum defensione solicitus esset.* Ottonem Innocentius longè gravius jusjurandum jurare compellit. Capita ex diversis scriptoribus observavi sequentia. I. De justitiâ cuilibet administrandâ: Sacris ædibus, viduis, orphanis protegendis, Otto de S.Blasio. II. De obedientiâ ecclesiæ Romanæ præstandâ, ejusque ditione (Patrimoni-

monium S. Petri vocant) ab aliquibus Imperatoribus injustè hactenus detentâ, ex possidentium manibus extorquendâ, sedique Romanæ cum omnibus juribus integrè & liberè dimittendâ, ac deinceps pro viribus propugnandâ. Albericus qui suprà, Nauclerus volum. 2. generat. 41. Huld. Mutius lib. 19. III. De dignitate Imperij omnibus modis asserendâ, ejusque juribus dispersis revocandis, per vim alienatis recuperandis defensandisque, Matthæus Paris histor. Anglicus, Chronicon Lauterbergense MSC. IV. De pace cum Philippo Rege Galliarum ex præscripto Pontificis faciendâ, ne ex isto dissidio ecclesia Romana detrimenti quid capiat. V. De Rege Siciliæ Friderico impubere, nuper à matre Romanæ sedis tutelæ commendato, non oppugnando, sed cum regno conservando. In his capitibus secundum & quintum cumprimis Pontificem afficiebant, ardentem cupiditate suæ potentiæ augendæ & alienæ imminuendæ: cujus consilij hîc commoda occasio affulgere videbatur, si, quod diximus, imaginarium tituloque magis, quàm reapse, Patrimonium, inutili Constantinianæ Donationis paleâ fatiscente, tutelari suo Divo Petro acquirere & à vindicatione securum præstare posset. Vrsit igitur negocium cum curâ, & quidem eo momento, quo, Romanis tumultuantibus, deliberationem habere consiliumque conferre Cæsari minimè licebat. Annuit quidem Imperator; *sed ut homo novus & rei nescius*, utor verbis Godefridi monachi: fortè etiam nihil sinistrè suspicans de eo, qui in theatro orbis terrarum positus, omnibusque ad spectaculum propositus, sanctissimum Christi Vicarium salutari se pateretur: verum aliter informatus sententiam mutavit, quemadmodum audiemus. Vt autem lectori famosum hoc & ψευδώνυμον Patrimonium lectori meo amplius innotescat, de ejus origine primâque auspice, & quam sensit, vicissitudine, ex probatis scriptoribus aliquid in medium producam. Ita autem res se habet. Bonifacius Tetaldi (Aventinus Dietboldû nominat) F. Ottonis N. ab Hermanno Contracto ad annum 1051. *tyrannidis maculâ notatus*, titulo Marchionis in Italiâ tenebat Lucam, Parmam, Regio Lepidum, Mantuam & Ferrariam. Carolus Sigonius lib. 8. de regno Italiæ affirmat, tantas habuisse opes, ut omnium principum Italicorum longè fuerit illâ tempestate clarissimus, quippe qui Canusij Co-

tij Comes, Parmæ, Mantuæ & Ferrariæ Marchio, Dux Tusciæ. Is moriens ex Beatrice, Conradi Salici Augusti filiâ, reliquit filium sibi cognominem & filiam Mathildam, quæ fratre parentis fatum brevi secuto, utriusque hereditatem adijt. Etsi autem tribus, ut volunt, ordine maritis nubsit, Godefrido Lotharingiæ Duci, cognomento Gibbero, Azoni Marchioni Atestino, & Guelfo Bojariæ Duci, nullam tamen enixa est prolem. Baronius conjugij osor, suo indulgens ingenio, matrimonium Mathildæ cum Godefrido Lotharingo non quidem inficiatur, sed consummatum negat, sponsæ virginitate illibatâ. Guelfo cognomento Iuniori nubsisse dicit in ætate provectâ, abstinuisse etiam à mariti amplexibus. Azonis matrimonium, non ad hanc, sed alterius familiæ, ejusdem nominis fœminam pertinere affirmat. De Mathildæ natalibus, quos dixi, consentiunt Itali omnes, Philippus Forestus Bergomas, M. Antonius Coccius Sabellicus, AEneas Sylvius historiæ Boêmicæ cap. 21. Flavius Blondus decad. 2. lib. 3. Antonius Bonfinius decadis 5. lib. 3. Onuphrius Panvinius in vitâ Gregorij 7. Cæsar Baronius tomo 11. historiæ Ecclesiast. Carolus Sigonius lib. 8. de regno Italiæ. Suffragantur ex Germanis Lambertus Schafnaburgensis ad annum 1077. VValtramus Episcopus Naumburgensis apologiæ pro Henrico 4. Imp. lib. 2. cap. 36. Otto Frisingens. Chron. lib. 6. c. 33. Bertoldus Constantiensis ad annum 1098. Chronicon VVeingartense, Hartmannus Schedel, & alij. Godefridus monachus, nescio per quem seductus, Siculam facit, *filiam Rutgeri principis*, ut loquitur, *famosissimi*, uxorem Conradi, filij Henrici 4. Imp. Sed hæc assertio cum aliorum relationibus è diametro pugnat. Conradus iste Henrici 4. primogenitus, *qui junctus inimicis parentis regnum Italicum invasit, coronam sibi imposuit, jus profanavit & ordinem confudit*, verba sunt Otberti Episcopi Leodiensis, duxit quidem Rogerij Siciliæ principis filiam, sed ea longè diversa ab hac Mathildâ. AEneas Sylvius, loco paullò antè laudato, ex Bohemorum sanguine natam affirmat, quod ipsum quomodo constare possit non video. Pandulfus Collenutius historiæ Neapolit. lib. 4. nuncupat *Matheldam Salinguerram*. Vnde id cognomen, libens ignorare me fateor: hoc scio, temporibus Ottonis 4. & Friderici 2. Salinguerram Taurellum titulo Ducis te-

nuisse

nuisse Ferrariam, sed à vicinis Principibus conjunctis armis oppugnatum, captâque urbe Venetias fuisse relegatum, ut monachus Paduanus ab Vrstisio editus lib. 1. & ex eo Sigonius lib. 18. de regno Italiæ. Meminit VVolffgangus Lazius lib. 12. de migratione gentium, cum annorum esset 80. Albertus Crancius Saxon. lib. 5. cap. 13. & 35. it in omnia contraria, & quidem tantâ confidentiâ, ut *dissentientes somniare* dicat. Scribit Mathildam fuisse Germanam, Saxonici sanguinis, è familiâ VVidechindi Magni, Egberti primi, Saxonici Marchionis filiam, posterioris per fraudem in molettinâ Eisenbuttelensi ad Ocrim fl. obtruncati, sororem: cujus germana fuerit Gertrudis Henrici Crassi Comitis Northemij uxor, Lotharij Cæsaris socrus. Hanc suam opinionem repetit lib. 7. cap. 33. innuens Ottonem quartum Mathildæ patrimonium sibi vendicasse, quòd ejus, *amitæ* suæ, proximus esset heres, & isto jure non extante, vacantis feudi rediret ad Imperium directum dominium. Metrop. lib. 7. cap. 38. & lib. 8. cap. 1 in eadem perstat sententiâ, & quidem primo libri octavi capite, Mathildam Ottonis *contribulem* vocat. Deceptus autem videtur à Chronico Saxonum vernaculo, cujus auctor affirmat, Egberti primi Saxonici Marchionis filiam alteram, cuidam Lombardorum regi in matrimonium traditam. Cum Crancio consentit Iacobus Spigelius commentario ad nonum librum Ligurini Guntheri Poëtæ: consentit Georgius Fabricius, Origin. Saxonicar. lib. 3. prolixusque est in Crancij sententiâ confirmandâ, allegato etiam pro se Cosmâ Decano Pragensi, rerum Boëmicar. scriptore, cujus tamen Chronicon à Cl. Frehero amico olim nostro editum, nihil hujusmodi habet. Errorem conjecturâ non dubiâ enatum suspicor ex propinquâ consanguinitate. Etenim una eademque Mathildæ Italæ & Ecberto Saxoni fuit avia, puta Gisela Augusta, non illa, ut vulgò creditum fuit, alicujus Henetorum, sive Herulorum Principis, sed Hermanni primi, Suevorum Ducis filia. Nubsit hæc tribus ordine maritis, primò Brunoni Saxoniæ Marchioni, cui peperit Ludolfum Ecberti, quem diximus, parentem: deinde Ernesto Duci Alemaniæ, in venatione sagittâ occiso: tertiò Conrado Salico Augusto, qui ex eâ parens factus Henrici 3. Cæsaris & Beatricis matris Mathildæ, de quâ nobis sermo. Quæ ut manifestiora fiant lectori, hoc schema addo. *Her-*

Hermannus Dux Alemanniæ, sive Sueviæ.

Gerbirgis filia Conradi Regis Burgundiæ.

Bruno marchio Saxoniæ. — *Gisela* — *Conradus Salicus Imp.*

Ludolfus marchio Saxoniæ. | *Beatrix uxor Thedaldi marchionis Italici.* | *Henricus III. Imp.*

Gertrudis socrus Lotharij Imp. | *Ecbertus I. marchio Saxoniæ.* | *Mathilda hæres paterni principatus.* | *Henricus IV. Imp.*

Ecbertus Iunior.

Fuit Mathilda virilis animi mulier, *majorisq; audaciæ, quàm sexum istum deceret*, ut Ioannes Marius de Schismate parte tertiâ cap. 7. imo *non dispar antiquis Amazonibus*, ut VVilhelmus Malmesburiensis Anglus lib. 3. Pontificum Romanorum adversus augustæ memoriæ Impp. Henricum 4. ejusque filium & successorem Henricum 5. cognatione propinquâ posthabitâ, fidelis & indefessa adjutrix ac patrona: pro quibus etiam, quoties necesse, arma suis imperare & cum hoste confligere non dubitavit: unde perquàm indecorâ adulatione Vrspergensi *altera Debora* indigitatur, scilicet *si prava licet componere rectis*. Belligerandi provinciã, ut in se reciperet animosiùs, impleretque efficacius, exstimulavit eam fanaticus hierophanta Hellebrandus, quippe qui, ut Leodienses Canonici suâ ad Paschalem secundum epistolâ perscribunt, *credulæ mulieri in remissionem peccatorum suorum præcepit, ut Henricum Imperatorem debellaret*. O tempora! o mores! Quæ blasphemia est, si hæc non blasphemia? Sed *nec deinceps potuit rixosa mulier compesci muliebribus instincta furiis, ut pacem quàm bellum mallet, & ut rebus suis, etiam ad ultimum penè exterminium dissipatis, consulere vellet*, ut VValtramus Naumburgius suprà memoratus.

Tantum Religio potuit suadere malorum, Lucretius.

Quod Gregorij Pontificis lateri penè comes individua adhæreret, eique, ubi ejus operâ indiguisset, tanquam patri, vel domino, sedulum exhiberet

 officium,

officium, non potuit evadere incesti amoris suspicionem, referente Lamberto Schafnab. ad annum 1077. cum quo consentit VValtramus Antistes quem diximus, loco supra allegato, ubi de Gregorio loquens, inquit, *propter frequens cum Mathildâ & familiare colloquium generavit plurimis sævæ suspicionis scandalum.* Encomia Mathildæ, quæ multa & magna, brevi dicere voluit Blondus decad. 2 lib. 3. scribens: *Fuit gloriosissima omnium mulierum, quas nedum sua, sed quæcunq; in ætatem nostram successerunt tempora tulere.* Vitam ejus, teste Baronio, perscripsit rudi carmine infelix Poëtaster Domnizo presbyter, homo obscurus, quem ne fando quidem accepit quispiam, nedum legendo. Donatio Mathildæ præpostera & sacrilega incidit in annum 1077. quo, postposito Henrico 4. Imp. cujus consobrina erat & beneficiaria, omnia sua bona ecclesiæ Romanæ donavit, ut Baronius. Idem laudat Leonem Ostiensem Episcopum, scriptorem ἀξιόπιστον, affirmantem donationem factam *metu advenientis in Italiam exercitus Imperatoris*, datamque sedi Romanæ Liguriam & Tusciam, *indeq; inprimis caussam seminandi inter Pontificem & Regem odij initium fecisse.* Godefridus monachus ingenuè scribit, *Mathildam decrepitam circumventam à Papâ, marchiam Anconitanam, Imperium attinentem, quam regebat, magistratibus & potestatibus inscitis & inconsultis, B. Petro tradidisse*, quæ verba repetit Trithemius Chronico Hirsaugiensi. De hac *qualicunq;* (ut loquitur Crantzius Metrop. lib. 8. cap. 1.) *Donatione* scribit Aventinus annalium Bojorum lib. 6. *Æneas Sylvius, qui est Pius Pontifex, tradit Mathildam Romano Episcopo testamento legasse id, quod patrimonium Petri nominant, tumq; vox cœlitus audita (uti à gravissimis accepi Theologis) venenum melle litum fœminam propinasse Christianis.* Quæ narratio si fidem meretur, videri potest allusisse huc Divus Bernhardus ad Eugenium Papam lib. 3. cap. 1. de consideratione scribens: *Nullum gladium, nullum venenum tibi ita formido, ut libidinem dominandi.* Traditionem patrimonij sui sub Gregorio 7. factam, cùm deperditam Mathilda comperisset, per novum diploma anno 1102. renovatam, obtulit Bernardo Cardinali apud ipsam Paschalis Papæ legato. Flavius Blondus decadis 2. lib. 4 totum negotium in dubium vocat. Verba addam: *Mathildam Martinus* (Polonus) *& ipsum secuti scriptores multi, tradunt, Hetruriæ partem hinc à Piscia a-*

gri

gri Senensis finium torrente, inde à S. Quiricio dicti agri etiam finium opido, ad inferum mare Tybrimq, quam Patrimonium S. Petri appellant, Pontifici & Romanæ ecclesiæ donasse. Hostiarius, qui omnibus, quæ apud Pontifices eius temporis gesta sunt, interfuit, & ad superfluitatem multa scripsit, nullo loco meminit. Hæc ille. Versatur præterea in controversiâ & contradictione maleferiata hæc donatio apud Arnoldum Lubecensem lib. 3. cap. 10. Imperatore Friderico Barbarossâ patrimonium Sanpetrinum Imperio, Lucio Papâ sedi Romanæ vindicante. Verba scriptoris sunt: *Tractabant inter se dominus Papa & Imperator de patrimonio Mechtildis matronæ nobilissimæ, quod Imperator in possessione habebat, dicens, ab eadem Imperio collatum. Et è converso Dominus Papa sedi Apostolicæ ab eâ donatum affirmabat. Cumq, in argumentum probandi testamenti ex utraq, parte privilegia porrigerentur, nullo fine caussa terminata est.* Hactenus ille, cum quo consentit Crancius lib. 6. Saxoniæ cap. 47. his verbis utens: *Inde cœpit Imperator tractare cum Pontifice super patrimonio potentis per Italiam dominæ Mathildis, quæ sub Henricis Imperatoribus, patre & filio, multa faciebat pro ecclesiâ: & jam rebus humanis excedens, multa reliquerat eidem ecclesiæ possidenda, quæ Imperator ad jus Imperij devocabat.* Et paulò pôst: *Diu tum causâ inter Sacerdotium & Regnum ventilatâ, nihil concludi potuit, & sine fine discessere. &c.* Apud Radevicum etiam Frisingensem Canonicum lib. 2. cap. 3. Legati Pontificis terram Mathildæ à Cæsare Friderico reposcunt, sed frustra. Quàm latè patuerit Sanpetrinum patrimonium exactè definiri vix poterit. Sigonius lib. 9. de regno Italiæ auctor est, Romanæ ecclesiæ à Mathildâ donatam ditionem Lombardiæ & Tusciæ. Leo Ostiensis Episcopus, à Baronio laudatus, Tusciæ addit Liguriam, lib. 3. cap. 48. Profusâ istâ & quidem de alieno liberalitate, Mathilda tantum, si Dijs placet, honoris apud suos consecuta est, ut absque præviâ apotheosi, sive canonisatione, *Sancta*, Chronica Augustensis: præterea *Filia sancti Petri* nominaretur, videndus Bertoldus Constantiensis ad annum 1093. & 1097. Felix opidò filia! cui divinitus datum, parentis, olim pauperrimi piscatoris, beatos manes, post tot secula invidendâ hereditate locupletare, & quidem eâ in regione, in quâ ille post infinitos ærumnosæ vocationis labores, molestias & persecutiones, temporibus immanissimi matricidæ &

 tyranni

tyranni Neronis, nemine commiserante, cruci inverso corpore, ut caput infra esset, affixus fuisset. Infelix autem legatarij conditio, cujus successori & coheredi tam luculento munificæ & liberalis testatricis legato sine contradictione uti frui non licuit. Quæ de restitutione juris Iustinianæi (ut hoc præteriens addam) bellorum civilium tempestatibus aliquot seculis oppressi, auspicijs Mathildæ, operâ VVerneri cujusdam Iureconsulti factâ, ab Vrspergensi abbate & Aventino lib. 6. referuntur, rectiùs tribuuntur Lothario Saxoni Augusto. Is enim veterum Romanorum leges in Apuliâ repertas socijs Pisanis donavit, easque in Gymnasio Bononiensi explicari, ac jus secundum eas in Imperio dici sancivit, initium faciente VVernero, quem Itali Irnerium appellant. Consilium Lotharij divinitus adiutum gubernatumq; eq; reipublicæ emolumento fuisse, sunt qui prædicant. Iustus Lipsius centuriâ miscellaneâ, epistolâ 78. dubitat *an bono consilio ius Iustinianeum in vitam & usum à Lothario revocatum sit, quia in eo seminarium ingenijs ad calumnias fraudesq; pangendas.* Immo vero lib. 2. cap. 10. Monitorum politicor. *Lotharij sepulcro rosas & lilia denegat, quod restitutione iuris civilis nihil nisi tricas & spinas severit: fructum fuisse immodicam litium segetem, circa quam maxima pars in Europâ occupata sit.* Obijt Mathilda 9. Kal. Augusti anno 1115. ut Baronius: cùm, Domnizone teste, vixisset annos *sex deciesq; novem.* Sigonius numerat septuaginta sex Præsidebat tunc sedi Romanæ Paschalis secundus, olim monachus Cluniacensis, cui an legataria hereditas Mathildæ obvenerit, Baronius addubitat, nec immeritò. Nam Vrspergensis de obitu ejus agens, refert *directos ab Italiâ nuncios ad defunctæ prædiorum terras amplißimas hereditario iure possidendas Cæsarem invitasse,* qui anno insequenti eò se contulit: erat is Henricus quintus. Successor Lotharius Saxo, cùm restituto in sedem Romanam Innocentio secundo exsule, Imperij coronam ab eodem accepisset, *terram Mathildæ,* ut scriptores ævi istius loquuntur, possidebat: quo verò jure? Baronius tomo 12. scribit, *ob præstitum Ecclesiæ auxilium dono accepisse, ita ut tamen centum libras argenti singulis annis Apostolicæ sedi hoc nomine exsolveret, & post illius obitum proprietas & dominium Romanæ ecclesiæ absq; ullâ diminutione reverteretur.* Addit præterea, concessum idem beneficium Henrico Bojariæ & Saxoniæ Duci, Lotharii

rii genero, *iisdem censu & reversionis conditionibus, necnon hominij & fidelitatis Romanis Pontificibus jurande.* Diploma datum vult anno 1133. sexto Idus Iunii. Sed universæ hujus relationis fides esto penes Baronium ambiguæ fidei hominem, qui ibidem non erubescit fraudulenter & insidiosè patrimonium Mathildæ vocare *allodium*, cum reverâ fuerit beneficium, sive feudum Imperii, quod etiam Vrspergensis non inficiatur: *estq; hodie ratione istarum ditionum Papa de jure vasallus Imperij Romani*, ut post Hermannum Vulteium intrepidè affirmat Ioannes Gœddeus Disputatione feudali 5. Hohenstaufiæ familiæ Cæsares Conradus tertius, Fridericus primus & Henricus sextus, obluctantibus frustra Pontificibus, opimum hunc bolum eripi sibi noluerunt. De Friderico Barbarossâ paulò ante diximus ex Arnoldo Lubecense, scribitque de eo Radevicusque canonicus Frisingensis lib 2. cap. 10, *quòd reditus Imperiales, quæ dicuntur domus Mechtildis, à Duce Guelfone seu ab aliis distractos & dispersos, congregarit, eosq; postmodum eidem nobilissimo principi adunatos & melioratos, liberali restitutione reddiderit.* Ab Henrico sexto Philippum fratrem germanum Tusciæ & terræ Mathildæ Ducem creatum affirmat Sigon. lib. 15. Cum verò is ad Imperium adspiraret, videretque fraudi sibi futurum, si ditionem controversam violenter detineret, ut favorem Pontificis acquireret, Ducatum Tusciæ, præter montem Flasconem, dimisit, sed nec sic in gratiâ esse potuit. Dixi, prolixius fortè, ac debui, de Mathildæ historiâ, non tamen sine aliquo, ut opinor, legentium fructu: secundùm quem habenda fuit ratio Ottonis Cæsaris, cui ab hac fatali infaustâque muliere, ejusque insanâ de alieno largitione λίαν κακῶν. Cum enim sub ipsam coronationis celebritatem subdolâ pellacis Innocentij persuasione inductus, patrimonij San-Petrini, cui proximè elapsi seculi Pontifices frustra inhiarant, integram restitutionem, dato jurejurando, sedi Romanæ confirmasset, caussæ evestigiò intervenere, quæ totum negocium resciderunt. Godefridus monachus scribit, Ottonem *à potestatibus & magistratibus revocatum & prohibitum, ne quid restitueret.* Hæc verba Trithemius, aliâs Godefridum verbatim penè repræsentans, tanquam odiosa sine dubia consultè omittit. Quæ verò brevibus hîc exponuntur, quis ambigat, quin prævîam habuerint

 matu-

maturam deliberationem, publicoque sancita sint decreto? Procul dubio potestates & Magistratus, qui innuuntur, Cæsarei dominatus Vicarij, Imperatori juveni, rerum Italicarum hactenus imperito, fideliter exposuere, quæ istis in locis antiqua Imperii jura, quæ inde usque à Caroli Magni, primi ex Germanis Augusti, ævo, consuetudines, quæ instituta: quot modis omnia labefactata, imminuta, accisa, grassantibus in litorali orâ Regibus Siculis; in mediterraneâ Pontificibus Romanis: quibus fraudibus circumventa Mathilda, æquè pervicax ac superstitiosa mulier, nobilissimas Imperii provincias, & in his Lombardiam, aliò transferre conata fuerit. De Lombardiâ constare omnibus, *quòd Otto Magnus Imperator eam viridarium Imperij appellarit & Imperio singulariter incorporarit, ut per Imperatores & Reges Romanos, qui essent pro tempore, jure proprietatis perpetuò regeretur,* Theodoricus Niemius Nemoris Unionis tractatu 6. Eam nunc objici summis principibus tanquam discordiæ pomum: insistendum majorum vestigijs, quæque illi tenuerint minimè dimittenda. Sigon. lib. 16. rem actam his persequitur verbis: *Otto urbe egressus in urbibus Etruriæ suburbanis consedit, ac de more summis adhibitis Iureconsultis, jura Regni diligenter inquirere, tanquam ea constituturus, incepit. Cùm autem quædam opida à Pontifice, alia verò in Campaniâ à Friderico modò vacante Imperio occupata comperiret, quæ ad Imperium, sive Regnum pertinere putaret, nullâ Pontificis ac sacramenti sui habitâ ratione, militibus protinus immissis recepit.* Hæc ille, cui subjungam narrationem luculentiorem ex Matthæo Parisio Anglo verbis sequentibus: *Anno 1210. Circa dies istos Otto Romanor. Imp. memor juramenti, quod fecerat, cum à Papâ ad Imperium fuerat sublimatus, quòd videlicet dignitates Imperij conservaret & iura dispersa pro possibilitate suâ revocaret, fecit per sacramentum legalium hominum Imperii Dominica castella sua, & alia iura ad dignitatem Imperialem spectantia, perquiri & quæcunque per recognitionem ad ius Imperii spectare didicerat, in usus suos convertere laborabat. Hac autem de causâ orta est dissensio gravissima inter Dominum Papam & Imperatorem memoratum, eò, quòd tempore, quo vocabat Imperium, idem Papa castella plurima cum rebus alijs occupaverat, quæ ad dignitatem Imperij pertinebant. Unde Imperator, quia quod suum erat revocare studuit, ipsum Papam sine merito ad* odium

odium provocavit. Fridericum quoq; Regem Siciliæ idem Imperator graviter persecutus est, qui similiter, dum vacavit Imperium, quasdam munitiones occupatas detinuit. Vnde Papa memoratus ipsum Imperatorem per nuncios & litteras frequenter monere studuit, ut tam à persecutione Romanæ ecclesiæ, quàm à regni Siciliæ ac tutela commissæ sedi Apostolicæ exheredatione cessaret. Imperator autem nunciis Domini Papæ tale perhibetur dedisse responsum. Si inquit, summus Pontifex Imperij iura iniustè possidere desiderat, à sacramento, quod tempore consecrationis meæ ad dignitatem Imperialem me iurare compulit, absolvat, quod, videlicet, dispersa Imperij iura revocatem. Deniq; cum Papa ipsum Imperatorem à præstito iuramento, quod omnes Imperatores in suâ consecratione, inspectis sacrosanctis Evangeliis, iurare tenentur, absolvere noluit, & Imperator econtra Imperij iura, quæ iam parte maximâ in manu potenti revocaverat, reddere contempsit, idem Papa in ipsum Imperatorem sententiam excommunicationis tulit, atq; universos, tam Alemanniæ, quàm Imperij Romani Magnates, ab eius fidelitate absolvit, & hinc odium Regis & iram efficaciter obduravit. Hæc ille cæteris, ut luculentius, sic verisimilius. Considera autem, sincere Deique metuens lector, perversam Innocentii Pontificis, germanissimi hypocritæ, religionem, ex lucro omnia metientis, parumque soliciti de mandato filij Dei, præcipientis *dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei Deo.* Obligat Imperatorem solemni sacramento ad conservationem dignitatis juriumque Reipublicæ in fidem receptæ, idque facit in conspectu Dei, angelorum & hominum: obligatum constrictumque ad manifestum evestigiò provocat & impellit perjurium exigens, quod nec in illius potestate erat, nec ipse per leges divinas, per ecclesiasticas purioris antiquitatis sanctiones, appetere nedum acceptare posset. Quòd si prætensa Donatio erat legitima, sine alterius præjudicio facta, quid opus erat fraudulentâ circumventione, quæ ex omnibus elucet circumstantijs? Nemo verè pius, memor mandati divini, πλεονεξία μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν, Ephes. 5. v. 3. cum proximi detrimento rem suam augere desiderat: quantò minus id eum decet, qui in supremo fastigio constitutus exemplo omnibus esse debet? nisi fortè religio in ludum abiit jocumque. Sed ad Ottonem. Is à Legisperitis Vicariisque magistratibus sufficienter edoctus de antiquis Cæsa-

rum

rum in Italiâ juribus, de patrimonio San-Petrino, de Campaniâ, dolis Pontificum Imperatoribus ereptâ, seriò secum cogitabat, quam sustineret personam, nempe Patris Patriæ & Augusti, *cui nulla data sit potestas, vel à iure, vel ab homine, dissipandi vel alienandi res Imperii, quæ sint juris publici, sed si nequeat augere, teneatur tamen diligentissimè conservare*, Theodoricus Niemius Nemore Vnionis tract. 6. cap. 33. Compertos etiam cognitosque habebat tam Pontificum, quàm civium Romanorum animos, qui in id conspirassent ut Imperatores Germanos, inani Cæsarum titulo ludificatos, totâ paullatim Italiâ, prisco & avito ac primo Imperii patrimonio, ejicerent & ultra Alpes in Germaniam relegarent. Veniebat præterea in mentem præsens Imperii status, multum ei dissimilis, qui ante Ottonum, ante Henricorum fuisset tempora: quomodò intra ducentos annos, profusâ insanâque Augustorum prodigalitate, curtes, vici, arces, opida, urbes, Marchiæ, Ducatus, provinciæ, pædagia, telonea, vectigalia, portoria, multaq; alia, indubitatè Imperii propria, ad ordinem ecclesiasticum pervenissent: quomodo per violentam investiturarum ecclesiasticarum spoliationem, (ita enim collationem vocabant) *maiorem, meliorem, fortioremq; Imperii partem* (do verba Onuphrii Panvinii in vitâ Gregorij 7. Pontificis) Pontifices ad se transduxissent, hodieque in id totis viribus incumberent, ut decedentium Prælatorum exuvias, reditus, res mobiles & se moventes, per inveteratam aliquot seculorum consuetudinem Fisco Imperiali applicari solitas, diœcesibus viduatis & vacantibus adjudicarent, adjungerent, Reipublicæ iterum damno non levi & peste allatâ. Hæc secum animo volutanti, ex re & emolumento esse videbatur aleam jacere, quæque ad Imperium pertinerent, quocunque alienata essent & possiderentur jure, vel injuriâ, armatâ manu protinus aggredi & recuperare, quod & factum. Ita Viterbium, Montem Flasconem, Vrbevetum, Perusiam, totum denique patrimonium Sanpetrinum brevi in suam ditionem redegit, atque aliquam Apuliæ partem hostiliter incursavit. Quin etiam Ducatum Spoletanum Bertoldo cuidam familiari suo, attribuit. Inde rebus ex sententiâ constitutis, in Apuliam undecim Pisanorum triremibus usus accessit, ac ditioni Friderici apertissimum intulit bellum, captis

multis urbibus & in his Capuâ: ubi cum esset in hybernis, multa per Apuliam loca in Calabriam usque obtinuit. Frequens tum ei in animo & sermone Lotharius Imperator, proavus maternus, princeps incomparabilis, ijsque annumerandus, quorum memoriam nulla unquam delebit oblivio: cujus fortitudine heroicâ, Rogerius ejus nominis tertius, Siciliæ rex, homo inquieti & præferocis animi, ideoque à Divo Bernhardo Epist. 130. & 176. tyrannus Siculus appellatus, post occupatam regnoque Siculo adjunctam Apuliam & Calabriam, multa insolenter & tyrannicè agens, hostis judicatus belloque petitus, totâ excedere Italiâ coactus erat, constituto novo Apuliæ Duce Reginaldo, sive Reinoldo, qui Imperij esset beneficiarius. Militabat hoc bello Apulo Cæsari Lothario gener Henricus, Bojariæ & Saxoniæ Dux, in annalibus cognomento Superbi notus, avus Ottonis paternus, editis pluribus conspicuæ fortitudinis & felicitatis exemplis. Horum illustrium Principum memoriam æmulâ animi celsitate & magnitudine à se resuscitandam persuasum omnino Imp. Otto habebat. Cujus successibus auditis Innocentius indignari, fremere, nihilq; non tentare, vel per litteras vel legatos, inter quos abbas Morimundensis præcipuus, ut Vrspergensis, quò ab impio & importuno (sic haberi volebat) proposito eum abduceret, quæque jam in manibus erat, prædam extorqueret: frustra verò, animo victoris bonitate causæ prorsus jam obfirmato. Annotavit Marsilius Patavinus, Defensore pacis parte 2. cap. 26. Ottonem jura investiturarum hoc tempore à Pontifice repetivisse. Verba ejus addo: *Has concessiones & privilegia ex causâ fortasse legitimâ revocare volentes, aut revocantes. simpliciter aut in parte, Otto quartus & Fridericus secundus, Romanor. Imperatores, Episcoporum & cleri Romani plurimas insidias, persecutiones & impedimenta sunt passi.* Meminit etiam strictim Crancius VVandaliæ lib. 7. cap. 21. Hærente adhuc in Italiâ rerumque suarum satagente Ottone, Magister Gervasius Tilberiensis, in regno Arelatensi Imperialis Marescalcus (sic enim se nominat) parænesin dehortatoriam ad eum misit, quam ex opere de Otijs Imperialibus nondum edito, integram adscribam, tantùm ut lector videat, quàm elumbes, quàm jejunas, ne dicam impias, rationes vereque straminea argumenta, vir intelligens & ex-

pertus ad obstinatum invictumque Cæsaris animum expugnandum zelo aliquo, sed eo non secundum scientiam, proferat. Sic igitur ampullatur ille: *Considera, princeps sacratissime, quòd ab Innocentio Papâ secundo proavus tuus* (Lotharius) *accepit Imperium, quod longo tempore intermissum, & post electionem confirmationemq; primam relapsum, perquam sanctissimus tibi reddidit Innocentius. Vtinam innocentius Innocentio exhibearis & sinceritatem tuam, quam præsumo in te esse, operibus piæ devotionis probes tuo conservatori. Nihil enim est, quo iustè illum offendis, nec quod tam merito dignum rependas. Si credis in aliquo illum minuere velle jus Imperij, cedas in modico ei, qui totum in te contulit Imperium. Impugnare illum desiste, per quem expugnatores tuos vicisti. Dator effici potes de donatario, si partem ei cesseris eius, quòd per ipsum totum accepisti. Profectò Imperium tuum non est, sed Christi: non tuum, sed Petri. Non tibi perpetuabitur, quòd nec tu cum illo; aut in illo eris perpetuus. Cùm enim interieris homo, non sumes omnia, neq; descende tecum gloria tua. Si times conscientiam tuam, quasi iniustitiam propter sacramentum augustale patiatur, consule famam publicam, quæ tibi impingit criminationem de ingratitudine. Sed conscientiam tuam metuis propter Deum? illam expone Papæ & Domino transmitte per eum. Ipse tibi & tuus judex est, à nemine mortali iudicandus. Si caussam eius reponis in sinu tuo, satis est: si famam redimis per iustitiam illi debitam animum factumq; contegente, nihil amittis quod tuum est; si dimittis Petro quod suum est. Petro Constantinus Imperium Occidentis dedit, cui servierat regnum Francorum, regnum Teotonum, regnum Brittonum, quinimò totus Occidens & totus circumfluus orbis. Hic Petro voluit sub Christo totum servire Occidentem. Beneficio Papæ, non suo, Roma tempore Karoli nomen recepit Imperij: beneficio Papæ Francorum Regi confertur Imperium. Nec cedit Imperium, cui vult, Teotonia; sed cui cedendum decrevit Papa. Enimuero bonus tibi erit Papa caussæ communis arbiter, aut minus bonus, ne dixerim malus. Si bonus, iusto eius iudicio, si iustam tenes caussam, vinces: si minus bonus, ipsum in suâ caussa iudicem constituendo te exonerabis à periculo famæ ipsamq; gravabis onere iniustitiæ.* Hactenus phalerata & byssina verba Tilberiensis, qui Lycostheni Tibelensis, Gesnero Tilgertensis, utrique perperam. De quo ut amplius aliquid dicam, non puto huic loco alienum. Fuit, ut innuit ipse, regni Arelatensis marescalcus sive E-

quitum

quicum magister, idque beneficio Ottonis Cæsaris, cujus temporibus regnum illud adhuc erat juris Imperij, mansitque ad seculum usque Caroli 4. qui, referente Theodorico Niemio Nemor. Vnionis tractatu 6. *Ludovico Duci Andegavensi, Francorum regis germano, suisq, heredibus, pro uno solemni prandio sibi apud Villam novam prope Avinionem per eundem Ducem preparato, prædictum regnum Arelatensi ab Imperio demembrando seu separando, concessit.* Idem Niemius lib. 2. de Schismate cap. 19. Gervasium Oratorem Arelatensem, & Ottonis 4. Cancellarium vocat. Reliquit ingenij & doctrinæ monumenta nonnulla, quæ in Bibliotheca Gesneri commemorantur: his addit Niemius loco paullò antè allegato, metricam descriptionem Balneorum Puteolanorum. Ad Ottonem Imp. scripsit volumen tripartitum bene magnum, cui titulum fecit *Otia Imperatoris* secundum Niemium: sive *de Otiis Imperialibus*, ut Gesnerus in Bibliothecâ. In Codice MSC. qui est in bibliothecâ illustris Iuliæ Academiæ, operis tale est initium: *In nomine Domini nostri Iesu Christi. Incipit liber à Magistro Gervasio Tilberiensi editus, & intitulatur Otia & Imperialia.* Voluit innuere vir sapiens & expertus, Regum ac Principum otium in ejusmodi cognitione versari ac teri debere: id quod abs se factum testatur Fridericus Barbarossa Epistolâ ad Ottonem Episcopum Frisingensem, libris de rebus gestis Barbarossæ præfixâ. Qui Gervasium Henrici secundi Anglorum Regis nepotem faciunt, videant, ne à vero aberrent. mihi nequaquam fit verisimile, cum ipse hujus nihil habeat, nec aliunde satis constet: in intimis Cæsaris fuisse nullus dubitem. Antequam vero à Gervasio discedam indicandum puto, quod observavi, nimirum tribui ab eo Ottoni Cæsari sororem Alienoram, de quâ quid factum sit non addit, nisi quod Comitissam appellat. Alius scriptor Anglicus Rogerus Hovedenus, annalium parte posteriore, diversam ab hac ingerit nomine Mathildam, quæ ab avunculo, Rege Angliæ, Richardo, nuptum data sit Gaufredo, filio Rotrodi Comitis de Perticо, amplas possessiones tam in Galliis quàm Angliâ habenti. Hasce duas Ottonis sorores nostri annales ignorant, Reunero excepto, qui Leonoram indicat tantum. Meminit quidem Arnoldus Lubecensis Mathildæ filiæ Henrici Leonis, sed tamen matrimonium datam Borwino (qui alio nomine

Henricus) Henetorum principi, scribit lib. 3. cap. 4. Idem Gervasius Ottonis fratrem natu minimum, à quo perillustres Brunsuicensium & Luneburgensium Duces originem repetunt, *VVilhelmum Longaspatha* nominat, fortè quòd eo armorum genere usus sit. Est autem spatha Vegetio lib. 2. cap. 15. gladius major; Isidoro Originum lib 17. cap. 6. gladius ex utrâque parte acutus. Ejusdem nominis & cognominis princeps reperitur in familiâ Ducum Normanniæ, de quo Robertus de Monte continuator Sigeberti Gemblacensis ad annum 1182. Fuit is Rollonis primi Ducis Normannorum filius, cæsus jussu Ludovici regis Franciæ, anno 954. ut VVilhelmus Malmesburiensis Anglus. Meminit ejus Iacobus Mejerus, annal. Fland. lib. 2. sed ut nonnihil variet. Habet & familia Marchionum Montis Ferrati *VVilhelmum Longaspatham*, de quo videndus Sigonius de regno Italiæ, lib. 14. Rogerio Hovedeno idem VVilhelmus nostràs, Leonis F. à loco natalitio *VVintoniensis* audit, quòd VVintoniæ archiepiscopali in Angliâ urbe lucem communem primùm aspexisset, anno nimirum 1184. parentibus in exsilio constitutis. Sed ab hoc non injucundo, nec inutili diverticulo in viam & lineam redeundum. Innocentius Papa, cùm Imperatorem non minus juris manifesti atque ipse dubij controversique esset, tenacem videret, nihilque vel monitis, vel minis proficeret, ad formidabilem illam, è veteris Ecclesiæ disciplinâ in novum usum detortam Excommunicationem, sive ἀνάθεμα se convertit, neque tantùm Imperatorem innocentem diris devovit, sed simul honore & dignitate Imperiali privavit, subditis ordinibus à fide & jurejurando, quo ei tenerentur, exemtis. Profligati hujus instituti primus machinator, arhitectus, & auspex fuit Gregorius septimus, Monachopapa, quo neque speciosiorem hypocritam, nec pejorem tyrannum sol unquam aspexit, ideoque à nostratibus pro *Hildebrando* (hoc enim privato nomen fuerat) *Hellebrandus*, id est, *titio infernalis* dici meruit. Is ipse inaudito perniciosoque exemplo, *primus lanceam sacerdotalem contra diadema Imperij levans*, ut epistola Sigeberti Gemblacensis nomine ecclesiæ Leodiensis adversus Paschalem 2. P. P. scripta loquitur, Henricum quartum Cæsarem Imperij titulo & jurato Principum populorumque obsequio abdicavit, adeoque sacro anathemate obligavit.

Quæ

Quæ scelerata infronis cuculligeri *θρασύτης καὶ λυσσώδης* multis piis viris summoperè displicuit, affirmantibus *tam inefficaciter, quam illicitè factum esse, quod factum sit*, ut auctor vitæ Henrici 4. cui consentit Otto Frisingensis Chron. lib. 6. cap. 35. inquiens: *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio, quenquam eorum excommunicatum vel regno privatum.* Præterea Helmoldus Buzoviensis Chron. Slavorum lib. 1. cap. 33. cujus verba hæc: *Erat autem* (Henricus 4. Imp.) *ecclesiis admodum bonus, his videlicet, quas sibi fideles persensit. Porrò Romanum Antistitem Gregorium & ceteros insidiatores honoris sui, sicut infestos habuit, ita etiam infestare studuit. Impulit eum ad hoc, ut multi dicunt, gravis necessitas. Quis enim vel minimam honoris sui jacturam equanimiter ferat? Legimus autem; quia multi peccaverunt, quibus tamen subventum est pœnitentiæ remedio. Certè David peccans & pœnitens Rex & Propheta permansit: Rex autem Henricus ad vestigia Apostolorum iacens, orans & pœnitens, quasi pessundatus est, nec invenit tempore gratiæ, quod ille obtinuit duro legis tempore. Sed disputaverint de his, qui scierint, vel ausi fuerint &c.* Videndus secundum hos Onuphrius Panvinius in vitâ Gregorij 7. Huic igitur alastori Gregorio, cum per omnia simillimus esse vellet Innocentius, egregius ille, si Diis placet, declamator miseriæ hominis, (de quâ ante Papatum tres edidit libros noviter recusos) interim ipse ambitionis, superbiæ & cupiditatis mancipium, non dubitavit unctum Domini, (cui ne Christus quidem homo voluit ademtum esse quidquam de jure suo, quique Ethnicorum etiam judicio, ἱερὸς ϗ ἄσυλος) oppugnare, prorsusque evertere, expromtâ in eum solemni detestatione, quâ illum priorũ cõmunione submovit, atq; omnes principes populosq;, quotquot sacramenta illi dixissent, religione solutos, ab illo tanquã à nefario homine & capitali Ecclesiæ hoste, recedere præcepit. Quo ipso novo incẽdio à pertinaci pacis publicæ & tranquillitatis hoste, velut incendiario, excitato, quantum Reipublicæ importatum sit calamitatis, quàm funestæ offensiones & dissidia excitata, quæ agris vastitates, opidis & urbibus excidia inducta, longum foret enumerare, ut jam dubitare nihil possis de veritate ejus, quod Pius Pontifex in historiâ Australi scripsit, *nihil*, videlicet, *excellenter malum in Ecclesiâ catholicâ patrari, cuius prima origo à sacerdotibus non dependeat*, ut ha-

bet Pandulfus Collenutius historiæ Neapol. lib. 4. Imperator persentiscens in Italiâ omnia ad tumultus seditionemque spectare; idemque de Germaniæ metuens principibus, quos Pontifex summo studio ad rebellionem inflammabat, ut consilia & machinationes hostium anteveniret, magnis itineribus accelerabat in Germaniam. In eâ utebatur Pontifex duobus tyrannidis suæ administris, Sigfrido Moguntino & Alberto Magdeburgio, archiepiscopis, quos sedis apostolicæ legatos crearat. Debebat uterque Ottoni plurimum. Moguntinus, quamdiu Philippus, cui invisus erat, in vivis fuit, ad quietam diœcesis suæ possessionem pervenire hautquaquam potuit, ab Ottone id facilè impetravit. Albertum Magdeburgium diximus suprà, fuisse Ottoni inter amicos familiares: consecutum ab eo præter confirmationem bonorum suæ Episcopæ, singulare pro se suisque, quos vocant, suffraganeis privilegium (integrum dedimus suprà) denique Romam proficiscentem comitatum. Hi duo Pseudo Episcopi, antiquâ gratiâ dormitante, Idolo suo operam summè navantes, Imperatorem, cui sacramento devincti erant, quibus potuerunt modis oppugnatum iverunt. Moguntinus cum Rege Boëmiæ Ottocaro, Hermanno Lantgravio Turingiæ, alijsque nonnullis Principibus & Dynastis, in conventu Bambergensi, ejus rei causâ instituto, summo adnitebatur studio, ut Ottone abdicato Fridericus Siculus Rex Cæsar eligeretur: verùm quod pauci assentirentur, *quæque de excommunicatione dicebantur, multi eorum floccifacerent, quippe qui vivente adhuc Philippo ad istos Romani Pontificis terrores occalluerant*, Mutius lib. 19. re infectâ discessum est. Nihilominus Imperatorem excommunicatum denunciabat ille, missisque ad archiepiscopos & Episcopos per Germaniam litteris, ut idem facerent auctoritate Apostolicâ præcipiebat, sed non impunè: nam Comes Palatinus Rheni Henricus Cæsaris frater, associatis sibi Duce Brabantiæ, cæterisque Lotharingiæ, necnon aliquot superioris Germaniæ Dynastis, *Episcopatum Moguntinum, præcipitante Septembri, incendio & rapinâ vastavit, nihil præter civitates & castra intactum relinquens*, Godefridus monachus ad annum 1211. Proximè insequenti anno Imperator circa festum Pentecostes Noribergæ conventum Principum suæ partis celebravit, *in quo multiplices Romani Pontificis contra se calliditates*

tates exponens, quàm iniustè ab illo insectaretur declaravit, adeste, inquiens, animis Principes, quibus cura sit, de Regno, deq; in eodem rebus gubernandis: nempe ad vos respicit Teutonici regni quævis dispositio: vestrâ intererit eminus cuncta prospicere. Vestri etiam iuris fatemur, non Romani Pontificis, Imperatorem creare simul & destituere: vestrum si quid in Imperio tumultus insurrexerit, quò viritim exstirpetur, curare legitur: ô Principes & regni cordati proceres, ius vestrum defendite: pro patriis & Imperii legibus vires exercete, ne si minus, & Imperium & Patrimonium dimittatis. Vt autem id fieri possit, persuasum credimus Romanum Pontificem, quo sese à suis præsumtionibus revocet, si movere blandiloquio tentaveritis. Nam si pro libitu suo Romano Pontifici nimiùm quàm expedit dissimulando depositionem Imperatoris dimiseritis, actum brevi vestrâ de potestate in deligendo Imperatore omni dubio procul intelligetis. His itaque ac similibus dum in contione ad Principes Otto perorasset, animos nonnullorum sibi conciliavit. Hactenus Ioannes Nauclerus volum. 2. generat. 41. Prolixius rem exponit Huldricus Mutius Chron. lib. 19. cujus verba non pigrabor adscribere. *Otto,* inquit, *reversus in Germaniam, mense Maio, Norbergam omnes Germaniæ Principes convocat, illic Principibus commemorat Romanorum perfidiam & multorum Nobilium fortium virorum cædes ob oculos ponit, iniquas petitiones Pontificis & dolos exponit multis verbis. Adhortatur Principes, ne submittant & deiiciant generosos animos, ut mancipia Romanorum fiant. Addit præterea reliqua, se paratum Imperio cedere, si principibus electoribus videatur inutilis & meritus ut deponatur: nam Pontificem Romanum propterea sibi irasci, quòd contra Imperii dignitatem & utilitatem non velit eum audire per omnia. Principum igitur iudicio suam caussam subiicit & Imperii Rempublicam committit. Insidiari enim Innocentium Imperio & facultatibus Germanorum: inprimis Romanis molestum esse, quod ius Imperatorem eligendi apud Germanos sit. Quod sublatum, inquit, esset, si Pontifex posset deponere Imperatorem pro suâ libidine ut præsumsit. Principes igitur cordatiores erant, quàm ut non viderent, quid sequeretur, quantave esset eorum potestas Imperatorem eligendi, si ratam haberent sententiam Papæ deponendo ab Imperio Ottonem. Cumq; in hanc sententiam Imperator quosdam confirmasset Principes, quosdam alienatos reconciliasset, quosdam ad maiorem iram in Pontificem concitasset, decretum est bellum contra Hermannum Turingiæ Comitem &c.* Sigonius Comi-

Comitiorum Noribergensium meminit, sed ut brevius nequeat. Vix enim verba sequentia extorquere sibi potuit: *Vt Otto in Germaniam descendit, statim conventu Norimbergæ habito Principes pro re non contemnendâ admonuit, ne paterentur Pontificem pro arbitrio Cæsares de culmine Imperij deturbare, seque proprio iure exuere: verum paucis persuasit.* En quàm jejuna & frigida de re tam magni momenti narratiuncula! Quantum verò erat, eruditissime Sigoni, integram Cæsaris orationem, vel ex Nauclero, vel Mutio (utrumque enim visum tibi lectumque satis constat) lectori tuo exhibere? Certè honorificum tibi & candoris historico digni specimen fuisset certissimum. Verùm pepercisti ei loco, cujus Hierosiarcha *cunctos indicaturus à nemine est indicandus*, Dist. 40. cap. Si Papa. Occupato Comitijs Noribergensibus Ottone, in Saxoniâ Albertus, antistes Magdeburgius, furiosè debacchabatur, strenuus decretorum Papalium exsecutor. Libet autem ex Chronico Lauterbergio, sive Sanpetrino MSC. eâ de re aliquid delibare. Sic igitur auctor: *Albertus archiepiscopus, Apostolicæ sedis legatus, Imperatorem crebrò excommunicatum denunciabat, & ne quis eum Imperatorem appellaret sub pœnâ excommunicationis prohibebat. Nec verò Imperator ei parcebat, omnia quæ illius & suorum erant, quantum poterat devastando, quamvis & ipse nonnunquam ex parte Episcopi damni aliquid pateretur. Tanta autem fuit, & huius in denunciando, & illius in devastando constantia, ut rectè quidam dixisse laudetur: quòd Episcopatus Magdeburgensis ab Ottone Imperatore & Alberto archiepiscopo constructus, ab Ottone Imperatore & Alberto archiepiscopo destrueretur. Æquivoci enim erant constructores & destructores: licet archiepiscopus non aliunde destructor fuerit, nisi quòd occasionem præbuit destruendi &c.* Integram belli Saxonici historiam hoc loco repetere operæ non est precium, pleni annales & MSC. & editi. Invalescente autem indies in Germaniâ Friderici Siculi Regis propter opes, quibus abundabat, potentiâ, Otto à suis desertus, belli etiam longinqui sumptibus exhaustus, de Imperio diutius retinendo incepit desperare, Deo opt. max. omnis iniquitatis ultori justissimo, vindicandum commendans quicquid in causâ omnium æquissimâ passus fuisset, quicquid pateretur. Vltimum ejus bellum fuit Gallicum, in cujus societatem ab avunculo Ioanne Rege

Angliæ

Angliæ, Henrico Duce Brabantiæ socero, Ferrando Flandriæ Comite, alijsque confœderatis pertractus, arma sumsit contra Galliæ Regem Philippum. Is Anglo eripuerat Normanniam, Flandriæ inhiabat, eamque ob caussam Philippi Cæsaris partes foverat: Brabantino etiam quibus poterat modis incommodabat. Ottoni Imperatori, cur Gallo malè vellet, non una erat causa, quas inveni brevibus indicabo, ne quis temerarium, ideoque infelix & exitiabile fuisse bellum existimet. Meminimus suprà quàm odiosè Gallus locutus sit de profectione Ottonis ad capessendam Imperij coronam: videtur eò respicere Vrspergensis, indicans à Gallo *quadam verba contra Ottonem temerè prolata.* Monachus Paduanus ab Vrstisio editus lib. 1. clarius rem sic explicat: *Caussa verò huius prælij dicitur fuisse, quòd Imperator dicebat, Regem Franciæ liberaliter promisisse civitatem sibi Parisios daturum, si Otto unquam Romanum Imperium obtineret. Rex verò considerans, se incautè illam promissionem fecisse, decrevit potius tam arduam quæstionem belli iudicio esse terminandam.* Sed remitto lectorem ad loca ex Helmoldo & Crancio suprà allegata. Rogerus Hovedenus longè graviorem indignationis adversus Gallum caussam adfert, quam auctor ipse suis verbis exponet. *Otto Rex Alemannorum, electus Romanorum Imperator, misit Henricum Ducem Saxoniæ & VVillielmum VVantoniensem, fratres suos, ad Ioannem Regem Angliæ, avunculum suum, petens ab eo Comitatum Eboraci & Comitatum Pictavis, quos Richardus Rex Angliæ ei dederat, & duas partes totius thesauri Richardi Regis Angliæ, & omnia exenia sua, quæ idem Rex ei dimisit. Sed Ioannes Angliæ rex nihil horum, quod petebat, facere volebat, propter iusiurandum, quod iuraverat Regi Franciæ, quòd nullum auxilium faceret ipsi Ottoni contra Ducem Suaviæ.* Hactenus Rogerus. Qui idem paullo pòst recitans formulam Pacis inter Reges Philippum Franciæ & Ioannem Angliæ, ceteris conditionibus hanc addit: *In conventionibus istis habet rex Angliæ conventionem, quòd ipse Otteni nullum faciet auxilium, neque per pecuniam, neq; per gentes, neq; per milites, nec per alium, nisi per consilium regis Franciæ &c.* Meminere præterea Matthæus Parisius & Guillermus Brito Philippidos lib. 10. Addunt alij, Gallum, Philippo Cæsare trucidato, missis in Germaniam legatis, Imperij fasces ambijsse: quod si per leges patrias fieri non posset, pro Friderico rege Siculo intercessisse. Hisce

non unius generis injurijs vehementer exacerbatus Otto, fœderatis adjunxit sese Principibus, adducens ex Germaniâ lectissimas equitum peditumque copias. Etsi autem infeliciter præliatum sit, profligato Angli sociorumque exercitu: quibusdam ex proceribus in pugnâ cæsis, alijs in vincula abductis, Ottone ipso fugam capessere coacto, fortitudinis tamen laudem etiam apud hostem invenit. Nam secundum Vrspergensem, *strenuissimi quidam, & ad pugnam exercitatissimi milites* ante prælium ad Regem Franciæ his usi sunt verbis: *Domine, nosti, quàm fortis sit in pugnâ Otto Imperator.* Crancius Saxon. lib. 7. cap. 35. & Metrop. lib. 7. c. 20. autumat, provenisse Ottoni infortunium hoc *à contumaciâ in Romanam ecclesiam.* Sed hæc, quæ tibi, Cranci, contumacia videtur, pietas erat in patriam, religio officij, & Reipublicæ jurata fides, quibus optimo, verèq; Germano principi, nihil sanctius, nihil antiquius. Vincı autẽ & succumbere non est insolens, cum justa etiam caussa non semper prosperos habeat eventus: & nusquã minus quàm in bellis eventus respondeat, pugnarumque incerti sint exitus & Mars communis. Clades ista incidit in annum 1214. Proximè insequenti Innocentius PP. Romæ concilium celebravit Lateranense quod vocant: confluxit ibi incredibilis ecclesiasticorum colluvies: aderant præterea multorum regum, principum & civitatum legati. Otto Imperator suos etiam eò amandavit, ut scribit Albertus Stadensis, verum quid petiverit, quidve impetraverit, nemo, quod sciam, litteris prodidit. Ab eo tempore ad fatalem usque emigrationis horam vixit privatus, sine omni spe, vel cogitatione Imperii recuperandi, etsi nec à titulo ejus abstineret, nec Regalia è manibus dimitteret. Semper ei in animo miserrima humanæ vitæ conditio, cujus omnis splendor, omnis potentia, unius horæ momento in ludibrium convertitur: in quâ sine fructu tantis laboribus, curis, vigiliis & acerbis contentionibus nos defatigamus ipsi & affligimus. Quoties in mentem veniebat Imperij, vel jam mortui, vel extremum spiritum trahentis, calamitosus status, toties ingemiscens fatalis istius mali fontem, originem & incrementa familiaribus exponebat. Querebatur non sine lacrymis, de effrenatâ impudentique pertinacia & libidine dominandi in Romanis Pontificibus, qui Germanici sanguinis Imperatoribus inani titulo delusis

delusis circumscriptisque maximam florentissimamq; Italiæ partem, vel ipsi tenerent, vel obnoxiis clientibus jure beneficiario locarent: potissimos Reipublicæ reditus & obventiones per inobservatam fraudem infucatamque malitiam acquisitas, non usurparent tantum illicitè, sed turpiter illis abutendo aliquot jam seculis legitimum magistratum oppugnarent. Quâ in re exarescente in dies singulos sincerâ pietate, senescente simul officii commissi curâ, æmulos etiam inveniant alios ecclesiastici ordinis optimates, quibus perjucundum, abdicato summorum principum dominatu, in absolutam perfectamque libertatem vindicari. In quibusdam Principibus Germaniæ sui ævi detestabatur, partim desultoriam levitatem, ab inexplebili *δωροδοκίᾳ* profectam, prætérea summam ingratitudinem, qualem expertus fuerat in Moguntino & Magdeburgio. archiepiscopis, Rege Boëmo, & Turingiæ Lantgravio, quos luculentis beneficiis affectos hostes invenisset adversissimos: partim segnitiem, ignaviam & socordiam, quòd augescente cottidie inevitabili periculo, tam à callidis Italorum machinationibus, quam simultatibus & dissidiis domesticis, nemo de remedio tempestivè adhibendo esset solicitus, omnes in utrumvis oculum & aures dormirent. Semetipsum in tantâ conversione rerum & perturbatione, consolabatur optimæ mentis conscientiâ, quòd nihil contra Deum, nihil contra leges patrias deditâ operâ scienterque egisset: finem & scopum consiliorum actionumque omnium fuisse Imperij salutem, & dignitatem patriæ, à quo si aberrasset fortassis, solatio esse, quòd in terris nemo quisquam labis expers, etiamsi ad summum virtutis verticem pervenerit: quòd peccet etiam sapiente sapientior. *Nec tamen indignabatur sibi, quòd consilium sumsisset ecclesiæ Romanæ oppugnandæ*, ut Crancius Saxon. lib. 7. c. 35. somniat. Imo tali in casu id omnino faciundum sibi fuisse arbitrabatur. Sumptus Reipublicæ impensos, utut impendiò magni essent, quippe qui adventitiam hereditatem, eamque luculentam, Comitatum Pictaviensem in Gallijs, Eboracensem in Angliâ, absorpsissent, in Saxoniâ patrimonium avitum vehementer attrivissent, eneruassent, oblivioni lubens dabat, ponens in gloriâ, non tantùm fecisse damnum pro patriâ, verùm etiam ex duobus vulneribus, diversis præliis fortiter pugnan-

 do ac-

do acceptis, adversas ostentare posse cicatrices. De salute Reipublicæ ad extremum usque halitum fuisse solicitum quis dubitarit? fidem facit religiosa pietas & patriæ amor. Accedit integer incorrupti ævi testis Ioannes Stadtweg/ cuius Chronicon Latino-Germanicum MSC. asservatur in curiâ inclytæ Reipublicæ Hildesiensis, mecum inde benevolè communicatum, in quo vernaculâ linguâ leguntur verba sequentia: Do Keyser Otto to Banne was/ wolde he nicht rouen/ noch striden/ unde toch to der Harzborg unde sprack vaken/ leve Gott/ gif einen guden Heren/ de din Volck regere/ unde starff dar in groter ruwe/ unde wart begraven to Brunswick. Quæ verba Latinè reddi sic possunt: *Cùm diris innodatus esset Otto Imperator, neq; prædas agere, neq; pugnare volebat: sed Hartsburgum se conferens frequenter ista usurpabat verba: Benigne Deus, da principem bonum, qui populum tuum gubernet. Ibidem seriam agens pœnitentiam vitâ excessit, sepultus Brunsuigæ.* Non multum hæc abeunt à piâ Theodosij magni Imp. solicitudine: nam ut ille morti vicinus, Divo Ambrosio testificante, de Ecclesiæ salute ingemiscendo cogitabat, sic huic de vitâ desperanti, Reipubl. in extremo sitæ felix gubernatio in votis.

Verùm satis prolixè & quidem præter institutum, dixi de Ottonis quarti Imperio, quod annorum quidem tantum viginti fuit & unius, sed ærumnis, miseriis & acerbitatibus continuis refertum ac plenum. Quod enim fuerit infortunium, quæ calamitas, cujus ille immunis vixerit? Ad avunculi Regis Angliæ Ioannis in denegandâ hereditate & legatis debitis *ἀσωχίαν*, accessit inopinatus fratris germani ad hostem transitus (historiam exponit Arnoldus Lubecensis lib. *6. c. 6.*) & quidem in præsenti discrimine, tanquam cum fortunâ fidem stare oporteat. Quos opibus mactarat, possessionibus locupletarat, dignitatibus & honoribus affecerat, hi primi fuere transfugæ, desertores, perduelles, apertis hostibus nocentiores. Tales invenit foris, plures domi, quique vel sanguinis, vel affinitatis cognatione essent propinqui, famæ, fidei, postremò omnibus rebus commodum suum anteferentes. In omnibus adversitatibus nihil accidebat tristius, nihil acerbius, quàm publicè homo nefarius, capitalis Ecclesiæ hostis & persecutor proclamari: piorum etiam communione submoveri: & hæc quidem omnia indignè præter meritum & extra noxiam. Verum ex turbulento

belluosoque isto rerum humanarum pelago in portum tutum & tranquillum eduxit eum immatura quidem, sed ἀναίμακτος, placida, & beata mors, immissa ei in patriâ, apud suos. Quâ in re adversarijs & in Imperio æmulis, Philippo ac Friderico, longè fuit felicior: illo immaniter ferro trucidato, hoc potione venenatâ, sive violentâ suffocatione, variant enim annales, interempto. Historiam mortis Ottonis, ut in ceteris factum, alienis libet verbis exponere. Sic igitur Godefridus monachus: *Eodem anno (1218.) Otto Imperator iam per annos octo vinculo excommunicationis à duobus Apostolicis innodatus, cum septem honoratos viros pro impetrandâ veniâ Romam mitteret, sed tamen stare mandato eorum non admitteret, post Pascha febre corripitur. Deinde ingravescente morbo, ubi sibi diem mortis imminere cognovit, Episcopum de Hildensheim & alios religiosos & sapientes viros, scilicet abbates & sacerdotes, convocat, & cum gemitu & lacrymis quid sibi agendum foret, vel qualiter à modo excommunicationis absolvi posset, consulit. Ad quorum consilium, cum mandato Apostolici stare iurasset, ab Episcopo absolvitur. Deinde, ordinato testamento suo factâq; confessione, cum perceptione sanctæ communionis & sacræ unctionis, cum magnâ contritione cordis in castro, quod dicitur Hartzborg, Idibus Maii moritur. Corpus Brunsvvich translatum & Imperialibus indumentis iuxta patrem suum & matrem in ecclesiâ Blasii sepelitur.* Hactenus ille. Albertus abbas Stadensis pœnitentiam Ottonis noluit esse simplicem, ideoque de suo tragicum quid admiscens scribit: *Otto Imperator, anno regni sui vicesimo, in castro Hartesborg ineffabili contritione compunctus, ita ut coquinariis suis præciperet, ut in collum suum conculcarent, 14. Kal. Iunij obiit, à Sifrido Hildensemensi Episcopo absolutus.* Crancius veterum annalium relationes sublegens, iisque pro suis utens, non potuit sibi imperare, quin ἐπίσαγμα invidiosum adderet, sic enim Saxon. lib. 7. cap. 37. inquit: *Otto Imperator, cum magnis diu laboribus per annos penè viginti in Regno & Imperio laborasset, nihil adeo sensit infortunatum, quàm Ecclesiæ rebellionem: unde factum est, ut nunquam postea felix successibus esset. Cum autem morbo laboraret, qui vitam illi abstulit, nimium facti pœnitens & ineffabili contritione compunctus, in arce Hartesburg mansitabat. A Sifrido Hildensemensi Episcopo absolutus in pace quievit: quam absolutionem Honorius Papa ratificavit. Tantâ autem fuisse fertur morituri pœnitudo, ut coquina-*

do acceptis, adversas ostentare posse cicatrices. De salute Reipublicæ ad extremum usque halitum fuisse solicitum quis dubitarit? fidem facit religiosa pietas & patriæ amor. Accedit integer incorrupti ævi testis Ioannes Stadtweg/ cuius Chronicon Latino-Germanicum MSC. asservatur in curiâ inclytæ Reipublicæ Hildesiensis, mecum inde benevolè communicatum, in quo vernaculâ linguâ leguntur verba sequentia: Do Keyser Otto to Banne was/ wolde he nicht rouen/ noch striden/ unde toch to der Harzborg unde sprack vaken/ leve Gott/ gif einen guden Heren/ de din Volck regere/ unde starff dar in groter ruwe/ unde wart begraven to Brunswick. Quæ verba Latinè reddi sic possunt: *Cùm diris innodatus esset Otto Imperator, neq; prædas agere, neq; pugnare volebat: sed Hartsburgum se conferens frequenter ista usurpabat verba: Benigne Deus, da principem bonum, qui populum tuum gubernet. Ibidem seriam agens pœnitentiam vitâ excessit, sepultus Brunsuigæ.* Non multum hæc abeunt à piâ Theodosij magni Imp. solicitudine: nam ut ille morti vicinus, Divo Ambrosio testificante, de Ecclesiæ salute ingemiscendo cogitabat, sic huic de vitâ desperanti, Reipubl. in extremo sitæ felix gubernatio in votis.

Verùm satis prolixè & quidem præter institutum, dixi de Ottonis quarti Imperio, quod annorum quidem tantum viginti fuit & unius, sed ærumnis, miseriis & acerbitatibus continuis refertum ac plenum. Quod enim fuerit infortunium, quæ calamitas, cujus ille immunis vixerit? Ad avunculi Regis Angliæ Ioannis in denegandâ hereditate & legatis debitis ἀστοργίαν, accessit inopinatus fratris germani ad hostem transitus (historiam exponit Arnoldus Lubecensis lib. 6. c. 6.) & quidem in præsenti discrimine, tanquam cum fortunâ fidem stare oporteat. Quos opibus mactarat, possessionibus locupletarat, dignitatibus & honoribus affecerat, hi primi fuere transfugæ, desertores, perduelles, apertis hostibus nocentiores. Tales invenit foris, plures domi, quique vel sanguinis, vel affinitatis cognatione essent propinqui, famæ, fidei, postremò omnibus rebus commodum suum anteferentes. In omnibus adversitatibus nihil accidebat tristius, nihil acerbius, quàm publicè homo nefarius, capitalis Ecclesiæ hostis & persecutor proclamari: piorum etiam communione submoveri: & hæc quidem omnia indignè præter meritum & extra noxiam. Verum ex turbulento

Belluo-

belluoſoque iſto rerum humanarum pelago in portum tutum & tranquillum eduxit eum immatura quidem, ſed ἀναίμακτος, placida, & beata mors, immiſſa ei in patriâ, apud ſuos. Quâ in re adverſarijs & in Imperio æmulis, Philippo ac Friderico, longè fuit felicior: illo immaniter ferro trucidato, hoc potione venenatâ, ſive violentâ ſuffocatione, variant enim annales, interempto. Hiſtoriam mortis Ottonis, ut in ceteris factum, alienis libet verbis exponere. Sic igitur Godefridus monachus: *Eodem anno (1218.) Otto Imperator iam per annos octo vinculo excommunicationis à duobus Apoſtolicis innodatus, cum ſeptem honoratos viros pro impetrandâ veniâ Romam mitteret, ſed tamen ſtare mandato eorum non admitteret, poſt Paſcha febre corripitur. Deinde ingraveſcente morbo, ubi ſibi diem mortis imminere cognovit, Epiſcopum de Hildensheim & alios religioſos & ſapientes viros, ſcilicet abbates & ſacerdotes, convocat, & cum gemitu & lacrymis quid ſibi agendum foret, vel qualiter à modo excommunicationis abſolvi poſſet, conſulit. Ad quorum conſilium, cum mandato Apoſtolici ſtare iuraſſet, ab Epiſcopo abſolvitur. Deinde, ordinato teſtamento ſuo factâq; confeſſione, cum perceptione ſanctæ communionis & ſacræ unctionis, cum magnâ contritione cordis in caſtro, quod dicitur Hartzborg, Idibus Maii moritur. Corpus Brunſvvich translatum & Imperialibus indumentis iuxta patrem ſuum & matrem in eccleſiâ Blaſii ſepelitur.* Hactenus ille. Albertus abbas Stadenſis pœnitentiam Ottonis noluit eſſe ſimplicem, ideoque de ſuo tragicum quid admiſcens ſcribit: *Otto Imperator, anno regni ſui viceſimo, in caſtro Hartesborg ineffabili contritione compunctus, ita ut coquinariis ſuis præciperet, ut in collum ſuum conculcarent, 14. Kal. Iunij obiit, à Sifrido Hildenſemenſi Epiſcopo abſolutus.* Crancius veterum annalium relationes ſublegens, iisque pro ſuis utens, non potuit ſibi imperare, quin ἐπίσαγμα invidioſum adderet, ſic enim Saxon. lib. 7. cap. 37. inquit: *Otto Imperator, cum magnis diu laboribus per annos penè viginti in Regno & Imperio laboraſſet, nihil adeo ſenſit infortunatum, quàm Eccleſiæ rebellionem: unde factum eſt, ut nunquam poſtea felix ſucceſſibus eſſet. Cum autem morbo laboraret, qui vitam illi abſtulit, nimium facti pœnitens & ineffabili contritione compunctus, in arce Hartesburg manſitabat. A Sifrido Hildenſemenſi Epiſcopo abſolutus in pace quievit: quam abſolutionem Honorius Papa ratificavit. Tantâ autem fuiſſe fertur morituri pœnitudo, ut coquina-*

riis suis preciperet collum suum calcaneis premere & VILISSIMAM DEI CREATVRAM omnino supplantare. Optima autem spes salutis in tantâ contritione! Sigonio locus hic ex Crancio adeo arrisit, ut integrum lib. 16. de regno Italiæ inseruerit: caussa est in promptu, faciebat pro Pontifice, quem vel leviter offendisse tanti erat. Quæ verò ista insania? quis furor? supremum orbis Christiani monarcham, quem divina majestas Vicarium suum, imo Deum pronunciat, inaudito inter verè pios exemplo, infra omnes Dei creaturas abjicere? Vbi, viri literati, viri sapientes, Cranci, Sigoni, ubi, cum hæc scriberetis, frons vestra, pudor vester? Si de omni otioso verbo reddenda aliquando ratio, quam auferet mercedem hæc insolentia, hæc dicacitas? Ego nec Mercurio quidem logos istos garrienti fidem adjunxerim. Chronica Slavica satis habet de magnâ contritione dixisse, plura non addit, non enim ex veritate poterat. Vtinam autem infelix Imperator, animo & corpore æger secum habuisset, qui ex limpidis Israëlis fontibus animo perturbato cumque tentationibus colluctanti, efficaces instillassent consolationes! quibus deficientibus, non potuit non persentiscere acerbos conscientiæ morsus, quos tantum aberat, ut superstitiosi rerumque sacrarum inopes & imperiti sacrificuli lenirent, ut novis injectis laqueis animum ægrum amplius excarnificarent. Permirum verò, quòd moribundum non induerunt sordidâ monachi cucullâ, valido, ut creditum volebant hodieque non negant sectatores, contra Diaboli assultus munimento. De beato Ottonis ex hac vitâ excessu Thomas VValsinghamus, Historicus Anglus, Hypodigmate Neustriæ mirificam texit narrationem, cui licet tribuam, quantum debeo, inseram tamen hoc loco, cum de pietate defuncti quale, quale testimonium perhibeat. Sic igitur ille: *Otto quondam Imperator, adversante sibi fortunâ, post bellum proximè supra dictum, in Saxoniam reversus, privatam vitam toto ævo suo vixit in Ducatu, qui sibi iure hereditario competebat. Tandem dysenteriæ morbo laborans, convocatis Episcopis alioq; clero, instanter cum lacrymis absolutionem super suâ rebellione petiit & accepit. Miles quidam Anglicus, dictus Philippus de Bonavillâ, qui sub isto Ottone plurimis annis militaverat, sæpe de illo magnâ cum devotione referre solebat. Cum instante morte viaticum recipere (quia nil retinere poterat) non auderet, tamen*

corpus

corpus Christi ad instantiam eius, ut illud videret, allatum humiliter adoravit. Et cum quasi amplexaturus brachiis expansis nudato corpore appropinquaret, hostia illa in loco ubi cor latuit, facta apertura intravit prosiliens de manu sacerdotis, & absque omni cicatricis vestigio reclusus est locus: sicq; recumbens spiritum reddidit. Hactenus VValsinghamus. Pridie quam extremum vitæ spiritum edidit, testamentum fecit Otto, præsentibus Sigfrido Episcopo Hildensheimense, Friderico abbate Luterense, Ottone præposito Scheningense, Gozvvino præposito Novi-operis urbe Halberstadensi, Conrado Decano majoris ædis Hildensheimensis, Henrico Comite VVoldenburgio, Luthardo dynastâ Meinersheimio, Gunzelino Dapifero, Henrico Marschalco, Rötgero de Veltheim, alijsque pluribus. Testamentum ipsum, duobus ex locis mecum communicatum, tale est: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Dei gratiâ Otto quartus Rom. Imp. & semper Augustus, dilectis fidelibus suis, Henrico fratri suo Palatino Comiti Reni, ministerialibus suis, & universis Burgensibus suis in Brunesvvic, & omnibus hoc-scriptum intuentibus, salutem in eo, qui est salus omnium. Quæ temporaliter acta sunt, ne instabilem temporis sequantur naturam, testimonio litterarum memoriæ sunt commendanda. Nos igitur ob remedium animæ nostræ testamentum nostrum facientes, omni affectione quâ possumus, te frater Henrice Palatine Comes Reni, rogamus, ut si Deus, in cuius ditione cuncta sunt posita, preceptum suum de nobis fecerit, ut universæ carnis viam ingrediamur, quatenus pro amore Dei, & in eâ fide, quâ nobis hominio & fraternitate astrictus es, sanctam crucem, lanceam & coronam, dentem S. Ioannis Baptistæ, & Imperialia insignia, præter pallium nostrum, quod dandum est ad S. Egidium, viginti septimanas post discessum nostrum conserves, & nulli hominum sub cælo repræsentes, nisi ei, quem principes unanimiter elegerint & iuste, aut ei, qui nunc est electus, si principes in eum consenserint, & pro his repræsentandis pro honore Dei & nostrâ salute nullam acceptis pecuniam, nisi nostrum & tuum patrimonium per ipsa Imperialia possis requirere. Quod si non potest fieri super gratiâ ipsius, qui habiturus est regnum, quæ præfata omnia resignes. Rogamus etiam vos, fidissimi ministeriales, sub fidelitatis debito, & vos dilecti & fideles cives nostri in Brunesvvic, ut his omnibus promovendis fideliter & efficaciter, sicut vobis confidimus, assistatis. Ad hæc volumus, ut uxor nostra cum Dapifero Gunzelino & fideli bus*

fidelibus nostris castrum Harlungeberg possideat, donec quicunq; Rex vel Imperator est, aut frater noster, seu uxor nostra, dominabus in VValsingerodh de expeditis bonis annuatim 30. marcas perpetualiter & immutabiliter assignet, & eos, qui montis heredes sunt, à suâ petitione cedere faciat per restaurum ipsis beneplacitum, tunc uxor nostra reddat castrum Imperio, aut fratri nostro: sed si processum non habet de castro, ut prætactum est, volumus ut castrum destruatur. Omnes reliquias, quas pater noster habuit & nos habemus, Deo & S. Ioanni Baptistæ & S. Blasio in Brunesvvic perpetualiter offerimus, præter unum brachium, quod uxori nostræ repræsentabitur. Quicquid autem in auro & in gemmis & in clenodijs habemus, damus uxori nostræ. Castrum in Quedlingeburg destrui volumus antequam Abbatissa restituatur. Destructâ verò munitione locus cum ecclesiâ restituatur Abbatissa: & nostrum frumentum, quod ibi est, & reliqua quibus argentum comparari potest, Abbatissæ & eius conventui detur pro remedio animæ nostræ, præter balistas, quæ dabuntur transmarinare volentibus, ut super hostes Dei torqueantur: & annona, quæ Ascherslevæ ablata fuit, reddi debet hominibus & inter ipsos distribui. Iurabunt itaq; Gunzelinus Dapifer & Ecbertus filius suus, ut castrum VValbeke teneant annum, infra quem terminum mittet ad Apostolicum frater noster, si in voluntate ipsius, & eorum, qui heredes montis sunt, castrum habere potest, cum salute animæ nostræ, repræsentabitur fratri nostro castrum: si non potest fieri cum salute animæ nostræ, castrum destruatur. Advocatiam in VVallebeke, quam denarijs nostris comparavimus, ipsius loci conventui offerimus. Castrum Hartisburg repræsentabitur Imperio & eidem cedet turris, quam in eo construximus. Comites de VValdenburg habeant feodum suum; Luthardus de Meinersen feodum suum, Arnoldus de Borchtorp turrim suam cum feodo suo, & alij sicut ab Imperio tenere debent, habeant feodum suum. Castrum Levvenburg reddatur Ottoni de Luneburg nepoti nostro, quia patrimonium suum est & eius cessit portioni. Castrum Varsfelde reddatur Gardolpho de Hathmerslevæ, sed si frater noster vult habere, dabit pro ipso centum marcas. Omnia bona nostra in Zeverlingeburg & ipsum locum cum ecclesiis, cum agris, cum pascuis, cum pratis, cum silvis & cum piscaturis & cum omni integritate, quâ hæc & alia omnia ipsi loco contulimus, Deo & S. Mariæ, S. Ioanni Baptistæ & S. Blasio in Brunesvvic offerimus, eo videlicet ordine, ut conventus de S. Blasio statuat ibi sacerdotem subdiaconum, ut sint ibi

divina

divina in honore Dei & beatæ virginis Mariæ indesinenter, pro anima nostra salute: reliqua verò omnia ad præbendam suam utiliter convertant. Rogamus & te, frater carissime, omni quâ possumus intentione & diligentiâ, ut hanc nostram ordinationem firmam & inconvulsam teneas, pro amore Dei & nostrâ & tuâ salute, quoniam speramus & credimus, istud honestius esse Deo, & animæ nostræ & tuæ salubrius, quàm ut præscriptus locus in eo statu, quo fuit, contra nostram salutem malè periret. Vt autem hæc nostra voluntas effectui mancipetur, ad laudem Dei & salutem animæ nostræ, hoc scriptum nostro sigillo corroborari fecimus, omnem aditum malignandi præcludentes. Huius rei testes sunt Sifridus Episcopus Hildesheimensis, Conradus Decanus, Conradus Cantor, Conradus Scholasticus, Henricus de Tossen, Bartoldus Canonicus S. Mauricij, Magister Marsilius Canonicus S. Crucis. Laici verò, Comes Henricus de VVoldenberg, Luthardus de Meinersen, Gunzelinus Dapifer, Alardus de Borchtorp, VVernerus de Lengete, Bartoldus de VVetelemstede, Henricus de VVrete, Rotterus de Veltem, Ioannes de Bornem & alij complures. Datum Hartisburg 11. Iunij anno 1218. Donationem prædij, sive curtis Zeverlingeburgiæ confirmavit Sigfridus Hildensheimensis Antistes, cujus totiens meminimus, in ejus enim diœcesi Cis Ocranâ sita erat. Litteras addam, quod luculentum perhibeant testimonium de jugi & constanti Ottonis Cæsaris pietate, cui omnium virtutum reginæ, cùm tanquam pedisequæ perpetuò adhæreant, humilitas, mansuetudo, castitas, non equidem video, quâ fronte, quâve conscientia, recentiores Ottoni *insolentis ac pretumidi ingenij ineptum fastum ex alto alios principes despicientem*, præterea *libidines & incontinentiam*, impingant. Diploma tale est: *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Sifridus Dei gratia Hildensheimensis Episcopus, universis Christi fidelibus, hoc scriptum videntibus, salutem in vero salutari. Admonet nos cura suscepti regiminis & auctoritas Pontificalis inducit, ut pro statu ecclesiarum simus soliciti, & earum profectibus & incrementis diligenti solicitudine intendamus. Quapropter notum esse volumus, tam præsentibus, quàm futuris, quòd Serenissimo Domino nostro Ottone, illustri Romanorum Imperatore, in castro suo Hartesborg existente, cùm nos & alij quamplures viri honesti, tam clerici, quàm laici, ibidem secum essemus, ipse sicut* VIR DEVOTUS, ET QUI SEMPER DEUM PRAE OCULIS HABERAT, *nobiscum de salute animæ suæ diligenter pertractavit, & consilio*

prudentum & familiarium suorum, cum bene compos sui esset, & nullâ prægravatus infirmitate, in hoc convenit, quòd locum Scheverlingeberg, ubi de consensu fratris sui novam plantationem inceperat, integraliter cum omni emolumento & iuris integritate, nec non & generaliter universis bonis attinentibus, ecclesiæ beati Ioannis Baptistæ & Blasii in Brunesvvick contulit perpetuò habendum & possidendum, ut Canonici ibidem de præfatis bonis ad utilitatem ecclesiæ disponant, quicquid secundùm Deum ipsis visum fuerit disponendum, & eorum prebendæ emendentur, & loco priori in tribus personis, sacerdote, diacono & subdiacono, honestè provideant. Quia ergo hæc donatio solemniter & coram honestis viris est celebrata, eorum nomina in fine paginæ adnotabimus. Postea verò corpus eius defunctum cùm ad ecclesiam beati Blasii deferretur sepeliendum, requisitus in exequys suis frater eius Henricus, illustris Dux Saxoniæ, utrum factum fratris ratum vellet habere, respondit, quòd omnia, quæ pro salute animæ suæ statuisset, benivolo corde semper vellet habere rata & inconvulsa. Nos ergo, audito eius consensu, universa bona supra dicta præfatæ ecclesiæ sub interminatione excommunicationis & Episcopalis officij, per sententiam coram omnibus, qui sepulturæ interfuerunt, solemniter confirmavimus, districtè præcipientes, ne quis de cetero sæpe-dictam ecclesiam in eisdem bonis impedire aut molestare præsumat. Vnde nimirum hanc chartam in perpetuum robur & munimen ecclesiæ sigillo nostro communiri fecimus. Priori verò donationi & huic facto in testimonium veritatis interfuerunt, Fridericus abbas in Luttere, Otto Præpositus in Schenigen, Gozvvinus Præpositus Novi operis in Halberstadt, Lambertus Prior in Riddagshusen, Conradus maioris ecclesiæ in Hildensheim Decanus, Conradus Cantor, Conradus Scholasticus, Henricus de Tossen, Magister Marsilius, Ambrosius de Franckenberg. Laici autem, Comes Henricus de VVoldenberg, Luthardus de Meinersen, Bernhardus de Hostmar, Gunzelinus Dapifer, Iordanus Dapifer & Iordanus filius suus, Bertramus de Veltum, VVillekinus Marschalcus & Henricus frater suus. Acta sunt hæc anno incarnationis Dominicæ 1218.

Huic confirmationi accessit altera Gregorij noni Pontificis Romani, impetrata anno 1227. qui Papatus primus. Zeverlingeburgum olim Gertrudis Ecberti primi, Saxoniæ marchionis filiæ, fuit heredium, eoque ipsa se recepit, postquam ab Henrico 4. Imperatore consobrino, Dancvverderodâ per vim ejecta exsulatum iret. Divisione patrimonij inter Henrici Leonis filios anno 1203. Paderborna

bornæ factâ.cum ipsâ urbe Brunsuigâ,in ditionem Ottonis pervenit, qui pòst annos decem ex voto propter loci opportunitatem cœnobium ibi auspicari, eiq; de possessionibus reditibusq; annuis abundè prospicere instituit: quod cùm propter belli civilis tumultus ex animi sententiâ confieri non posset, morti proximus bona semel Deo dicata ad collegium Sanblasianum transtulit, anno 1213. Vetus nomen Zeverlingeburgi jampridem obsolevit, proque eo hodie Vallum indigitatur, notionem ignoro. De anno Ottonis emortuali consentiunt plærique scriptores, eo scilicet, quem testamento appositum videmus: de die differentia est. Carolus Sigonius nominat 5. Kal. Maij, hoc est, 27. Aprilis. Huic suffragantur Hieronymus Henningesius, Elias Reusnerus & Cyriacus Spangenbergius. Godefridus monachus habet Idus Maij, diem scilicet 15. Rectius Albertus abbas Stadensis nominat 14. Kal. Junij, qui est dies 19. Maij, quod examussim consentit cum antiquitatibus SanBlasianis, in quibus testamenti factio collocatur in 18. Maij, quem postridie mors insecuta. Sepulcrum accepit Otto Brunsuigæ, in æde, ut memini, Sanblasianâ, ubi cum parentibus & conjuge Beatrice commune ei positum Epitaphium aureis litteris tabulæ ligneæ inscriptum hisce versibus:

Hic iacet Henricus quondam Dux, conditor huius
Ecclesia, dignus nobilitate, piis.
Moribus ornata sibi coniunx est seciata,
Pauperibus larga, simplicitate bona.
Inclyta Mechtildis Anglorum filia regis,
Nutriat angelicis hos Deus ipse cibis.
Adiacet optatus Rex horum sanguine natus
Otto coronatus, vermibus esca datus,
Huius erat sponsa Philippi stirps generosa,
Filia formosa, nunc cinis, antè rosa.
Qui legis hac metra, memor horum sis peto: pensa,
Quid caro, quid vita, quid res, nisi mors, cinis, umbra.

Defuncti possessiones hereditarias, & quicquid post amissum Imperium congregaverat, Henricus comes Palatinus frater sibi usurpavit. Chronicon magnum Belgicum: nam tertius Leonis filius VVilhelmus ante sexennium vitâ cesserat, relicto unico filio Ottone impubere, qui familiam

miliam propagavit. Atque hæc sunt, quæ de Ottonis Saxonis primâ, eâque in controversiam deductâ electione, præterea de alterâ, quâ *Rex animosus* (utor verbis Conradi Fabariensis lib. de casibus monasterij San-gallensis, cap. 8.) Iudice Deo Electus, *quicquid in electione prius habuit infirmû, coadunatis in electione Principibus, omnique tergiversatione postpositâ universaliter eligitur in Regem*: æmulo è medio sublato, *indubitatus Imperator*, Crancius Metrop. lib. 7. cap. 25 denique de injustissima ab Imperio remotione, ut & beato ac tranquillo ex hac vitâ excessu, dicere habui, puram meramq; in omnibus secutus veritatem. In primâ electione nullum invenias ambitum, nullam prensationem, nullos numarios electores, nulla arma injustè sumpta: nihil actum Pontificum impulsu, nihil extra vocationem & ordinem. In secundâ omnia jure, more majorum atque legibus. Primordia regni fuere auspicata, plena firmæ spei subsecuturæ solidæ in toto Romano Imperio pacis, tranquillitatis, omniumque rerum abundantiæ, cujus dextrum omen erat, quòd aliquot annorum annonam carissimam derepente vilitas nec opinata consecuta est: respondissetque sine dubio eventus, nisi Ate trans-Alpina; decantatâ illâ Homericâ pernicior magisque oculata, Litis moram facientibus, totum hoc interpellasset: quod ipsum vix aliter sperari potuit, *cum reverâ Imperialis felicitas Papali semper impugnetur invidiâ*, ut Fridericus 2. Imperator apud Petrum de Vineis, lib. 1. cap. 31. Remotio ab Imperio indignissima fuit & iniquissima: spectamen insolentiæ & tyrannidis Pontificiæ; usurpantis sibi indebitum in magistratum politicum imperium; evertentis pariter divinas ac humanas leges; fixum destinatumque in animo habentis, *lævâ templum, dextrâ palatium tenere*, ut de Constantino Mesopotameno Nicetas Choniates lib. 2. loquitur. Esto autem aliquâ in re deliquerit Otto; istum tamen in modum corripiendus corrigendusque nequaquam fuit. *Vt enim medici non est pœnam irrogare, sed sanare: ita Pontificem non punire, sed curare delinquentes decet*, Pachymerius lib. 8. Quàm verò implacabili pertinaciq; fuerit ingenio Innocentius, ostendit Vrspergensis, apud quem Thrasonicè minitatur, *ablaturum se Philippo diadema, aut illum sibi insigne Pontificium.* Quæ verba non mansuetum aliquem è synagogâ Christi discipulum, sed feroculi cujusdam gladiatoris gregalem olent.

olent. Verum non defuit fortassis Ottoni, quod in eo ecclesiastici optimates suâ opinione jure odisse aversarique poterant, nimirum, quod eorum luxum, petulantiam, ambitionem & libidinem refrenare, vitamque, quam agerent & mores, ad Apostolicam integritatem veteremque sanctimoniam revocare: denique opes interdictas, *certissima iniquitatis instrumenta, summiq; materiam mali*, adimere eis vellet: indubitatè ex disciplinâ avi materni Henrici 2. sapientissimi Anglorum regis apud Guillermum Neubrigensem rerum Anglicar. lib. 3. cap. 25. dicentis: *Nonne melius est, ut pecunia ista impendantur necessariis regni negotiis, quam in Episcoporum absumantur delitiis? Nostri enim temporis præsules veterum in se formam minimè exprimunt: sed circa officium remissi & languidi totis mundum brachiis amplectuntur &c.* Aut parentis Henrici Leonis, qui ut Crancius Metropol. lib. 7. cap. 1. *invidens Episcopis rerum omnium tam latam ditionem, arbitrabatur administrationem rerum per provincias deberi Principibus, Episcopos autem solis curandis sacris intendere oportere.* Sane de opibus malo auspicio in ecclesiam illatis graviter hunc in modum differit Ioann. Gerson, de concilio generali unius obed. *Bona temporalia reddiderunt Ecclesiam totam brutalem & carnalem, & nihil ferè sapientem de his, quæ Dei sunt erga salutem animarum, non ex se quidem, sed abutentium vitio.* Hæc ille. Ottonis consilium exponitur apud Guillermum Britonem lib. 10. Philippidos oratione in conventu Valenciniano apud Hannones habitâ, cujus partem subjiciam.

Clerum autem & Monachos, quos sic exaltat amatq;
Protegit & vigili defendit corde Philippus,
Aut occidamus aut deportemus oportet.
Sic tamen, ut pauci maneant, quibus arcta facultas
Sit satis, oblatâ tantummodo qui stipe vivant:
Villas & decimas majores miles habeto,
Et quibus est cura Respublica, qui populos, qui
Pugnando faciunt in pace quiescere clerum.
Illo quippe die, quo me diademate primùm
Reddidit insignem Patrum Pater Imperiali,
Hanc promulgavi legem, in scriptisq; redactam,
Jussi per totum servari firmiter orbem:

Ecclesiæ decimas oblataq; munera tantùm
Possideant, villas nobis & prædia linquant,
Vivat ut hinc populus habeatq; stipendia miles.
Nunc quia lege mihi Clerus non paret in istâ,
Nonne gravare manum nunquid non debeo magnas
Cum villis decimas illis auferre licenter?
Nunquid non possum legem superaddere legi
Tuditæ Karoli villas qui noluit illis
Tollere? si decimas ipsis tulit ille, mihi non
Villas cum decimis auferre licebit eisdem?
Condere qui possum leges & iura novare,
Imperium solus teneo qui totius orbis.
Nonne licet nobis hac Clerum lege ligare,
Rebus ut oblatis contenti primitiisq;
Iam discant humiles magis esse, minusq; superbi?
Quàm satius, quàm commodius, me iura novante,
Impiger hec tam culta novalia miles habebit,
Et villas tot delitiis opibusq; fluentes,
Quàm genus hoc pigrum & fruges consumere natum,
Otia quod ducit, quod tecto marcet & umbrâ,
Qui frustra vivunt, quorum labor omnis in hoc est,
Ut Baccho Venerique vacent: quibus inflat ebestis
Crapula colla poris oneratq; abdomine ventres.
Unde ego quamprimum prædictâ in lege rebellis
Papa fuit nobis, Montem Flasconis Aquamque
Pendentem, Biteal, Radichofonis ardua, sancti
Quiriaci castrum, Bisterbica mœnia, Biocum,
Vicosq; innumeros, castellaq; plurima, dives
Roma quibus circumvallatur, protinus ipsi
Fortior eripui, multoq; potentior armis
Ipso quæ teneo nolente diuq; tenebo,
Quamvis imperium mihi supplantare laboret,
Præsumens nostrum promittere ius Friderico.

Hactenus Oratio Ottonis, qui hujus suæ Reformationis initium facere voluit ab opulento illo & amplo Episcopatu Leodiensi in Belgico, ut collector magni Chronici Belgici indicat. Agebat ibi Episco-

Episcopum Hugo, nobili natus prosapiâ, litteratus & magnanimus, sed sublati & arrogantis ingenij. Qui cùm concilio Lateranensi interesset, *primâ die Synodi fertur sedisse inter Prælatos habitu laicali, quasi Comes, in mantello & tunicâ de scarlaco, capellum viride habens in capite. Secundâ verò die tanquam Dux in cappâ manicatâ viridi, & tertiâ die tanquam Episcopus*, Idem collector. Hujuscemodi degeneres Episcopos, luxuriâ & lasciviâ diffluentes, *paleas sacri ordinis*, ut Guil. Neubrigensis lib. 2. rerum Anglicar. cap. 16. *libentius præliantes, quàm prædicantes*, ut idem lib. 5. cap. 22. cum pij Imperatores, Reges & principes, invitis intuerentur oculis, non potuerunt non ingemiscere, dolere & indignari, opes ecclesiasticas, majoribus suis per religionis simulationem & hypocrisin extortas, tam turpi & sacrilego abusu prodigi & dilapidari. Necesse igitur habuere, nisi Rempublicam, nisi patriam perditam proditamque vellent, de remediis malo invalescenti adhibendis seriam suscipere curam. Quâ in re suam etiam fidem & operam Fridericus Ottonis successor desiderari noluit. Sic enim apud Petrum de Vineis lib. 1. Epistolâ 2. scribit: *Semper fuit nostra voluntatis, clericos cuiuslibet religionis ad hoc inducere, & præcipuè maximos, ut tales perseverent in fine, quales fuerunt in Ecclesiâ primitivâ, apostolicam vitam ducentes, & humilitatem Dominicam imitantes. Tales namq; clerici solebant angelos intueri, miraculis coruscare, ægros curare, mortuos suscitare & sanctitate vitæ, non armis, sibi reges & principes subiugare: at isti inebriati delicijs Deum postponunt, quorum ex affluentiâ divitiarum religio suffocatur. Talibus ergo subtrahere divitias nocentes, quibus damnabiliter onerantur, opus est caritatis. Ad hoc vos Principes unà nobiscum, ut cuncta superflua deponentes modicis rebus contenti soli Deo serviant, cui serviunt omnia, omnem quam potestis debetis diligentiam adhibere, &c.* Meminit Monachus Paduanus lib. 2. his verbis: *Imperator superbiæ spiritu inflammatus proponebat eisdem* (Pontificibus) *auferre iurisdictionem & possessiones villarum & castrorum, quibus ab Imperio erant ditati, & taliter volebat humiliare superbiam clericorum.* Saluberrimum mehercule, eque publico futurum commodo propositum, nisi serò nimis susceptum fuisset, dominatu Pontificum jam fundato, potentiâque stabilita: ad quam accedere quàm proximè, juraque splendorem & immunitates participare voluerunt reliqui etiam per Germaniam Antistites, plerique

que imperiosis & peramplis nati familiis. Qui omnes, post Ottonem iniquissimè diademate ac trabeâ augustali spoliatum regnoq; exsutum, cum Fridericum Siciliæ regem ad imperii gubernacula evocassent, atque ille, vivo adhuc & valente legitimè electo, uncto & consecrato Cæsare Augusto, extra vocationem atque ordinem, Pontificis impulsu, indebitum munus in humeros recepisset, immane dictu quantis eum implicarint difficultatibus, mactarint infortuniis ac damnis, objecerint vitæ periculis, onerarint probris & contumeliis: quibus cum si conferas persecutiones, injurias & molestias Ottoni conflatas, longè multumque dixeris inferiores. Quam primū enim exemplo avi, patrui & antecessoris, se accinxit ad jura Imperij deperdita recuperanda, labefactata restituenda, ad leges & consuetudines antiquatas revocandas: ad luxum, insolentiam & libidinem lascivientis cleri refrenandam: evestigio in eum insurrexit inquietorum hominum conjurata colluvies. Quanquam autem animus meminisse horret, piæq; mentes meritò blasphemias mecum abominantur, ne tamen, vel impietati patrocinari, vel silentio veritati injuriam inferre videar, pauca ex multis producam eo fini, ut palam fiat, quam indignam infelix Fridericus Papalis obsequii mercedem abstulerit. Non enim satis fuit synagogæ malignantium, post enatas offensiones, *in dubium vocatos ejus natales, jactatumq; impudenter, non genuinum, sed supposititium, non Cæsaris, sed vilissimi hominis (sive is Physicus, sive molitor, sive accipitrarius) filium esse*, Albertus Stadensis ad annum 1220. Crancius Metropol. lib. 7. cap. 38. A Gregorio 9. *frivolis & falsis de causis, postposito omni judiciario ordine, diris devotum*, Vrspergensis: *publicè proclamatum discipulum Mahometis*, Chron. Belgicum: *filium Satanæ, canem, præambulum Antichristi*, Mutius lib. 20. *accusatum profligatæ extremæq; impietatis, quippe qui Christum, Moysen & Mahometum tres nominarit Baractores, sive circulatores: quorum Moyses Hebræos, Iesus Christianos, Mahometus Saracenos seduxisset: qui fatuos appellarit, quotquot Christum de virgine natum credant*, Gobelinus ætatis 6. c 64. Chron. Augustense apud Freherum, Compilatio Chronologica ad annum 1248. Albericus Monachus trium fontium. In conciliabulo universali Lugduni in Galliis coacto, ab Innocentio papâ, *nullo modo auditis admissisq; pœnitentiâ; aliisq; rebus, quas per legatos offerebat*, Collenutius Histor.

ftor. Neapol. lib. 4. *non sine omnium audientium & circumstantium stupore & horrore* (vibrantia sunt Matthæi Parisii verba) iterum vinculo excommunicationis innodatus & abstentus redditus, principes Imperij à juramento fidelitatis absoluti alium Cæsarem eligere jussi sunt. Formula excommunicationis spurcissima, seu fulmen brutum, portentis calumniarum criminationumque detestandarum, plenissimum, legitur 6. Decret. lib. 2. tit. 14. mutilum tamen, integrum ex vetusto quodam libro præmisit Simon Schardius operi epistolarum Petri de Vineis. Habet idem Ecclesiastica Historia Magdeburg. centuriâ 13. cap. 9. de Synodis: præterea Matthæus Paris Historia majore. *Quo fulmine per orbem Christianum divulgato, quidam Principum cum multis aliis, reclamarunt, dicentes, ad Papam non pertinere, Imperatorem, vel instituere vel destituere, sed electum à Principibus coronare*, Alb. Stadens. ad an. 1245. Etsi autem Innocentius nocentissimus in hac Pseudosynodo Stentoreâ voce absentem & inauditum Imperatorem, hæreseos, sacrilegij, perjurij, contumaciæ aliorumque enormium delictorum accusarit, atq; hoc nomine excommunicatum Imperio exuerit, alias tamen violentæ istius animadversionis caussas refert Collenutius, libro antedicto, nempe, *quòd Imperator de Pontificiis nimis vera prædicarit, multaq; in eorum moribus, totâq; illâ apostolicâ vitâ desiderarit: aut quod Imperij jura acriùs defenderit: aut deniq;, quòd nimis in Italiâ potens contrà quàm voluissent, fuerit.* Quem locum tanti fecit VVolfg. Hungerus ICtus, etsi Pontificius, ut nondum exstante Ioan. Nicolai Stupani Rheti versione, ipse ex Italico translatum, suis in Cuspinianum annotationibus verbatim inseruerit. Idem Collenutius, utut censuram sumere sibi nolit, hoc tamen, quod sequitur, de Friderici 2. epistolis pronunciare non dubitat. *Ego sanè*, inquit, *multas Friderici epistolas, quæ exstant, vidi atq; legi, cùm ad Pontifices & Cardinales, tum alios Christiani orbis Principes, privatasq; etiam personas exaratas, sed nihil in eis deprehendi contra Fidei nostræ regulam, nihil hæreticum, nihil deniq;, quod aliquam Ecclesiæ oppressionem aut contumaciam ea redoleat. Sunt quidem in iis multa querelæ, lamentationes, admonitiones, de avaritiâ & ambitione sacerdotum, de Pontificis pertinaciâ, qui suas excusationes & Imperij defensionem audire nolit; deq; insidiis, quæ sibi struerentur.* Hactenus Collenutius, ICtus & eques Ferrariensis de

Friderico Imp. Cujus historia fidem facit regulæ lib. Sapientiæ cap. 11. versu 15. *διὰ ὧν τις ἁμαρτάνει, διὰ τούτων κολάζεται. Per quæ quis peccat, per eadem punitur.* Cui respondet illud Senecæ:

Quod quisq; fecit patitur: auctorem scelus
Repetit: suoq; premitur exemplo nocens.

Sed priusquam huic apologiæ fastigium imponam, dicendum aliquid de matrimonio Ottonis, de quo apud scriptores nonnihil discrepantiæ, & adversarijs nata calumniandi caussa & occasio. Duas fuisse ei conjuges affirmant omnes: ex his Mariam Ducis Brabantiæ Henrici filiam sibi despondit anno 1199. ut disertim Godefridus monachus, veruntamen domum non duxit, quòd subsecuto bello civili impediretur. Minimè verò propter consanguinitatem eam repudiavit, ut ex Vrspergensi Cuspinianus, & ex eo alij. Philippo Cæsare trucidato, de consilio principum Imperij filiæ ejus Beatrici matrimonium promisit, ut prolixè diximus suprà, quod cùm fieret, vix illa erat annorum 12. idipsum sic colligo. Irene Isaacij Imperatoris Byzantini F. Rogerij ultimi ex familiâ Normandicâ Siciliæ regis vidua, sive ut alij, rectiùs, sponsa, de voluntate Henrici VI. Imperatoris, anno 1196. die Pentecostes, ut expressè Otto de S. Blasio cap. 44. connubio juncta est Philippo Duci Sueviæ, cui si proximè insequenti peperit Beatricem primogenitam, erat illa desponsationis tempore annorum, ut dixi, duodecim, non plurium, jugalem igitur in torum adsciscì non potuit. Et absq; hoc fuisset, præpedimento erat profectio Italica, ob caussas, quas dixi, maturanda. Redux in patriam Otto anno 1214. Northusiæ splendido apparatu & magnificentiâ cum Beatrice jam annorum sedecim puellâ celebravit nuptias, verùm proh dolor! admodum inauspicatas, novâ nuptâ intra dies *quatuordecim*, ut Chronicon Saxon. vernaculum & aliud rithmis contextum: *quatuor*, ut Godefridus monachus, Trithemius, Mutius & alij, fato functâ, unde malevolis immane quanta calumniandi obvenerit occasio. Sed audiamus hîc Mutium lib. 19. differentem. *Suspicabantur*, inquit, *alij aliam mortis caussam fuisse: quidam dicebant virginem non inventam: quidam concubinas magis Imperatori placuisse: fuerunt, qui putabant, per pellices veneno sublatam, non conscio Imperatore. Inimici & Pontificij palàm dicebant, per Imperatorem illi venenum datum.* En sinistra judicia

cia proclivesque ad calumniandum animos! Inimici Ottonis, Pontificij satellites *αὐτοκλήκτοι*, qui aliter possent, aut vellent pronunciare? Spangenbergius historiæ Saxonicæ cap. 246. scribit, fuisse quos offenderit tarditas & procrastinatio nuptiarum. Verba ejus linguâ vernaculâ sunt hujusmodi: Es hatte ein böse ansehen/ das er das Beylager mit einem so Edlen und (wie in Historien gemeldet wird) schönen Frewlein / so lange auffgezogen / und doch gleichwoll andere beyschlefferin mit sich geschleppet. Hæc ille: certum non habeo, an tam verè, quàm liberè & audacter. *Non est indicare sed calumniari, si quis rem ignotam rapit in pejorem partem*, Mutius lib. 19. Caussas dilati matrimonij bonis & à suspicione vacuis animis satisfacturas indicavimus. Vnde verò infelici novæ nuptæ tam repentinus, non atramento, sed lacrymis scribendus ex hac vitâ discessus, *Deus qui profunda mentesque perscrutatur, earumq; calliditates pervidet*, Ecclesi. cap. 42. ver. 18. *qui cor perscrutatur & renes explorat*, Ierem. 17. cap. ver. 10. novit omnium optimè. De Ottone suspicari sinistrè nihil possum: & quam ille tam nefarij facinoris habuisset caussam? Si abhorrebat ab eâ, refugium erat ad divortium, isto ævo valde frequens & usitatum, quæsito prætextu, vel à sterilitate, vel à cognatione nimium propinquâ. Exemplo fuisset parens Henricus Leo, ejusque consobrinus Fridericus Barbarossa Augustus. Neq; assequor, quomodo meliori Otto esse potuisset conditione Beatrice defunctâ, quàm vivente, residuâ tum adhuc aliquâ spe Imperij retinendi, quæ à tam suspecto innocentis adolescentulæ obitu prorsus concideret atq; evanesceret. Quæ de pellicibus, sive concubinis satis inverecundè odioseque tam à Mutio, quàm Spangenbergio ingeruntur, ceu conficta & ementita, jure meritoque aversor & explodo. Persanctè enim affirmo, cùm omnes ævi istius cùm propinquorum temporum scriptores, tam domesticos, quàm exteros, editos & ineditos, diligenter inquisiverim, attentè & curiosè pellegerim, nihil tamen horum de Ottone oblatum mihi fuisse. Neque ille sic notus, ut magnorum indignus avorum, augustissimos sacri Imperij fasces, perillustre gentis Germanicæ nomen, & continuatum fundatissimæ familiæ splendorem, tam turpi probro contaminare sustinuerit. Norat *animo per libidines corrupto nihil honestum inesse. A religiosissima summaq; pietatis & casti pudoris*

decus enixè conservante matre Mathildâ Henrici Angliæ regis filia *exemplo Tobiæ ab infantiâ, Deum timere edoctus est*, ut oculatus pariterque religiosus & integer testis Arnoldus, ex monacho SanctAEgidiano Brunsuicensi primus Lubecensis abbas lib.2.cap.2. Adolescens pro laudabili istius seculi consuetudine traditus est in disciplinam ecclesiasticis hominibus, in quorum contubernio pietati & bonis litteris operam navavit diligentem: unde factum, quod de eo prædicantem audivimus Sigfridum Hildensheimensem Episcopum, ut DEUM SEMPER PRAE OCULIS HABUERIT. Occasione exsilii parentum deductus in Gallias vixit apud avunculum Richardum Comitem Pictaviensem, *virum magnæ probitatis*, ut Robertus de Monte. Qui haut multo pòst regno Angliæ potitus tantopere Ottonem dilexit, ut duos potentes & amplos Comitatus, Pictaviensem in Aquitaniâ Galliæ provincia, Eboracensem apud Brigantes in Angliâ, hereditario jure possidendos vivus valensque ei donarit: præterea duas partes thesaurorum suorum cum omnibus *exeniis & baubellis* (verba sunt scriptoris Anglici) ex vulnere lethaliter decumbens testamento legarit: denique vehementer in eo laborarit, ut VVilhelmi Scotorum regis filiæ Margaritæ matrimonium ei conciliaret, cum indubitatâ spe consequendi regni. Cui quidem rei Scotus consenserat conditionibus matrimonij in tabulas relatis: verùm ex primoribus regni quidam, Patricius nomine, intercessit, jactitans, superstitibus adhuc agnatis, per leges patrias extraneum ad regnum admitti non posse. Neque multò pòst regina altero partu enixa est filium. Sic igitur Otto benè natus, ingenueque & liberaliter educatus, habens etiam cujus *cerneret facta* quemque *primis admiraretur ab annis*, non potuit non *iuvâri*, insitam naturæ bonitatem, doctrinâ exemplisque roborare & promovere, duce etiam & auspice sincerâ erga Deum pietate ab omni immunditiâ vagisque libidinibus se abstinere. Est igitur hæc nova innocenti principi imposita contumelia ejusdem gregis & conditionis cum superioribus, mera videlicet *συκοφαντία*, ipsissima falsimonia, nata in animis suspiciosis, malevolis, suo ex ingenio alios æstimantibus, jure meritoque cum architecto suo exsibilanda. Biennio post immaturum Beatricis obitum Otto ad primos amores se revocavit, ductâ Mariâ Brabantinâ, quæ, ut ex testamen-

mento apparet, marito superstes fuit, acceptoque à leviro Henrico Saxoniæ Duce & Rheni Palatino, nomine donationis propter nuptias, certâ argenti summâ legatisque in testamento expressis, in Belgicum ad suos rediit, post obitum sepulturæ tradita Lovanii in æde Sanpetrinâ prope Mausoleum matris Mathildæ Comitis Boloniensis, ut Chronicon Belgicum. Nihil liberorum ex hac conjuge tulit Otto, longeque falsus est Elias Reusnerus tribuens ei duas filias, Helenam, sive Mathildam, uxorem Alberti primi, Ducis Saxoniæ, & Mariam VValdemaro Slesuicensium principi maritatam. Contradicunt apertè annales nostrates antiqui, ex quibus constat Alberti Saxoniæ Ducis conjugem, non Ottonis Imperatoris, sed ejus ex VVilhelmo fratre nepotis, Ottonis Pueri, primi Brunsuicensium Ducis, filiam fuisse. VVoldemaro Duci Slesuicensi, non suam, sed fratris Henrici Comitis Palatini filiam, despondit quidem Otto Imp. sed domum deducta non fuit: nubsit enim VValdemaro Margarita, natâ ex regio Boëmorum sanguine, quâ defunctâ duxit Berengariam Flandricam. Crancius omnem tollens dubitationem Saxon. lib. 9. cap. 21. disertim affirmat, Ottonem sine prole defunctum. Verùm antequam receptui canam, ne quid prætermittatur, paucis refellendus venit Ioannes Trithemius, Chronico Hirsaugiensi ad annum 1214. Ottoni *impingens tenacitatem, quæ caussa fuerit, ut multi eum reliquerint.* Indignum est, fateor, regibus & principibus hoc vitium: convenit eis magis beneficentia ac liberalitas, nunquam ab hoc fastigio abjungenda. *Quemadmodum enim ne Sol quidem desideratur, nisi radios suos & terra & hominibus & omnibus animantibus impertiat, ita nec Princeps verè imperabit, nisi civibus suis benefecerit. Qui verò tenax est & strictus ad largiendum, simulacrum regni tractat, non regnum*, Pachym. lib. 3. Verùm liberalitas ista exercenda sic erit, ut modus teneatur, qui si absit, facilè illa in exitium vertetur, inque perniciem proruet, & liberalitate libertas peribit. Dandum omnino cum modo, ne si ærarium exhaustum fuerit, per scelera supplendum sit, alienisque bonis manus afferendæ, ut ex publico parente fiat βασιλεὺς δημοβόρος. Incesserat corruptis & contaminatis Ottonis temporibus mos perquam vitiosus, sed qui insequentibus annis magis invaluit, nempe, ut novi Reges, sive Cæsares, suis electoribus gratitudinis

ergò

ergò honorarium se dignum offerre tenerentur. Videndus ea de re ἀνώνυμος scriptor historiæ Slavicæ apud Erpoldum Lindenbrogium, de Richardo Cornubiæ in Angliâ principe, designato Romanorum rege, cujus insanam prodigalitatem, ut & principum Germaniæ avaritiam admodum falsè auctor perstringit. Notus etiam de eodem versus:

Nummus ait pro me nubit Cornubia Romæ.

Fecit Otto, quod necessum erat, fortassis etiam liberaliter, non tamen ut Imperium mercaretur, id enim ei jam in manibus, sed ut mori & tempori, quod in sapientiæ partem numeratur, inserviret. Testimonium rei perhibet Chronicon Halberstadense MSC. verbis sequentibus: *Otto electus Imperator avunculo suo Anglorum Regi pro pecuniâ Comiciâ suâ datâ, Electoribus quod sitierant erogavit.* Rerum Anglicarum scriptores venditionis nullam faciunt mentionem: exportatam ex Angliâ in Germaniam ingentem pecuniæ vim non dissimulant, uti nec nostrates. Videndi Arnoldus Lubecensis lib. 7. cap. 17. Robertus de Monte ad annum 1207. Godefridus Monachus ad annum 1206. Tenacitas Ottonis ab alijs præterita, & à solo Trithemio indicata, fidem facit, quicquid hujus est accusationis, ab ordine ecclesiastico profluxisse. Tanta enim ejus & tam insatiabilis fuit πλεονεξία & avaritia, ut etiam profusè liberales principes offenderit. Illustre notatuq; dignum exemplum est apud auctorem vitæ Meinvverci Episcopi Paderbornensis, bonorum Reipublicæ hirudinis, qui cùm ab Henrico Secundo Imperatore, quem Sanctũ indigitamus, nonnulla opima diversis in locis prædia, intercessorum illustrium, more istius seculi, comitate adjutus, eblandiendo extorsisset, neque illis contentus Pisas VVestvalicas (incolæ dioecesis Paderbornensis, cujus municipium est, patrio sermone Erwitte vocant) inverecundè admodum donari sibi peteret ac impetraret, Cæsar Henricus, quem dixi, homini importuno *cum exprobratione assidua in regni detrimentum spoliationis, averso vultu* ODIUM DEI ET HOMINUM IMPRECATUS EST, nec injuriâ. Quis enim mortalium ferat? quis non execretur eum, qui amicum simulans hostem agat? benefactorem improvidum Sinonijs artibus & inobservatâ fraude ad iniquas, legibusque juxtà divinis & humanis interdictas largitiones inducat: rerum domi-

nos

nos nervis Imperij administrandi privatos sustinendo oneri publico impares reddat, adeoque in contemtum præcipitet: sibi verò ipsi impudenti sacrilegio infamiam & æternum attrahat exitium? Sed quid his immoror? Absolvit Ottonem à tenacitatis probro priscus canusque testis, ævi nimirum simplicis & ab omni simulatione alieni, cujus verba initio hujus scripti recitavi: absolvunt cumulatè diplomata admodum multa, à me visa, lecta, quibus ecclesiasticis personis, puta Canonicorum, cœnobitarum & sanctimonialium collegijs & sodalitatibus multa de suo largitur: donata ab alijs auctoritate publicâ vel confirmat, vel auget, vel contra iniquorum violentiam communit, subinde testatum faciens, sui id esse officij, neque aliam ob caussam in fastigium eminentiæ dignitatisque regiæ divinitus collocatum.

Atque hactenus, quæ instar apologiæ criminationibus & maledictis, quibus præter meritum innocentem Principem nonnulli onerarunt, opponere visum fuit. Illustrissimi Herois Hermanni Billingij, imperiosarum aliquot familiarum in Saxoniâ, quà maternum genus, conditoris felicissimi, velut in antecessum, natales generosos, rem etiam ante principatum satis lautam, contra veterum quorundam scriptorum ψευδολογίας, à recentioribus plerisque cœco judicio approbatas, conquisitis rationibus masculo animo & cum fide vindicavi, apud eruditos & intelligentes, ut mihi persuadeo, illique publicè testantur, laudem consecutus sempiternam. Altera opera tribuenda venit Ottoni Augusto (cujus proavia VVolffhildis Hermanni Billingij abneptis fuit) & quidem eò libentiùs, cupidius & fusius, quò atrocioribus ille verberatus injurijs, laceratus & proscissus convitijs. Spero autem bonorum calculis instituto meo satisfactum, calumnias abstersas, infamiam elisam, suspicionum nebulas dissipatas, maledicentium ora obturata, stilumque effrenem hebetatum. Orationis affabrè expoliendæ rationem habere non licuit, quòd verbis aliunde petitis, ijsque illotis, sumque seculum redolentibus, utendum esset, sententiæ narrationesque integræ diversorum auctorum majoris fidei, evidentiæ, firmitatisque causâ, non nisi ex promisso inserendæ venirent. Restat secundùm hæc, ut Henrico Leoni, principum sui seculi princi-

cipij

cipi, similem pro copiâ meâ navem operam, visurus quid proterva & petulans calumniantium libido in hunc etiam sibi sumserit, quæ probra ingerere, quæ facere convitia non dubitarit. Qui si omnes abessent, unus fortassis sufficeret Saxo Sialandicus, quo nemo acerbiùs virulentum calamum adversus Leonem strinxit, ut in eo recognoscas Timæum Siculum, qui ob nimium reprehendendi insectandique cacoëthes ἐπιτίμαιος nuncupari meruit, ut Suidas. Sed isti logodædalo nugatori, cum Deo bene juvante, non pro Leone tantum, sed & Friderico AEnobarbo, Cæsare, quem non minus contumeliosè insectatus est, respondebo. Cui verò ille pepercerit, qui Germanos, quibus non tantum Dania, sed totus Septentrio primordia religionis Christianæ omnemque doctrinam & humanitatem merito acceptam refert, *barbaros* vocare, qui *Saxones plerumq; temeritate niti, cunctaq; pronius, quam prudentius exequi* non verecundatus est palàm affirmare? Sed de hisce singulis suo loco, nunc coronidis vice Cuspiniani de Ottone disticho, suprà recitato, reponam nostrum, si non melioris monetæ, saltim indubitatæ veritatis. Est autem hoc:

Expulit è regno rabies Papalis Otonem,
Qui patriæ nunquam noluit esse pater:
Imperioq; datam temerare fidem generosus
Abnegat, hinc Italâ fraude doloq; perit.

Plautus.

Ego verum amo, verum volo mihi dici: mendacem odi.

Lector

LECTOR CANDIDE,

Excusâ nostrâ pro Divo Ottone Augusto Apologiâ, in mentem venit mihi prolixius de te mereri, annexa ad finem geminâ appendice. Prima adfert tibi aliquot Ottonis Diplomata, historiam ejus haut parum illustratum, nostrasq; assertiones firmatum euntia. Altera appendix est relectio apologiæ, nonnulla à me, haut tamen volenti animo, præterita postliminio adferens. φιλαρχαῖοι patriarumq; antiquitatum cupiditate flagrantes operam meam gratam acceptamq; habeant.

DIPLOMATA OTTONIS IV. IMP. AUGUSTI.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto quartus Dei gratiâ Romanorum Rex & semper Augustus. Ad hoc nos divinitate propitiâ ad fastigium Regalis dignitatis credimus esse promotos, ut ecclesias Dei gladio acceptæ potestatis à violentorum oppressione defensando tueamur, eas præsertim, quas sub patronatu & defensione piæ memoriæ patris nostri positas arctius & familiarius nobis constat esse obligatas. Unde nos universitati fidelium constare volumus, quod nos dilectum cœnobium nostrum in Riddageshusen sub defensionis nostræ patrocinium suscipientes, Regali auctoritate nostrâ districtè prohibemus, ne aliquis ejusdẽ cœnobij terminos, in pratis, pascuis & silvis invadere, imminuere, convellere & immutare præsumat. Quod si quis præsumserit, gratiæ nostræ offensam se noverit incursurum, quia omnes terminos, quos idem cœnobiũ sub patris nostri protectione quietè posse- I.

 dit,

dit, integros ei in perpetuum constare decernimus. Porro ut hoc ratum & in convulsum inposterum perseveret, præsentem paginam sigilli nostri impressione jussimus insigniri & idoneorum testium subscriptione roborari: quorum nomina sunt hæc: Borchardus Præpositus de S. Blasio, VValterus de Baldensele, Conradus de Hagene, Baldevvinus advocatus, Basilius de Osterode, Anno de Blanckenborg. Actum ab incarnatione Domini anno MCXCVIII.

II. IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto Dei gratiâ Romanorum Rex & semper Augustus, universis Christi fidelibus. Constare volumus universitati vestræ, quod nos cum consensu fratrum nostrorum, pro remedio animæ nostræ, contulimus cœnobio nostro in Riddageshusen proprietatem octo mansorum in Soltdalem, cum adjacente siluâ & omnibus attinentiis suis, quos Ludolfus ministerialis noster à nobis jure beneficij possedit. Vt autem hæc nostra donatio rata & in perpetuum inconvulsa perseveret, præsentem paginam sigilli nostri impressione & idoneorum testium subscriptione roboravimus, districtissimè prohibentes sub obtentu gratiæ nostræ, ne quis hanc donationem nostram convellere, mutare, aut imminuere aliquatenus præsumat. Testes autem hi sunt: Ludolfus Dapifer de Esbeke & frater suus Baldevvinus, Ludolfus de Bordfelde, Eilardus de Oberge, VValterus de Baldensele, Luthardus de Meinersen, Fridericus Marschalcus, Hervvicus de Scoune, Otto de Luneborg, Olricus de Smedenstede. Acta autem sunt hæc ab incarnatione Domini MCCIII. anno autem regni nostri V.

III. IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto Dei gratiâ Romanorum Rex & semper Augustus, universis fidelibus suis gratiam suam & omne bonum. Fidelitati vestræ constare volumus, quod nos sex mansos in Mascherot, cum adjacenti silvâ, quæ dicitur Coloholt, & cum omnibus reliquis pertinentiis suis, cum consensu duorum fratrum nostrorum, ecclesiæ in Riddageshusen pretio sexagintasex marcarũ vendidimus. Porro ut hujus nostræ venditionis contractus ratus & inconvulsus perseveret in perpetuum, præsentem paginam sigilli nostri impressione communiri fecimus,

&

& idoneorum testium subscriptione roboravimus, quorum nomina sunt hæc: Henricus Dux Saxoniæ & Comes Palatinus Reni. Bernhardus Comes de VVilepe, Luthardus de Meinersen, Ludolphus de Esbeke, Eckebertus de VVulferbutle, VValterus de Gandersem, Godefridus de Summersenborg, Bertholdus de Bornem. Acta sunt hæc ab incarnatione Domini MCCIIII. anno regni nostri VI.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divinâ favente clementiâ Romanorum Rex & semper Augustus. Regiæ majestatis decet celsitudinem omnium ecclesiarum utilitatibus invigilare & earum paupertatem in meliorem statum reformare. Quapropter notum facimus, tam præsentibus, quàm futuri temporis Christi fidelibus, quod nos de consensu fratrum S. Cyriaci in Brunsvvik, duos mansos in villâ, quæ dicitur Tueluen, attinentes jam dicto S. Cyriaco & fratribus, ecclesiæ ad fontem S. Mariæ, quæ antiquitus dicebatur Mortdal, auctoritate Regali liberaliter & liberè donavimus. Vt igitur hæc nostra donatio rata stabilisq; omni ævo permaneat, & ne per nos aut successores nostros infringatur, præsentis scripti firmamento & sigilli nostri impressione fecimus communiri. Testes hujus rei sunt: Albertus Abbas S. Egidij, Volbertus Præpositus S. Cyriaci, Rodolfus Decanus & fratres sui, Henricus Sacerdos, Conradus Sacerdos, VVernerus Diaconus, Volmarus, Ludolphus, Hervvicus, Bertramus, Bertoldus, Anno S. Blasij Canonicus, & alii quam plures. Actum anno Dominicæ incarnationis MCCIIII. regni nostri septimo. Datum per manum Stephani notarii nostri, majoris ecclesiæ Mindensis Canonici, & in insulâ S. Suiberti feliciter. IV.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Divinâ fauente clementiâ Otto quartus Romanorum Imperator & semper Augustus, Imperialem decet munificentiam religiosam vitam professis, in iis, quæ ad utilitatem ecclesiarum pertinent, suum præstare subsidium, ne cujuslibet temeritatis incursu indebitè patiantur detrimentum. Eapropter in proposito habentes, non solum ea, quæ à Divis antecessoribus nostris Imperatoribus pro ecclesiis sunt uti- V.

tiliter ordinata servare, sed & si quid minus actum est, prout intellexerimus & potuerimus, supplere, ob reverentiam intemeratæ Domini genetricis Mariæ, venerabile ac dilectum nostrum monasterium in Portâ ordinis Cistertiensis, cum omnibus hominibus & possessionibus, quas inpræsentiarum canonicè possidet & in futurum justis modis, procurante Domino, poterit adipisci, in nostram & Imperii protectionem & speciale patrocinium suscipimus, Imperiali auctoritate confirmantes eidem monasterio possessiones, cum omnibus suis pertinentiis, in quibus hæc propriis exprimenda duximus vocabulis: Locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, grangias, scilicet, de Cusne, cum pertinentiis suis: aliam quæ vocatur VVentzendorff: aliam quæ vocatur Kokelau: aliam quæ vocatur Borschendorff: aliam quæ vocatur Scopecou, & Hummelstede, cum molendino & cum adjacente vineâ. Insuper vineas, quæ adjacent VVentzendorff grandiæ suprascriptæ cum molendino, piscatione, fruteto & salicto. Præterea aliam grangiam quæ vocatur Gernstete cum adjacente vineâ & carecto & pratis: prædia in Krenevvitz: aliam quæ dicitur Hechendorff cum adjacente carecto & cum silva & adjacente vineâ: Grangiam quæ dicitur Osforte cum piscatione in aquâ quæ dicitur Vnstruta: aliam quæ dicitur Lepitz cum molendino adjacente & cum piscatione in aquâ, quæ dicitur Luppa: aliam quæ vocatur Mettendorff cum adjacente vineâ & carecto & molendino: Vnam quæ dicitur Flemingen & pascua de Catzenrode cum adjacente areâ ad molendinum construendum: Grangiam quæ vocatur Vehre cum piscatione in aquâ, quæ vocatur Vnstruta, & carecto & salicto: Insuper villam quæ dicitur Burgovve & aliam quæ dicitur Hirten cum vineâ adjacente: Præterea locum in marchiâ quæ dicitur Lucist, cui nomen Holtze in confinio urbis & civitatis quæ dicitur Sturckovve, cum mansis centum juxta lacum Culenze, quæ omnia simul & semel Conradus marchio de Landsberg, cum favore nostro Portensi contulit ecclesiæ in Aldenburg, præsentibus Principibus Duce Bernhardo, Hermanno Landgravio, Theodorico marchione de Misnâ, & alijs pluribus. Insuper quæcunque bona ubique locorum in silvis, in agris, cultis & incultis, in pascuis, in aquis & aquarum decursibus vel piscationibus

bus possidet, omnes libertates & privilegia & donationes ab antecessoribus nostris Romanis Imperatoribus, vel quibuscunque liberis sive ministerialibus Imperij collatas & exemptiones secundarum exactionum confirmantes, illibatas præcipimus deinceps observari. Præmissæ verò concessioni, ob remedium animarum nostræ & successorum nostrorum Imperatorum vel Regum adjicimus, ut quæcunque deinceps idem monasterium de bonis Imperij justis modis fuerit adeptum, sive per emptionem, sive per commutationem, sive per eleemosynarum largitionem, vel alio justo modo, à quacunque personâ liberâ, sive ministeriali Imperij, non requisito super hoc speciali nostro consensu, licenter recipiat & quietè possideat, ita ut nulla lex generalis vel privata hæc valeat impedire. Imperiali ergo auctoritate statuimus, ut nulla persona secularis aut ecclesiastica, prædictum monasterium in rebus aut personis, contra tenorem hujus privilegij molestare, aut huic concessioni audeat contraire: alioquin & nostram indignationem incurret, & volumus, ut in pœnam temeritatis componat libras auri XL. dimidium Cameræ nostræ & dimidium ecclesiæ injuriam passæ. Et ut hæc nostra concessio omni tempore inviolabilis perseveret, præsentem paginam sigillo nostro fecimus communiri. Hujus rei testes sunt hi: Volcherus patriarcha Aquilegiensis, Lotharius archiepiscopus Pisanus, Iohannes Cameracensis Episcopus, Henricus Episcopus Mantuanus Imperialis aulæ vicarius, Henricus Scholasticus S. Gereonis, Iohannes Bardevvicensis Præpositus, Gerhardus Comes Viennensis, Azo marchio Estensis, Azelinus de Romanâ, Meinhardus Comes de Friol, Salinguerra de Ferrariâ, Hartmannus Comes de VVirtenberg, Rodolfus de Keselovve, Hellenoldus de Plesse, Bernhardus de Dorstadt, Luthardus de Meinersen, Gunzelinus aulæ Imperialis Dapifer, Henricus de Kalendin Marschalcus, Cono de Munzenberg Camerarius, VValterus de Scipse Pincerna, Henricus de Ravensburg, Monachus de Villâ & Passa Guerra Mediolan. & alij quàm plures seculares & laici. Acta sunt apud Interamnem in partibus Spoletanis anno incarnationis Dominicæ MCCIX. anno regni nostri XI Imperij vero I. VI. Kal Ian. Indictione XII. Datum per manum VValteri Imperialis aulæ protonotarij.

 Inno-

VI. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Divinâ favente clementiâ Otto quartus Romanorum Imperator & semper Augustus. Imperialem decet munificentiam, ut in his facilem præbeat assensum & favorem, quæ ad honorem Dei & ecclesiarum utilitatem pertinent & quietem, & libenter faciat pro amore ipsius pariter ac timore, à quo & per quem omnia habet, in cujus manu cor ejus est, & omnium potestates consistunt & jura regnorum. Ea propter in proposito habentes, divinitate propitiâ, non solùm ea, quæ à Divis antecessoribus nostris Imperatoribus pro ecclesijs utiliter sunt ordinata servare, sed & si quid minus factum fuerit, prout intellexerimus & potuerimus, supplere, ob reverentiam sanctæ & intemeratæ genetricis Dei & virginis Mariæ, venerabile & dilectum nobis monasterium in VValkenrith Cisterciensis ordinis, & omnes ejusdem loci fratres clericos & laicos, cum omnibus hominibus & cum possessionibus, quas nunc habet, & futuris temporibus justis modis poterit adipisci, in nostram & imperij protectionem & speciale patrocinium suscipimus, Imperiali auctoritate nihilominus confirmantes eidem monasterio possessiones infra scriptas, cum omnibus suis pertinentijs: Grangiam quæ vocatur Beringe cum villâ Othstede & villâ quæ dicitur Roth, sive novale: Grangiam quæ vocatur Chaldenhusen in arundineto inferiori, & aliam quæ vocatur Bervesleben cum aliâ, quæ dicitur Rithove: Cellarium Thalheim cum vineâ suâ: Grangiam Kintheroth cum aliâ quæ vocatur Guntzeroth & curiâ VVodenroth: Grangiam Hildevvinesburne, cum aliâ quæ dicitur Himmeroth: Grangiam Schovven cum suis attinentiis: curiam & areas, quas possidet monasterium prædictum in Goslariâ, cum universo emolumento, quod ibidem habet in monte, & casas conflatorias, quas habet in nemore: curiam & vineas ipsius in Herbipoli & ejus pertinentijs sitas: præterea silvam præfato monasterio adjacentem, quæ dicitur Bogenthal, quam ab antecessore nostro, piæ memoriæ Imperatore Friderico, pro reditibus duorum talentorum commutando acquisivit, cum omni libertate possidendam perpetuo donamus, & confirmamus insuper quæcunque bona ubicunque locorum in silvis, in agris, cultis & incultis, in pascuis, in aquis & aquarum decursibus vel piscationibus possidet, omnesque libertates & privilegia & donationes

nes ipsi à prædecessoribus nostris Romanis Imperatoribus, vel quibuscunque alijs nostris subditis collatas confirmantes, illibatas præcipimus omni tempore conservari. De liberalitate verò nostrâ, ob remedium animæ nostræ & successorum nostrorum Imperatorum vel regum, præmissis adjicimus, ut quicquid deinceps idem monasterium de bonis Imperij justis modis fuerit adeptum, sive per emptionem, sive per commutationem, sive per eleemosynarum largitionem, vel alio quocunque justo modo à quacunque personâ, sive libera fuerit, sive ministerialis Imperij, & non requisito super hoc specialiter assensu nostro, aut exspectatâ sententiâ, eadem bona & licenter recipiat, & in omni libertate quietè possideat, omni contradictione cessante, ita ut nulla lex generalis, vel privata, hoc valeat impedire. Præterea fratres præfatæ ecclesiæ absolvimus ab omni exactione & collectâ, quæ fit in Northusen ad qualescunque civitatis necessitates, ut nec de areis suis ibidem ad aliquam civitatis justitiam, neque de curribus onera ecclesiæ ferentibus, teloneum solvatur, & liberam concedimus facultatem commutandi argentum suum apud quemcunq; valuerint. Imperiali igitur auctoritate præcipimus, ut nulla persona secularis vel ecclesiastica, prænominatum monasterium in rebus, vel personis, aliquatenus contra tenorem hujus privilegii molestare, vel huic facto audeat contraire: alioquin & nostram incurret indignationem, & volumus, ut in pœnam temeritatis suæ componat XL. marcas auri Cameræ nostræ inferandas. Vt hæc nostra concessio omni tempore inviolabilis perseveret, præsentem paginam sigillo nostro jussimus communiri. Hujus nostræ concessionis testes sunt hi: Volkerus patriarcha Aquilegiensis, Lotharius archiepiscopus Pisanus, Iohannes Cameracensis Episcopus, Henricus Mantuanus Episcopus, Henricus Scholasticus S. Gereonis, Iohannes Bardevvicensis Præpositus, Gerhardus Comes Viennensis, Azo Marchio Estensis, Meinardus Comes de Friol, Salinguerra de Ferrariâ, Hermannus Comes de VVirtenberg, Rudolfus de Keselove, Helmoldus de Plesse, Bernhardus de Dorstadt, Luthardus de Meinersen, Gunzelinus Imperialis aulæ dapifer, Henricus de Schaladin marscalcus, Cuno de Minzenberg Camerarius, VValtherus de Scipse Pincerna, Henricus de Ravensberg, Monachus de villâ & Passa-

grverrâ

gvverrâ Mediolanensis, Albertus Strutio Imperialis aulæ judices, Henricus de Rotenburg, Cuno de Somerovve, Albertus Rindesmuel, Herevvicus de VVitense, Henricus de Reveninge & alii multi honesti clerici & laici.

Signum Domini Ottonis Quarti Romanorum Imperatoris invictissimi.

Ego Conradus Spirensis Episcopus, Imperialis aulæ Cancellarius, vice Theodorici Coloniensis archiepiscopi recognovi. Data per manum VValtheri Imperialis aulæ Protonotarij. Acta sunt hæc apud Interamnem in partibus Spoletanis; anno incarnationis Dominicæ M CCIX. anno regni nostri XI. Imperij verò I. IX. Kal. Ianuarij, Indictione XII.

VII. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Dei gratiâ Otto quartus Romanorum Imperator & semper Augustus. Quoniam Imperialis exigit majestas, ut quæ dictante rationis æquitate statuerit, nulla debeat retractare potestas, tamen ne quis se excuset de facti ignorantiâ, placuit scripto annotari, in quibus sibi decreverit obtemperari. Ea propter notum sit universis Christi fidelibus, quòd piæ recordationis antecessor noster Fridericus Romanorum Imperator, de Imperij utilitate solicitus, inferius arundinetum per quendam fratrem de VValkenrith Iordanem nomine, ex aquarum inundatione validâ revocavit ad habitationem hominum & culturam agrorum. Vnde ob gratiam impensi laboris ad proventum emolumenti amplioris ecclesiæ de VValkenrith ibidem contulit aream curiæ, quæ vocatur Kaldenhusen, & duos mansos, cum omni jure tam censuali, quàm decimali, deinceps liberè possidendos. Aliam etiam contulit aream ad molendinum construendum, reservato sibi privilegio, ut penes decursum aquæ illius nisi de licentiâ Imperij, nemo præsumeret molam construere. Præterea ex Imperiali munificentiâ contulit ecclesiæ VII. mansos, salvo sibi jure censuali, videlicet XXVIII. solidis, quos annuatim solvebant: ex quibus etiam hujusmodi solvitur decima, de omnibus, quæ crescunt in agro portio rei undecima, de agnis, porcellis, anseribus quod decimum venerit in numero, de poledro denarium, de vitulo obolum. Ab hac verò lege decimandi excepta sunt volatilia,

tilia, quæ nutriuntur in curiâ, & quæcunque intra septa ejus excoluntur, & quælibet genera holerum, fructus quoque arborum. Imperio autem ad nos canonicè devoluto; sicut ea, quæ à prædecessoribus nostris Romanis Imperatoribus circa statum ecclesiarum acta noscuntur, sive ipsis de Fisco Imperiali collata, tenemur illibata conservare: ita simplici devotione decrevimus ad relevandas servorum Dei necessitates aliquid supererogare. Vnde divinæ retributionis intuitu & conservando Imperii statu, prædictos VII. mansos in arundineto jacentes, cum ipso censu, scilicet viginti octo solidos, de favore principum & assensu curiæ nostræ contulimus Dei genitrici Mariæ & ecclesiæ de VValkenrith & in manu Henrici Abbatis, cum omni jure deinceps liberè possidendos, nullâ generali, vel privata lege contradicente. Statuimus igitur & Imperiali præcipimus edicto, quatenus imposterum nullus homo, cujuscunque fuerit conditionis, ausu temerario præsumat contra factum nostrum venire, & supra dictum Cœnobium super possessione collata & immunitate præscriptâ gravare, aut aliquam in eis bonis rerum sacrarum facere jacturam. Quod si quis facere præsumserit, tremendi judicis se sciat incurrisse animadversionem & majestatis nostræ reportare offensam, in vindictam verò sui reatus centum libras auri componat, dimidium cameræ nostræ, reliquum monasterio injuriam passo. Vt autem hæc nostra concessio omni tempore inviolabilis perseveret, præsentem paginam sigilli nostri impressione signavimus. Hujus rei testes sunt VValkerus Patriarcha Aquilegius, Lotharius Archiepiscopus Pisanus, Iohannes Cameracensis Episcopus, Henricus Scholasticus Gereonis, Iohannes Bardevvicensis Præpositus, Azo Marchio Estensis, Gerhardus Comes Viennensis, Meinhardus Comes de Friol, Helmoldus de Plesse, Bernhardus de Dorstad, Luthardus de Meinersen, Rudolfus de Keselovve, Guntzelinus Imperialis aulæ Dapifer, Henricus de Schaladin Marschalcus, Cuno de Mincenberg Camerarius, VValtherus de Scipse pincerna, Henricus de Ravensberg, Henricus de Rotenburg magister coquinæ, Cuno de Somerovve, Albertus Rindesmuel, Hervvicus de VVitense, Henricus de Reveninge. Monachus de Villâ & Passovverra Mediolanensis & alij quam plurimi honesti viri, tam clerici quàm laici.

Signum Domini Ottonis Quarti Romanorum Imperatoris invictissimi, semper Augusti.

Ego Conradus Spirensis Episcopus Imperialis aulæ Cancellarius vice Theodorici Coloniensis archiepiscopi recognovi. Data per manum VValtheri Imperialis aulæ Protonotarii. Acta sunt hæc apud Interamnem in partibus Spoletanis, anno incarnationis Dominicæ M CCIX. anno regni nostri XI. Imperij verò primo, IX. Kal. Ianuarij, Indict. XII.

VIII. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Dei gratiâ Otto quartus Romanorum Imperator & semper Augustus. Sancta quidem & Domino placens Cistercienſis ordinis religio, fidelium omnium veneratione digna, nostris tantò devotius est curanda subsidiis, quantò nobis excelsiorem inter homines contulit divina gratia potestatem. Piam igitur circa omnia illius ordinis monasteria voluntatem habentes, præcipuè circa dilectissimam nobis ecclesiam in Riddageshusen, bonum & salubre propositum nostrum cupimus in effectum opere proficisci, quotiens nobis oportunitatem adeptis competenter eam suppetiverit promovere. Itaque Friderico Marscalco de Volcmerode & filiis ejus resignantibus in manus nostras jus pheodi, quod habebant in patrimonio nostro Scathorst & sylvâ & pratis ei attinentibus, cum ceteris pertinentiis, contulimus & donavimus ecclesiæ in Riddageshusen idem patrimonium nostrum integrè cum toto jure suo, Henrico illustri Comite Palatino consentiente. Hæc autem facta sunt attestantibus fidelibus nostris, Güncelino Imperialis aulæ Dapifero, VVilhelmo Marscalco, Olrico advocato Goslariensi, Borchardo de VVolferbutle, Cæsario advocato de Quidlingeborg, Tiderico de VVerbene, & Iohanne de Bornem. Vt igitur prædicto monasterio in Riddageshusen ejusdem prædij possessio integra & tam salva, quam libera sine omni molestiâ permaneat in perpetuum, fecimus hoc authenticum sigilli nostri munimine roborari. Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini M CCXV. anno regni nostri XVIII. Imperij autem XI. Indictione IIII. VII. Idus Martii.

IX. EOdem anno Otto quartus ecclesiæ Magdeburgensi confirmavit privilegia & donationes suorum prædecessorum Cæsarum, testibus Hartberto Hildensheimensi, Tiderico Mersburgensi, Siboto Havelbergensi, Episcopis, Henrico Comite Palatino Rheni, Bernhardo Duce Saxoniæ, Hermanno Landgravio Turingiæ, Tiderico Marchione Misnensi, Conrado Marchione de Landsperg, Alberto Marchione Brandenburgensi, Friderico Comite de Brene, Gevehardo Burggravio Magdeburgensi, Adolfo Comite de Schovvinburg, Burchardo de Mansfeld, Comite Eligero de Honstein, Comite Alberto & Gevehardo fratribus de Arnstein, Cunone de Munzinberg, Basilio de Osterrode, Guncelino Dapifero, Tiderico Rabil. Actum apud Brunsvich.

SIGIL-

SIGILLUM OTTONIS IV. IMP. AUGUSTI.



STEMMA GENTILITIUM OTTONIS IV.

Guelfus Fortis, Dux Bojariæ.	Henricus Niger, Dux Bojariæ.	Henricus Superbus, Dux Bojariæ & Saxoniæ.	Henricus Leo, Dux Bojariæ & Saxoniæ.	Otto 4. Imp. Augustus.
VVichanda Comes Flandriæ.				
Magnus Dux Saxon	VVolfhildis heres Ducatus Saxonici.			
Sophia, nata ex regio sanguine Hungarico.				
Gebhardus Comes Querfurtensis.	Lotharius 3. Rom Imp.	Gertrudis, heres Ducatus Saxoniæ.		
Hedvvigis Comes Forembachiæ.				
Henricus Crassus, Dux Saxoniæ.	Richeasa, heres Ducatus Saxonici.			
Gertrudis marchio Saxoniæ.				
Fulco, rex Hierosolymæ.	Gaufredus Comes Andegavensis & Turonensis.	Henricus 2. Rex Angliæ.	Mathilda nata ex regio sanguine Anglico.	
VViburgis Comes Cenomanorum.				
Henricus 1. Rex Angliæ.	Mathilda, heres regni Anglicani.			
Mathilda nata ex regio sanguine Scotico.				
VVilhelmus Dux Aquitaniæ.	VVilhelmus, Dux Aquitaniæ.	Alienora, heres Ducatus Aquitaniæ & Comitatus Turonensis.		
Emma Comes Tholosana.				
Petrus Comes Veromanduorum.	Adelais, Comes Veromanduorum.			
Martha Comes Trecarum.				

Quan-

Quantoperè in susceptâ hac velitatione, veritati studuerim, diligens lector facilè animadvertet. Studiosè enim auctorum, quos laudavi, verba retinui, quod ut facerem, præter alia impulit me commonefactio VVigulei Hund, ICti, consiliarii Boiarici, ex Metropoli Salisburgensi hìc apponenda. Decreta, *inquit*, antiqua Synodi Dingelfingensis, Aventinus lib. 3. Annal. breviter, sed suo paraphrastico more, mutatis verbis, refert, cùm tamen hoc quampluribus in locis, meo judicio, consultius fuisset, veterum diplomatum, epistolarum ac decretorum verba genuina ac authentica, utcumque parum elegantia, prout seculum illud tulit, ponere. Nam mutatio verborum sæpe-numero sensum quoque ac ipsam sententiam pervertere videtur, quod plærosque doctos viros, ac Aventini aliàs studiosos, in ipso desiderare audio.

Hhh 3 RELE-

RELECTIO APOLOGIÆ PRO OTTONE IV.

Ad paginam 364.

Dixi de moribus Romanorum, temporibus Ottonis quarti viventium, ab elogio isto Divus Bernhardus nequaquam discedit, verba ejus lib 2. de consideratione ad Eugenium Papam ista sunt: *Quid tam notum seculis, quàm protervia & fastus Romanorum? Gens insueta paci, tumultui assueta: Gens immitis & intractabilis & usque huc subdi nescia, nisi cùm non valet resistere.* De eorundem avaritiâ dignus est notatu locus Glabri Rudolfi Historiarum libro 4. cap. 1. *Licet pro tempore φιλαργυρία mundi regina queat appellari, in Romanis tamen inexplebile cubile locavit.*

Ad paginam 367.

Salinguerræ Ferrariensis, sive de Ferrariâ, mentionem facit Otto 4. Imp. diplomatibus duobus uno Portensi altero VValkenredensi monasterio dato. Vtrumque impetratum est in partibus Spoletanis anno 1209. mense Decembri, Indictione 12. Monachus Paduanus ab Vrstisio editus, lib. 1. Chronici sapientissimum vocat: addit etiam Ottonem Italiam ingressum ejus potissimum consilio usum.

Ad paginam 381.

Dixi Giselam Conradi Salici Augusti conjugem, non principis cujusdam Vandalici, sive Heruli, sed Hermanni Ducis Sueviæ fuisse filiam. Id primum me docuit Chronicon Hermanni Contracti, post Christiani Vrstisii editionem ab Henrico Canisio evulgatum. In eo ad annum 1012. ista reperias verba: *Hermannus Alemanniæ Dux defunctus Ernestum sororis suæ Giselæ maritum successorem accipit.* Vide hîc Giselam Hermanni junioris Alemanniæ, sive Sueviæ Ducis sororem. Parens horum fuit Hermannus Senior, qui ConradoSueviæDuce anno 997. è vivis abeunte, ab Ottone 3. Imp. in locum

cum ejus suffectus est. Obiit autem anno 1004. relinquens in Ducatu successorem filium ὁμώνυμον, qui cum post octennium naturæ concederet, sororius ejus Ernestus, Henrici cognomento Rebellis, Austriæ marchionis F. Giselæ maritus, ab Henrico Claudo Ducatum promeruit. Sed nec ille dignitate gaudere diu potuit, quippe qui venationi operam dans ab Alberone quodam Comite fortuitò sagittâ interemtus, filio cognomini dignitatem, viduam Giselam Conrado Franconiæ Duci, postea Imperatori, reliquit. Giselæ mater fuit Gerbirga, Conradi Burgundiæ Regis (Frodoardus Iurensem & Galliæ Cisalpinæ regem appellat) filia, cujus frater Rudolfus ab Herm. Contracto ignaviæ infamiâ notatus, regnum, quod multis annis inutiliter administrarat, diademate Conrado Cæsari transmisso, resignavit, anno 1032. Hanc meam de Giselæ parentibus sententiam stabilit VVippo, testis omni exceptione major, in vitâ Conradi Salici: stabilit Otto Frinsingensis Chron. lib. 6. cap. 28. Commentum de Vandalicâ ejus origine debemus consarcinatori Chronici Saxonici vernaculi, qui fortassis istum in errorem deductus est à Chronico rithmico, M. SC. quod antiquius est, deque Brunone 2. marchione Saxoniæ, primo Giselæ marito, sequentia habet:

Dhissem Brune wart ghegeben
Zo Wibe vind ich gescreben
Ein Vrowe / Gisle was se ghenant
Von Werle.

Et paulò post:

Von welchem Werle se were geboren /
Dhes han ich nicht wol erkoren.
Doch solt ich it uph min beste segen /
Ich wold ji uph das Werle legen /
Davon sich dhe Wendhe Vursten scriben.

Crancius eundem errorem amplexus, Saxon. lib. 4. cap. 36. sic scribit: *Conradus Rex coniugem duxit Gislam, filiam principis VVandaliæ de VVarle. Quâ in re pensandum, cuius tum nominis & splendoris fuerint VVandalici principes, quorum filias dignarentur Imperatores habere coniuges.* Verùm hæc scribenti venire in mentem debuisset Theodorici marchionis Brandenburgii, matrimonium inter Misto-

reum

RELECTIO APOLOGIÆ PRO OTTONE IV.

Ad paginam 364.

Dixi de moribus Romanorum, temporibus Ottonis quarti viventium, ab elogio isto Divus Bernhardus nequaquam discedit, verba ejus lib 2. de consideratione ad Eugenium Papam ista sunt: *Quid tam notum seculis, quàm protervia & fastus Romanorum? Gens insueta paci, tumultui assueta: Gens immitis & intractabilis & usque huc subdi nescia, nisi cùm non valet resistere.* De eorundem avaritiâ dignus est notatu locus Glabri Rudolfi Historiarum libro 4. cap. 1. *Licet pro tempore φιλαργεία mundi regina queat appellari, in Romanis tamen inexplebile cubile locavit.*

Ad paginam 367.

Salinguerræ Ferrariensis, sive de Ferrariâ, mentionem facit Otto 4. Imp. diplomatibus duobus uno Portensi altero VValkenredensi monasterio dato. Vtrumque impetratum est in partibus Spoletanis anno 1209. mense Decembri, Indictione 12. Monachus Paduanus ab Vrstisio editus, lib. 1. Chronici sapientissimum vocat: addit etiam Ottonem Italiam ingressum ejus potissimum consilio usum.

Ad paginam 368.

Dixi Giselam Conradi Salici Augusti conjugem, non principis cujusdam Vandalici, sive Heruli, sed Hermanni Ducis Sueviæ fuisse filiam. Id primum me docuit Chronicon Hermanni Contracti, post Christiani Vrstisii editionem ab Henrico Canisio evulgatum. In eo ad annum 1012. ista reperias verba: *Hermannus Alemannia Dux defunctus Ernestum sororis suæ Giselæ maritum successorem accipit.* Vide hîc Giselam Hermanni junioris Alemanniæ, sive Sueviæ Ducis sororem. Parens horum fuit Hermannus Senior, qui Conrado Sueviæ Duce anno 997. è vivis abeunte, ab Ottone 3. Imp. in locum

cum ejus suffectus est. Obiit autem anno 1004. relinquens in Ducatu successorem filium ὁμώνυμον, qui cum post octennium naturæ concederet, sororius ejus Ernestus, Henrici cognomento Rebellis, Austriæ marchionis F. Giselæ maritus, ab Henrico Claudo Ducatum promeruit. Sed nec ille dignitate gaudere diu potuit, quippe qui venationi operam dans ab Alberone quodam Comite fortuitò sagittâ interemtus, filio cognomini dignitatem, viduam Giselam Conrado Franconiæ Duci, postea Imperatori, reliquit. Giselæ mater fuit Gerbirga, Conradi Burgundiæ Regis (Frodoardus Iurensem & Galliæ Cisalpinæ regem appellat) filia, cujus frater Rudolfus ab Herm. Contracto ignaviæ infamiâ notatus, regnum, quod multis annis inutiliter administrarat, diademate Conrado Cæsari transmisso, resignavit, anno 1032. Hanc meam de Giselæ parentibus sententiam stabilit VVippo, testis omni exceptione major, in vitâ Conradi Salici: stabilit Otto Frinsingensis Chron. lib. 6. cap. 28. Commentum de Vandalicâ ejus origine debemus consarcinatori Chronici Saxonici vernaculi, qui fortassis istum in errorem deductus est à Chronico rithmico, M.SC. quod antiquius est, deque Brunone 2. marchione Saxoniæ, primo Giselæ marito, sequentia habet:

Dhissem Brune wart ghegeben
 Zo Wibe vnd ich gescreben
Ein Vrowe / Gisle was se ghenant
 Von Werle.

Et paulò post:

Von welchem Werle se were geboren /
 Dhes han ich nicht wol erkoren.
Doch solt ich is uph min beste segen /
 Ich wold jz uph das Werle legen /
Davon sich dhe Wendhe Vursten scriben.

Crancius eundem errorem amplexus, Saxon. lib. 4. cap. 36. sic scribit: *Conradus Rex coniugem duxit Gislam, filiam principis VVandaliæ de VVarle. Quâ in re pensandum, cuius tum nominis & splendoris fuerint VVandalici principes, quorum filias dignarentur Imperatores habere coniuges.* Verùm hæc scribenti venire in mentem debuisset Theodorici marchionis Brandenburgii, matrimonium inter Mistoveum

reum Slavorum dynastam & Bernhardi Saxoniæ Ducis, sive filiam, sive neptem (variant enim scriptores) vehementer dissuadentis, scævum & contumeliosum in gentem Henetam, ejusque optimates scomma, & convicium, quo sibi ipsi exsilium & inopiam, patriæ abyssum malorum attraxit. Historiam habent Ditmarus Mersepurg. lib. 3. Adamus Bremensis lib. 1. cap. 16. ex eo repetit Crancius VVandal. lib. 2. cap. 21. Opinioni Crancii de natalibus Giselæ subscribit Elias Reusnerus, vir aliàs in omni genere diligens, quem tamen ab errore potuisset revocare auctoritas Ottonis Frising. loco suprà laudato scribentis: Giselam de antiquo Carolorum Franciæ Regum sanguine oriundam fuisse, addito sequenti à VVippone sumto disticho:

Quando post decimam numeratur linea quarta
De Carolo Magno processit Gisela prudens.

Ad quod respiciens Cuspinianus, non enumeratâ majorum serie, Lotharii 5. Regis Galliarum filiam facit. Prolixior esse in hac scholâ volui, tum propter insignes heroinæ hujus virtutes, quibus domum Saxonicam illustriorem reddidit, tum propter merita erga filium Ludolfum, cui à marito, bonitatem ingenii & naturæ in privigno amante, impetravit restitutionem bonorum, quæ Otto tertius ejusque in Imperio successor Henricus Claudus, hereditario jure in Saxoniâ hactenus possederant. Nomen Giselæ obsidem significat, testis Her. Contractus ad annum 995. *Gisela Stephano Regi Ungariorum, cùm se ad fidem Christi converteret, quasi verè juxta nomen suum fidei obses, in conjugium data.* Et Aventinus lib. 5. inquiens: *Gisela fatale sortita nomen, Stephano tanquam obses & fidei vinculum nuptum datur. Cujus ope & consilio Ungri philosophiam Christianam sectari cœperunt. Gisela autem linguâ Teutonicâ obsidem valet, crebrum apud Germanos feminarum nomen.*

Ad paginam 370.

De liberis Henrici Leonis Historicorum expositiones minus sunt accuratæ, nos ut in aliis, ita hic quoque industriam nostram experiemur. Duas ei fuisse conjuges certum est: ex priore totidem sustulit filias, quod ex Saxone Sialandico liquet, lib. 14. hunc in modum disserente: *Rex (VVoldemarus) Orientalium Slavorum sibi virium fiduciâ rebellantium defectionem expertus, cum Henrico Saxoniæ Satrapâ*

Satrapâ belli societate condictâ, quò firmiùs amicitiæ necterentur, filiam eius ex coniuge postmodum repudiatâ susceptam, adhuc incunabulis utentem, filio Kanuto, primum ætatis annum agenti, sponsam adscivit. Hæc ibi. Paullò pòst de Henrico Leone idem auctor: *Igitur Henricus ut repudiatam regis amicitiam reciperaret, sine qua Slaves arcere non posset, Henricum Razeburgensem Episcopum & Antistitem Lubecensem legatione onerat, filiam suam minorem filio eius in matrimonium offerens. Nam maior natu, quæ prius ei desponsa fuerat, morbo occiderat.* Ex his manifestum fit, duas ex priori matrimonio natas filias, quarum posterior nubsit Friderico Conradi 3. Imp. filio, quem Otto Frisingensis Chron. lib. 7. cap. ultimo, Fridericum de VVinsberg, Otto SanBlasianus ejus continuator, cap. 11. 18. 20. & 21. Fridericum de Rotinburg, Albertus Stadensis ad annum 1167. Ducem Sueviæ appellat. Quo paullò post in expeditione Italicâ defuncto, vidua copulata est Canuto VVoldemari Daniæ regis F. Helmoldus lib. 2 cap. 10. unicam vocat filiam Leonis. Idem de hoc matrimonio cap. 14. sic scribit: *Rogavit rex Danorum Ducem, ut filiam suam viduam Friderici nobilissimi principis de Rodenburg daret filio suo, qui jam rex designatus erat, in uxorem. Interventu itaq; magnorum Principum consensit Dux & misit filiam suam in regnum Danorum.* Hic prudens lector obiter notet Saxonis Grammatici malevolentiam, affirmantis obtrusam magis, quàm ambitam Leonis filiam. Potior debetur fides Helmoldo, ab affectibus immuni, quibus Saxo ad calumnias usque obnoxius. Fœminæ nomen exprimit vetus Chron. Saxon. Richensam vocans: obitum indicat Ericus rex Daniæ in historiâ suæ gentis verbis sequentibus: *Anno 1221. Obiit Rikere regina.* Ex alterâ conjuge Mathildâ Anglicanâ procreavit Leo ejusdem nominis filiam, natam primo conjugij anno, parente in Palæstinam profecto: annis subsequentibus filios quatuor, Henricum, Luderum, Ottonem & VVilhelmum, ut disertim Arnoldus Lubecensis lib. 2 cap. 2. De Ludero, proavi materni nomen adepto, in litteras relatum est, quòd patenti Bardevvicum expugnanti in castris præstò fuerit: deinde ab eodem *propositâ spe recuperandi pristini honoris Regi* (Henrico 6.) *satisfactionem exhibente, cum Henrico fratre obses constitutus, sed in itinere apud Augustam defunctus sit*, verba sunt Gerhardi Præpositi Stederburgensis in historiâ de Henrico Leone. Henrici Palatini, cogno-

gnomento Longi, & Ottonis Cæsaris res gestæ cognitissimæ sunt, & de altero nos in hac apologiâ operæ precium fecimus. Duobus hisce sine prole masculâ decedentibus, VVilhelmus (quem Longaspatham & VVintoniensem cognominatum diximus) familiam conservavit, superatq; ejus posteritas in Ducibus Brunsuicensibus & Lunæburgensibus potentissimis. Præter hos Leonis filios duo inculcantur ἀνώνυμοι: prior à Rogerio Hovedeno parte annalium posteriore, scribiturq; natus apud Argentonium Normanniæ urbem anno 1183. alter prioris conjugij, à recentioribus, qui infans negligentiâ nutricis de mensâ cadens fractis cervicibus exspirarit, quā narrationem in medio relinquo. In filiabus posterioris matrimonii primogenita est Richensa, nata, ut diximus, patre peregrinante anno 1172. Huic Rogerius Hovedenus addit Mathildam, verba ejus subjungam; *Richardus rex Angliæ dedit eodem anno 1189. Gaufrido, filio Rotrodi Comitis de Pertico, Mathildam filiam Ducis Saxoniæ neptem suam in uxorem.* Habuit Gaufridus iste peramplas, tàm in Galliis, quàm regno Angliæ possessiones, dignus tam illustri matrimonio: occubuit demum in prælio. Mathildæ meminit etiam Trithemius Chronico Bojariæ. Tertia Leonis filia Alienor, memoratur à Gervasio Tilberiensi, ut suprà diximus, titulo Comitissæ, nec quidquam de eâ amplius. Cum his copulat Arnoldus Lubecensis aliam Mathildam, nuptam Borvvino, (qui alio nomine Henricus) Henetorum principi, Pribislai F. videatur lib. 3. cap. 4. & lib. 4. cap. 7. Sed hæc naturalis fuit Leonis filia, ut disertim Albertus Stadensis ad annum 1164. Spangenbergius Chron. Saxon. cap. 136. perperam Borvvino conjugem assignat Richensam Leonis primogenitam, quemadmodum in eo etiam alucinatur, quòd Canuti regis Daniæ uxorem Mathildam vocat. Atque hæc sunt, quæ de Leonis liberis commentari libuit. Schema genearchicum tale est.

Henricus Leo nascitur anno 1129. moritur 1195. ætatis 66. uxores ejus,

1.	2.
Clementia Zaringia ducta 1147. repudiata 1162. die Clementis.	*Mathilda Anglicana, nata anno 1156. nupta Leoni 1167. moritur 1189. ætatis 33.*
a	b *N. filia*

N. filia desponsata in cunis Canuto, Regis Daniæ F. anniculo: denascitur parvula.	*Richensa conjunx Friderici Ducis Sueviæ & eo defuncto, nupta Canuto Regi Daniæ. obiit 1221.*	*N. filius infans fractis casu cervicibus exspiravit.*

Richensa nata 1183.	*Henricus Palatinus, moritur 1227.*	*Luderus defunctus Augustæ Vindelicorum anno 1190.*	*Otto Imperator Augustus obiit 1218.*	*N. Filius nat. 1183.*	*VVilhelmus nascitur 1184. moritur 1212. ætatis 28.*	*Mathilda uxor Gaufridi Comitis de Pertico ducta 1189.*	*Alienor Comitissa, ut Gervasius Tilberiensis.*

Otto Puer nascitur 1204. moritur 1252. ætatis 48.

Albertus Magnus, nascitur 1236. moritur 1279. ætatis 43.

Henricus Morosus natus 1267. moritur 1322. ætatis 55.	*Albertus Pinguis, obiit 1318.*	*VVilhelmus moritur 1292.*

Ad paginam 386.

Miserrima humanæ vitæ conditio, cujus omnis splendor, omnis potentia.) Valerius Maximus lib. 6. cap. 9. *Caduca nimium hæc & fragilia, puerilibusq; consentanea crepundiis sunt, quæ vires atq; opes humanæ vocantur. Affluunt subitò, repentè dilabuntur; nullo in loco, nullâ in personâ stabilibus nixa radicibus consistunt: sed incertissimo flatu fortunæ, huc atq; illuc acta, quos in sublime extulerunt, improviso decursu destitutos in profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaq; neq; existimari, neq; dici debent bona, quæ ut inflictorum malorum amaritudine desiderium sui duplicent; propensiore favore primò delinitos, majore postea malorum cumulo opprimere soleant.*

Ad paginam 392.

Pro remedio animæ nostræ) Maturè in ecclesiam Occidentis irrepsit

psit periculosa opinio, profusam erga ordinem ecclesiasticum ejusque sacras ædes & collegia liberalitatem ac beneficentiam, non tantum vivis conciliare omni in re prosperitatem in hac vitâ, verùm etiam post excessum ex hoc ergastulo animæ in purgatorio periclitanti remedio esse. Quod ipsum cùm à clero nunquam non ebuccinaretur, apud imperitos verò nimiumque credulos laicos, quos vocabant, fidem facilè inveniret, usu venit, ut summi medioximi & infimi, pro re natâ, prodigaliter & prodigialiter bona possessionesque suas, neglectis ad quos jure spectabant, ecclesiasticis dilargirentur personis, adeo, ut res inconsulta & improvida invidiam habuerit, offensique sint, qui ad clavum Reipublicæ sedebant. Quantoperè sui temporis magnatibus munificentiam erga sacrum ordinem commendarit Meinvvercus Padesbornensis Antistes, probat historia vitæ ipsius, in quâ Henricum Claudum Imp. sic affatur: *Beatus tu es, Henrice, & bene tibi erit; cui pro hac oblatione, cælum patebit, cujus anima cum sanctis sempiterna possidebit gaudia. Videte omnes populi, considerate fideles universi, talis oblatio, peccatorum sit abolitio: hoc sacrificium Deo acceptabile, animabus sit propitiabile. Hoc quoque fideles pro posse suæ facultatis imitari studeant, ut pro temporalibus æterna, pro transitoriis mansura obtinere valeant.* Quo verò stomacho & iracundiâ inverecundi nundinatoris cauponationes idem Imperator Henricus excepit, eadem ostendit historia, verba libet apponere: *Episcopus gaudio repletus inenarrabili, Rex omnium sanctorum, exclamat, retribuant tibi. Et Imperator, averso vultu, occultè submurmurans, & tu, inquit, odium Dei omniumque Sanctorum eius habeas, qui me bonis concessis cum detrimento Regni spoliare non cessas.* Longè verò ante hæc tempora de eadem clericorum πλεονεξίᾳ conquestus est Chilpericus Francorum rex apud Gregor. Turonensem lib. 6. cap. ultimo, his verbis usus: *En pauper remansit fiscus noster: ecce divitiæ nostræ ad ecclesiam sunt translatæ. Nulli penitus nisi soli Episcopi regnant: periit honor noster & translatus est ad Episcopos civitatum, solis eis defertur honos.* Hæc ille, qui, si in Ottonum, Henricorum Fridericorumque scæva & infelicia incidisset secula opesque ecclesiasticorum per fas & nefas enormiter accumulatas, atque ex illis luxum, petulantiam & libidines, contrà vero summorum Principum splendidam egestatem, extremumque apud vicinos orbis Christiani Reges contemptum, spectasset, multò acerbioribus usus fuisset.

fuisset querelis. Solemnes autem majores nostri habebant formulas, quibus in publicis privatisque donationum, sive traditionum tabulis utebantur, omnes ad eundem scopum collimantes. Ex his, omissis peregrinis, ex domesticis nostratium instrumentis nonnullas referam, sic ut donatoris nomen & donationis tempus non praetermittam. *Pro mercede vitae permanentis*, Otto M. diplomate anni 937. *Pro salute animae Domini genitoris nostri Henrici Regis, caeterorumq; nobis iunctorum affinitate consanguinitatis*, idem ad annum 941. *Pro remedio animae nostrae, nec non & patris nostri ac dilectae matris nostrae, nec non aliorum consanguineorum nostrorum*, idem anno 973. *Ob spem aeternae nobis à Deo donandae mercedis & remedium animae cari genitoris nostri*, Otto 2. Imp. anno 979. *Pro remedio vitae perpetuae cum sanctis & fidelibus adipiscendae*, diploma Henrici 2. Imp. anno 1003. *Pro remedio suae animae ac utriusq; sui parentis, omniumq; suorum, tam viventium, quam defunctorum salute*, idem Imp. anno 1007. *Ob spem & praemium vitae aeternae: ob remissionem omnium peccatorum: ob salutem corporum & sempiternam requiem animarum: ob cotidianam memoriam sui suorumq; omnium, Regum quoq; & Episcoporum, Principum & omnium, eiusdem loci statum & honorem diligentium, cunctorum Christi fidelium*, diploma Conradi Salici Imp. confirmantis fundationem monasterii Reinhardsbornensis, 1086. *Pro remedio animae nostrae & tranquillitate populi nobis commissi*, Reinhardus Episcopus Halberstadensis 1108. *Ob spem & precium vitae aeternae*, diploma Lotharii Imp. anno 1131. *Supernae remunerationis intuitu*, Bernhardus Episcopus Hildesiensis, anno 1143 *Pro conciliandâ divinâ miseratione & pro suscitandâ erga me omnium religiosorum optabili dilectione*, litterae Ottonis marchionis Brandenburg. 1177. *Regni aeterni praemium & Imperii temporalis incrementum à Rege regum exspectantes*, diploma Friderici Barbarossae Imp. anno 1181. *Intuitu supernae retributionis*, in literis Henrici Comitis Gardelegiensis, 1191. *Remunerationem coelestis patriae exspectantes*, Gardolfus Episcopus Halberstadensis, 1197. *Pro expiatione animae nostrae*, Conradus Episcopus Halberstadensis, 1197. *Pro peccatis meis & parentum meorum*, litterae Sigfridi Comitis Blancoburgensis, anno 1212. *Propriae intendentes saluti*, Hermannus Hassiae Lantgravius, Comes Palatinus Saxoniae, 1215. *Intuitu nostrae salutis & perpetuae remunerationis*, Otto 4. Imp. anno eodem. *Divinae retributionis intuitu & pro reformando Imperii statu*, diploma ejusdem Ot-

tonis 4. Imp. 1216. *Anima nostra saluti prospicientes*, Conradus Baro VVarbergius, anno 1220. *Intuitu divinæ remunerationis, & ob salutarem & perpetuam animæ nostræ memoriam*, Henricus Dux Saxoniæ, Palatinus Rheni, anno 1224. *Ob spem peccatorum nostrorum*, ejusdem Principis litteræ anno eodem. *Pro peccatorum nostrorum redemptione*, idem anno eodem. *Ob amorem retributionis æternæ & nostrorum in remedium peccatorum*, Adolfus Comes Schavvenburgius, anno 1233. *In remissionem peccatorum*, in litteris Agnetis, viduæ Henrici Ducis Saxoniæ & Comitis Palatini, anno 1243. *Ob Dei omnipotentis, ejusq; genitricis reverentiam, & peccatorum nostrorum & progenitorum nostrorum indulgentiam*, Ludolfus Comes à Dassel, 1256. *Ad utriusq; vitæ felicitatem nobis prodesse confidimus, si loca Deo dicata de bonis collatis nobis à Domino promovemus*, Conradus archiepiscopus Magdeburg. anno 1268. *Pro retributione felicitatis æternæ*, Otto Episcopus Hildesiensis, anno 1270. *Pro expiamine suorum peccaminum*, Volradus Episcopus Halberstadensis, 1281. *Firmissimè credentes, quòd retributor omnium bonorum nobis mercedem retribuet in vitâ sempiternâ*, Ericus archiep Magdeburgensis ad annum 1292. *Ut progenitoribus nostris & nobis proficiat ad salutem*, Otto Dux Brunsuicensis, anno 1298. *Ad mitigandam severitatem districti judicis*, in litteris Leopoldi militis de Roddingen, anno 1305. *Pro nostræ & prædecessorum nostrorum salubribus remediis animarum*, Albertus Dux Brunsuicensis, 1311. *Ob spem salutis æternæ*, idem, 1317. *Ob animæ nostræ salutem*, idem, 1318. *Ob salutem & refrigerium animarum matris suæ & conjugis*, in litteris Ottonis Ducis Brunsuicensis, eodem anno. *Intuitu divinæ remunerationis nostrorum remissionem peccatorum*, Otto Hildesiensis Episcopus, anno 1320. *Ad animarum suarum medicamentum*, litteræ Bartoldi Præpositi monasterii Fontis S. Mariæ, anno 1336. Prolixior esse nolo, coronidis tantùm loco subjungam ritum oblationis tempore Caroli M. usitatum, quemadmodum describitur in supplicatione VVormatiensi eidem Imperatori exhibitâ. *Quisquis nostrum suas res ecclesiæ tradit, Domino Deo illas offert atq; dedicat, & non alteri, dicendo talia & agendo ita facit: Scripturam coram altari, aut supra, tenet in manu, dicens ejusdem loci sacerdotibus atq; custodibus: offero Deo atq; dedico omnes res, quæ in hac cartulâ tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum ac parentum ac filiorum, aut pro quibuscunq; illas libare voluerit, ad serviendum ex his Deo in sacrificiis, Missarumq; solemniis, orationibus,*

lumi-


luminariis, pauperum ac clericorum alimoniis & caeteris divinis cultibus atq; huius ecclesiae facultatibus. Si quis autem eas inde (quod fieri nullatenus credo) abstulerit, sub poenâ sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero atq; dedito, districtissimas reddat rationes. Sed de his arreptâ occasione satis dictum esto.


Ad paginam 406.

De Richardo Cornubiae in Angliâ principe) Fragmentum historicum incerti auctoris apud Christianum Vrstisium, tomo secundo historicorum Germaniae, pag. 92. *Post haec VVilhelmus Rex Romanorum à Frisonibus occisus est. Hac audiens Episcopus Coloniensis, ad Angliam perrexit, & inde duxit Richardum, Ducem Cornubiae, quem ipse & Episcopus Moguntinensis elegerunt in Regem: quibus dedit multam pecuniam & ceteris Episcopis Alemanniae & Nobilibus terrae. Et cùm adhuc opulentus esset in divitiis, vehebatur per Principes Alemanniae ad singulas civitates & opida Imperij super flumen Rheni: & ab omnibus civitatibus, ob reverentiam principum, qui cum eo aderant, honorificè est receptus. Cum autem Richardus Rex pervenisset usq; ad civitatem Basileam, defecit ei substantia: tunc reliquerunt eum Principes Alemanniae solum: dicentes: quòd eum non dilexerunt propter personam, sed ratione substantiae, & dederunt ei libellum repudii, & per aliam viam reversus est in regionem suam: cuius Regis memoria cum sonitu periit.*

Ad paginam 416. & 418.

Solebant prisci Imperatores, tam Byzantini, quàm Germani diplomata, quae evulgabantur, peculiari quopiam signo ad id electo, quasi corroborare: ea passim sunt obvia. Nos Ottonis 4. geminum apponemus, unum, quo à coronatione Aquisgranensi, alterum quo post inunctionem Pontificiam usus est.





LECTORI BE-NEVOLO.

Occurrent fortaßis nonnulla σφάλματα γραφικὰ, ea ut à candido & erudito lectore emendentur, rogo. De iis, teste doctissimo Camerario, Ioannes Secerius vir honestus atq; doctus, laudatusq; inprimis typographus dicere solitus fuit, si quando de incuriâ negligentiaq; hac in parte typographorum mentio fiebat: Talia errata nihil afferre incommodi posse. Aut enim leguntur, inquiebat, editi libri ab eruditis & ingeniosis, aut ab ineruditis & inertibus. Isti facilè animadvertunt istos lapsus & sciunt statim tollere vitiosa. His ne studiose quidem edita atq; incorruptißima scripta prosunt.

HEN-

HENRICI MEIBOMII
DEMONSTRATIO,

Saxoniam etiam ante Hermannum Billingium ſuos habuiſſe Duces, adeoq́ue à temporibus Caroli M. ſub Imperatoribus Francicis,

CONTRA ICtos NONNULLOS Superioris Germaniæ in Saxonia parum verſatos.

Beatus Rhenanus præfatione in Germaniam suam.

HOc mirum, quòd in Romanâ antiquitate cognoscendâ diligentissimi sumus, in mediâ, aut etiam vetustiori, quæ ad nos maximè pertinet, negligenter cessamus. In caussâ fortassis est, quòd ex luculentissimis scriptoribus illa facilè cognoscantur, quæ nusquam non exstant: hæc autem propter auctorum inopiam judicio magis colligere sit necesse, quàm alio quovis præsidio. Quamobrem bene mereri de studiosis putandi sunt, qui rem minimè obviam, non sine ingenti labore perquisitam, in medium candidè proferunt. *Hæc ille.*

DE-

DEMONSTRATIO SAXONIAM ETIAM ANTE HERMANNUM BILLINGIUM SUOS HABUISSE DUCES.

POstquàm Brunovicenses hæreditario suo Principi, Duci Henrico Iulio, more majorum rebellantes, eruptionibus absente Principe factis, magnam vim pecorum abegissent, atque in utriusque sexus homines, agros, aras & oppida ferro, flammis, cædibus ac latrociniis sæviendo, omnia crudelitatis genera exercuissent, cum hoc nomine in toto Imperio pessimè audirent, simulque ab Ordinibus agri Brunsvicensis in judicio Cameræ rei agerentur, tum demum cogitare cœperunt, rectene an secus fecissent, & quo prætextu & colore effrenatam istam libidinem excusare & pingere possent: sine dubio exemplo gentis cujusdam Arctoæ, quæ olim fures accusatos in crucem agere, & illis exstinctis primum quid & quantum deliquissent inquirere solita est. Cum verò dubitarent an in viciniâ, istorum flagitiorum inventuri essent patronos, ad quosdam ex Germanis superioribus itum est, præsertim eos, quos sperarunt Duci Henrico Iulio, quantum in ipsis esset, ægrè facturos: quâ in re minimè eos spes fefellit. Etsi autem meum non sit pronunciare, quid patroni isti præstiterint, illa enim ad ICtorum scholas pertinent, neque deerunt, qui in id inquirent; tamen cum nonnulla ad meam professionem pertinentia admixta videam, operæ precium puto, de eâ re cum ipsis velitationem instituere. Id dum cogito, laudare tamen cogor, quòd patroni isti discipulis suis ostendunt, cognitionem antiquitatis, cumprimis verò patriæ, permultum conducere ad lites, controversiasque legitimè cognoscendas dirimendasque: quàm enim multi in ea re negligentes & remissi sint, quàm nihil notitiæ historiæ tum veteris tum recentis habeant, ipsa loquitur experientia, & nolint velint prodere coguntur. Verum optârim istos superioris Germaniæ ICtos paulò diligentius legere, hujus nostræ, versus occidentem & septentrionem regionis Historicos, quod si facerent, non adeò ineptè de nostris rebus pronunciarent, tamque absurdos errores errarent. Quod si ab ipsis factum esse ostendero, non habebunt cur mihi irascantur. Quæ autem me offendunt, quibusque contradicere cogor, paradoxa sunt ista, sequentibus verbis expressa pagina 34. editionis

Paltheniana Francof. *Accedit & hoc, quod Saxonia inferior, postquam à Carolo M. est devicta, usq; ad Ottonem M. immediatè Cæsarem Romanum & Imperium recognovit, ut probatissimi quique historici asseveranter tradidêre. Primus autem Romanorum Cæsarum Otto M. in Italiam iturus Hermannum Ducem, non totius quidem, sed ejus partis, quæ hodie Ducibus Lunaburgicis & Ducibus Saxoniæ inferioris paret, creavit, ut interim dum ipse Cæsar abesset, ille limites Imperij contra barbarorum incursiones tueretur. Hinc Helmoldus in Chron. Slavor. lib. cap. 10. de Othone Imp. loquens scribit: Nondum post tempora Caroli propter veteres illius gentis seditiones Saxonia Ducem acceperat, nisi Cæsarem. Idem habet Crancius in Saxoniâ lib. 2. cap. 29. & plenius lib. 4. cap. 16. ubi limites Ducatus Saxonici Hermanno à Cæsare Othone concessos definiens hæc addit: Terram verò Brunsvicensem, quæ posteà in Ducatum erigitur, & versus Göttingensem & quæ Transylvania dicitur, cum terrâ VVittenbergensi, quæ nunc superior dicitur Saxonia, & omnem Misniam Thuringiamque tum Saxonici juris pro se ac posteris servavêre Imperatores. Ad quæ omnia diligenter advertendum. Hinc etiam planissimè constat: cum omnis Saxonia post Car. M. immediatè Cæsaribus paruerit: ad civitates primarias & ab illis immediatè adCæsarem jus provocandi fuisse: quodq; hujus consequens est, illas verè jus Præsidum Provinciæ obtinuisse: antequam ulli in Saxonia Ducatus erigerentur, & proinde civitates illas eodem jure adhuc uti: nisi quatenus de contrario fides fieri potest. Quatenus enim civitates illas Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus subditas esse constat, eatenus superioribus omnimodò more majorum parendum erit.* Hactenus verba consilij ICtorum istorum. Quis verò ex paulò peritioribus historiarum ista legens & perpendens non obstupescat? Sanè si pari audaciâ in similibus utuntur, mirum non est litium in Germania nullum reperiri modum nec finem. Verùm nos qui non statim omnem candidum lapidem adoramus, ut est in proverbio, ista Iurisconss. oracula diligenter ad veritatem historicam examinata, non ex Apollinis tripode, sed inscitiæ sive malevolẽtiæ penu prolata demonstrabimus.

Et primùm post VVidechindum Saxonum exregem in istâ provinciâ, sicut & in Thuringiâ, Duces fuisse, tam est manifestum, ut qui id negare velit, cum ratione insanire velle credi possit. Quia verò apud Historicos de posteritate VVidechindi nonnulla est sententiarum diversitas, nos omissis illis personis, de quibus alij aliter sen-

tiunt,

tiunt, initium faciemus à *Ludolpho*, quem omnes concorditer Henrici Aucupis avum fuiſſe affirmant. Is *Ludolphus*, ſivè *Luitdolfus Saxoniæ Dux* fuit, & à Gobelino Perſonâ, auctore Coſmodromij, ſcriptore non proletario, cap. 42. ſemel atque iterum *Saxoniæ Dux* nominatur. Idem facit Albertus Stadenſis ad annum Chriſti 1024. Vbi *Ludolfum Ducem Saxoniæ nobiliſsimum*, patrem ejus *VValbertum* & avum *VVicbertum Duces Saxoniæ Chriſtianiſsimos* fuiſſe dicit. Idem ut recentiores prætereamus videre eſt apud Sigebertū in Chronographia ad annum 860. aſſerentem; Iſtum *Ludolphum* DVCEM *Saxonum*, patrem *Ottonis DVCIS*, avum autem Henrici Regis, Corpus S. Innocentij Papæ Româ in Saxoniam tranſtuliſſe. Et quid multis? Ipſum *Ludolphum* audiamus fundationes Monaſteriorum Brunteshuſen (hodiè Brunshuſen) & Gandershemij à ſeſe factas, in hæc verba profitentem: *Quia ſcriptum eſt, precium animæ viri, divitiæ eius. Idcirco ego Ludolphus DVX SAXONIAE, notum eſſe cupio omnibus Chriſti fidelibus tàm præſentibus quàm futuris, quod ego poſt inchoationem Monaſterij puellarum, quod divina inſpiratione commonitus, ſimulque dilectæ conjugis meæ Odæ ſuadela inductus, in honorem Præcurſoris, Stephaniq́, protomartyris in Brunteshuſen ædificare cœpi, literis Dni. Noſtri Ludovici Rom. Reg. invictiſsimi ad ſanctiſsimum Sergium Papam acceptis, cum prædicta conjuge mea anno Dominicæ Incarnationis D.CCC.LIII. Indictione 1. Romam ivi, &c.* Et poſteà: *Cum autem divina cooperante gratia proſpere domum rediſſemus, gratanter à dicto collegio recepti, eundem locum ſacro puellarum cœtui videntes nimis anguſtum, in quadam ſylva hereditatis noſtræ juxta fluvium Gande, qui alio nomine Eſterna nuncupatur, anno ab Incarnatione Domini D. CCC. LVI. Indictione 4. Eccleſiam in dictorum Confeſſorum honorem non longè à loco priori, celebriore ædificio conſtruximus, &c.* Obiit Ludolphus relictis filiis tribus, Brunone, Ottone & Danevvardo. Ex his *Bruno*, ſecundum VVidechindum & Stadenſem natu major accepit gubernandam Saxoniam, fecitq; initium urbis Brunſuigæ, quam ſucceſſores ejus inhabitarunt. Hic *Bruno Dux* appellatur ab annalibus Francicis ad annum 880. Dithmaro lib. 2. Helmoldo lib. 1. cap. 7. Adamo Bremenſe cap. 31. Alberto Stadenſe ad annum 876. & 917 Conrado Vrſpergenſe pag. 294. Gobelinus cap. 43. *Comitem & Ducem* vocat, qui locus ſi Crancio, in cujus ſcriptis penè totum reperias Coſmodromium, in mentem veniſſet,

non adeò turpiter impegisset lib. 2. Metrop. c. 30. ubi affirmat, hujus *Brunonis Saxoniæ Ducis* tempore in Saxonia *Comitum* nomen incompertum fuisse. Etenim annales Franciæ proceres istos, qui cum Brunone à Normannis cæsi sunt, diserte *Comites* vocant, sicuti idem facit Adamus Bremensis cap. 31. Taceo, quod nihil frequentius in istius temporis scriptoribus *Comitum* mentione: & ipse Crancius in Metropoli lib. 1. cap. 40. & lib. 2. cap. 16. *Cobbonem Comitem Teckelburgensem* Ludovici 1. Imp. coætaneum non ignorat. Hoc Brunone à Normannis interemto, quod factum est anno 880. successit in Ducatu frater ejus germanus *Otto* natu minor, sed, ut VVidechindus Corbeiensis, omni virtute potior. Is *Dux Saxoniæ* nominatur à Sigeberto Gemblacensi ad annum 920. Reginone ad annum 911. Chronico Laurisheimense pag. 69. Ottone Frisingense Chronici lib. 6. cap. 15. 16. & 18. in historia Archiepiscoporum Bremens. è bibliothecâ Ranzovianâ editâ ad annum 917. Alberto Stadense ad annum 917. Gobelino c. 46. VVidechindus lib. 1. eundem *Magnum Ducem* appellat, quod repetit Vrspergensis pag. 194. Dignum verò notatu, quod Sigfridus presbyter Misnensis lib. 1. ad annum 917. & Compilator Chronol. anonymus de Saxonibus ad annum 924. hunc Saxoniæ Ducem *Ottonem de Brunswigia* appellant, ex quo manifestum est principem istum Brunsuigam, quam frater condiderat, inhabitasse, ibique imperium tenuisse. Defuncto hoc Ottone, magno Saxoniæ Duce, filius ei successit *Henricus Auceps*; cui pater totum reliquit Ducatum, ut VVidechin. lib. 1. Indigitatur *Auceps Dux Saxoniæ* à Dithmaro lib. 1. VVidechindo lib. 1. Reginone ad annũ 919. & 920. Sigeberto ad annum 914. & 918. Luitprando Ticinensi lib. 2. c. 7. Vrspergense pag. 185. & 195. Alberto Stadense ad annum 913. & 917. Gobelino Persona cap. 47. Sigfrid. Præsb. ad annum 888. Nihilq; ad rem facit, quod ab Hermanno Contracto & aliis *Auceps Comes* nominatur: illa enim vocabula Ducum, Comitum & Baronum sæpe apud scriptores confunduntur. De posteris autẽ Aucupis, Ottonis & cæterorum, quin æque ut eorum Majores quos diximus, Duces Dominique Saxoniæ inferioris fuerint, neque saltem titulo nomineq; tenus, sed ditiones cum Imperio, hereditario jure tenuerint, nemo sanè sani capitis dubitabit. Ex quibus, nisi valdè fallor, luce meridiana clarius est, habuisse Saxoniam suos Duces etiam an-

te Ottonem Magnum: quod & de *Thuringiâ* adfirmat Gobelinus pag. 42. ubi *Ratholfum Comitem* ex commissione Ludevvici regis Thuringiæ Ducatum obtinuisse scribit. Locum illum vidit Crancius, sed nomen corrupit. Legatur Metropolis lib. 2. cap. 14. Atque hi scriptores quos adduxi non tantum Helmoldo & Crancio æquari possunt, sed jure præferri debent. Sunt enim antiquissimi, quos habemus: sunt fontes, ex quibus Crancius sua depromsit: quem ut suâ laude minimè defraudamus, sic tamen legendum censemus, ut cum aliis eum conferamus. Et in hac ipsa quidem, quam tractamus, quæstione Crancius sibi non satis constat: nam lib. 2. cap. 29. Saxon. de Ducum Saxon. temporibus loquens sic ait: *Crediderim Saxones eâ ætate jam subditos religioni paruisse Pontificibus, nec Ducis alicujus tulisse imperium.* Non crediderim hæc Cranci, quia Episcopi ætatis ejus docebant populum, habebant scholas templis adjunctas, contenti suis decimis & piorum oblationibus nullo erant cum imperio. Quæ sequentibus temporibus impetrarunt bona, administrarunt *Advocati*, sive *Vice-Domini*. Et de Brunone Antistite Coloniæ Agrippinæ tanquam insolens exemplum refertur â VVidechindo, quòd Pontificis summi & Ducis magni officium simul gesserit. Erat enim Lotharingiæ Ducatus administrator. Quod si verò apud ICtos istos autoritas Crancij tanti est, hunc quoque ostendam â nobis non dissentire. Etenim in confutatione Legendæ fabulosæ, Metropoli adjectâ, *Ludolfum Ducem Saxoniæ* appellat. Filios ejus *Ottonem, Brunonem & Tanquardum Duces* vocat Saxoniæ lib. 2. cap. 29. quod idem de Brunone lib. eodem cap. 33. & de ejus fratre Ottone lib. 3. cap. 2. repetit. Etsi sui ipsius oblitus in Metropoli cap. 26. lib. 2. Henricum Aucupem primum Saxoniæ Ducem vocet: in confutatione verò legendæ antedictâ id Ludolfo Aucupis avo attribuat. Ad summam ex Crancio quod allatum est probari minime potest: & si posset, pluris tamen apud nos meritò sunt aliorum testimonia. Obtestor autem per Deum omnes cordatos & veritatis amantes lectores, ut inspecto loco, quem citant Iurisconsulti illi ex Crancij Saxonia lib. 4. cap. 16. mentem scriptoris cognoscant. Scribit, *Imperatores Saxonicos,* (de illis enim loquitur) *concessâ Hermanno Billingio Saxoniæ parte & Slesvico Regibus Daniæ reddito, retinuisse sibi suisque posteris terram Brunsuicensem, Gottingensem & Transsylva-*

vanam regionem cum superiori Saxonia Misnia & Thuringia. Caussam subjungit his verbis: *Alioqui stultum fuerit ditare extraneum & suos exhæredes facere.* Hîc Crancius nihil aliud indicat nisi quod Saxonici Imp & cum primis Otto M. sibi & suis posteris more majorum conservarit ditiones quas jure hæreditario possidebant: de illis autem, quæ armis quæsierant aliquid vel reddidisse victis, vel nonnullis bene de Republ. meritis tanquam beneficium concessisse. Hanc suam mentem clarius explicat Crancius libro Saxoniæ eodem, cap 36. Minimè gentium igitur extruetur ex Crancio omnem Saxoniam post Carolum M. usque ad Ottonem M. immediatè Cæsarib. paruisse: imò contrarium ex eo liquet. Vtinam verò superiores isti Germani legissent Origines Saxonicas Georgij Fabricij, historici probatissimi, & absque dubio ejusmodi paradoxa nunquam in medium protulissent. De civitatibus primariis, ad quas olim in Saxonia provocatio facta sit, quæ garriunt, gerræ sunt Siculæ: nam tota historia nostra reclamat. Quæ enim apud nos nunc florent urbes primariæ, ad quas illi respiciunt, partim tunc non erant, partim ignobilia fuerunt opidula, cumprimis *Brunsviga*: nisi fortè intelligunt *Gandersheimium* & *Helmestadium* quas antiquissimas Saxoniæ Cisveseranæ civitates fuisse, annales testantur nostrates. Verum hæc de præsenti materia hoc tempore: aliàs plura si fuerit opus, & similia illi proferent paradoxa.

HEN-

HENRICI MEIBOMII DISSERTATIO,

Super quodam antiquo & antiquato Cæsarum Germanicorum jure in decedentium majorum Prælatorum relictis possessionibus.

LII

NICOLAUS HENELIUS
Silesiographiæ cap. VI. pag. LXVI.

Defungentium Antistitum bona non Ecclesiis, neq; cognatis, sed fisco regio, sive Cameræ cedunt: quæ ob id mortuo Abbate, vel Abbatissa, quamprimum à fisco obsignantur, & præsente fisci advocato in Inventarium rediguntur. Idem olim jus Imperatores in Episcoporum & Abbatum mortuorum bonis mobilibus & se moventibus, quorum omnium fiscus heres erat, vel Camera Imperialis, usurpaverunt: ut pluribus docet Henricus Meibomius *in peculiari super eo jure dissertatione. Idq; inde à Carolo M. usq; ad Ottonem IV. qui incertum sponte, an importunis Electorum Principum precibus, verborumq; lenociniis victus, in maximum succedentium præjudicium, parum consulte id abrogavit, ut apparet ex Principum Imperij scripto ad Innocentium III. Pontif. Rom. & post illud Friderici II. Imp. aurea bulla, §. IV. Quorum tamen constitutiones per omnia apud nos minime receptæ.*

DISSERTATIO DE IVRE QVODAM ANTIQVO IMPERATORVM GERMANICORVM.

KArolus M. Imperij Romani versus occidentem instaurator fortissimus, felicissimus, eiusq; successores Cæsares Germanici, cùm majoribus Prælatis, hoc est, archiepiscopis, episcopis, & abbatibus eminentioribus, prædia ac fundos, unde clerici divino servitio mancipati liberaliter & honestè alerentur, munificè assignassent, præter tallias, sive collectas regales, fodrum, paratas, & mansionaticum, (quæ regibus adventantibus & quamdiu ibi moram traherent exhibenda erant) hoc juris sibi ac Imperio retinuerunt, ut ex hac vitâ decedentium majorum Prælatorum, quos dixi, relicta bona, sive res mobiles, puta aurum, argentum, pecunia, clenodia &c. ac se moventes, videlicet equi, pecudes, animalia domestica, feræ: ecclesiarum deniq; vacantium reditus, quamdiu vacarent, cederent fisco seu Cameræ Imperiali. Isto jure & privilegio gavisi sunt Imperatores Germanici omnes usq; ad Fridericum Suevum, cognomento Barbarossam, cui Vrbanus tertius hoc nomine primus litem movit, quemadmodum in sequentibus audiemus.

Scriptores rerum Germanicarum, ut in aliis rebus, ita in hoc etiam Augustorum jure & consuetudine explicandâ valde negligentes fuere. Exstant tamen apud nonnullos vestigia quædam obscura, quæ diligenter indagata in lucem producemus. Ekkehardus monachus Sangallensis in casibus sui monasterij cap 1. de Hattone archiepiscopo Moguntino, qui Ludovici IIII. & Conradi I. Augg. ἀγχιςεὺς fuit, sic scribit: *Parvo post tempore confectus Italicâ febre cruce non exactâ diem obijt. Egit tamen ille* (Salomon Constantiensis Episcopus) *pro animâ ejus precibus & opibus, quantumcumq; potuit: SCRINIA,, EIVS (Hattonis) PALATIA ADDICTA SIBI NON PRODERANT.,,*

Adamus Bremensis historiæ ecclesiasticæ pag. 122. Historia archiepiscoporum Bremensium edita ab Erpoldo Lindenbruch pag. 46. Albertus abbas Stadensis, Albertus Crancius in metropoli lib. 5. cap. 11. penè iisdem verbis de Adelberto archiepiscopo Hamburgense hæc habent: *Obijt clarissimus noster metropolitanus Adelbertus 17. Kal. Aprilis, Indictione 10. Hic est annus Domini nostri Iesu Christi*

1072. *Alexandri Papæ II. Henrici quarti 17. Præter libros sanctorumq́; reliquias & vestimenta sacra ferè nihil inventum est in thesauris ejusdem viri, ,, quæ tamen OMNIA REX ACCIPIENS, una cum preceptis ecclesiæ tulit etiam manum S. Iacobi Apostoli, quam dono Vitalis Venetorum Episcopi ab Italiâ rediens quondam secum deportaverat.*

Chronicon Laurisheimense editum operâ Marquardi Freheri ICti & consiliarij archipalatini, in historiâ Henrici ejus loci abbatis quadragesimi hæc refert: *Frumentum & vinum, quod eo anno abundantissimè provenerat, cum his, quæ ab anno præterito more suo copiosè , conservarat, partim ab ipso distributum, partim temerè distractum, partim ,, IMPERIALI MVNIFICENTIA successori suo* (Sigehardo) *donatum.*

Hæc apud istos scriptores, quæ etsi obscura, aliqua tamen monstrant juris hujus Imperatorij vestigia. Disertiùs & explicatiùs rem indicat continuator Helmoldi Buzoviensis, Arnoldus ex monacho Santægidiano Brunsuicensi primus abbas Lubecensis, lib. 3. cap. 16. Vbi de Vrbano III. Papâ, cum Friderico Barbarossâ Romæ disceptante, sic scribit: *Affirmabat etiam* (Vrbanus Papa) *quòd* (Imperator) ,, *Episcoporum exuvias injustè acciperet, quæ dum ipsis mortuis de ecclesiis ,, rapiantur, ecclesiæ quasi corrosæ & exspoliatæ ab Episcopis subintrantibus inveniuntur; ita ut ex necessitate quadam raptores injusti inveniantur, dum ablatis stipendiis, quæ injusta sunt, de novo resarcire cogantur.* Et ibidem cap. 17. Philippus Archiepiscopus Coloniensis, quem cumprimis hoc privilegium Cæsareum

Obliqua invidia stimulisq́; agitabat amaris,

eundem Fridericum Aug. ita alloquitur: *Vnde etiam videtur Domino Apostolico* (Vrbano Papæ) *quod justam contra vos caussam proponat, quod mortuis Episcopis confiscantur ecclesiæ, ita ut ablatis omnibus mobilibus & stipendiis præsentis anni, Episcopus subintrans omnia exinanita inveniat.* Hæc Arnoldus Lubecensis & ex eo Albertus Crancius Saxon. lib. 6. cap. 50. & 51.

Verum Imperator sapiens & cordatus insatiabili Pontificum avaritia, Episcoporumq́; πλεονεξίᾳ animadversa, sui se officij, (quod Romani Imperij reditus & vectigalia nequaquam imminui, sed conservari & pro viribus meliora reddi postulat) admonens, Coloniensi Archiepiscopo, ejusq; complicibus masculè respondet his verbis: *In veritate compertum habemus, quod prædecessores nostri antiqui Im-*

Imperatores, hoc juris habuerunt, ut defunctis Episcopis investituram Pontificalem sine alicuius præjudicio probatis personis liberrimè locaverint. Sed quia hoc ipsorum voluntate mutatum invenimus, ratum habemus. Hanc vero minimam scintillam juris nostri, quam invenimus, nequaquam mutari permittimus. Hactenus Imp. vere Germanus.

Ecclesiarum vero vacantium reditus, quamdiu vacarent, fisco Cæsareo cessisse, ex eo patet, quod huic juri renunciare necessum habuerint Fridericus II. & Rodulphus I. Impp. Illius bullam auream edidit Baronius lib. singulari de Monarchia Sicil. pag. 65. & 69. edit. Paris. *Illum quoq;*, ait, *dimittimus abusum & refutamus, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium nostri consueverunt Antecessores committere, pro motu propriæ voluntatis.* Rodulfo totidem verbis in sua confirmatione à Gregorio X. Pontifice ea renunciatio dictata, & ab ipso præstita est Lausannæ anno MCCLXXV. Quanquam idem Fridericus juri suo adeo non resignavit, ut in alio diplomate, dato Cremonæ anno MCCXXXIIX inter alia ita scribat: *Quod in curia nostra, dictante sententia Principum, & de speciali petitione conquirentium sit obtentum, quod quilibet Imperator in indicta curia percipere debet integraliter, & vacantibus ecclesiis omnia, usq; ad concordem electionem habere, donec electus ab eo regalia suscipiat.*

Non destiterunt tamen Archiepiscopi & Episcopi Imperio Romano subjecti, hoc saxum volvere, & Imperatoribus quiritando molesti esse, donec voti redderentur compotes, quod demum factum est tempore Henrici VI. Friderici Barbarossæ filij; qui cum unice hoc ageret, ut Imperium suæ familiæ hæreditarium faceret, neq; quicquam Principibus, ut quod volebat ab iis extorqueret, denegaret, huic avito juri renunciavit. Cum vero Saxones induci non possent, ut Cæsari in tam insolenti negocio gratificarentur, nihil in Imperio immutatum est, mansitq; Cæsaribus jus suum integrum, usq; ad obitum Henrici VI. Videatur Chronicon Belgicum Magnum ad annum MCXC. Tunc vero Principes majores, penes quos tum temporis potestas fuit designandi novum Cæsarem, de electione discordarunt, quibusdam Philippum Suevum, aliis Ottonem Saxonem, Henrici Leonis filium, eligentibus. Hi duo de honore & dignitate semel oblatâ retinendâ soliciti, vel inviti cogebantur gratificari suis fautoribus. Qui etiam

per hanc occasionem, (cùm jam non ampliùs lis esset de paupere regno, neq; exuviæ Episcoporum, ut nuper, tenues & non magni essent momenti, sed dignæ, pro quibus vindicandis laborarent) ex illâ exactionis, quam vocabant, molestiâ atq; onere sese eximere atq; in absolutam vindicare libertatem maximoperè satagebant. Manifesta hæc & plana ex literis, quas principes, quorum suffragiis Otto quartus electus est, Romam ad Innocentium 4. Papam miserunt. Exstant apud Cæsarem Baronium, historiæ ecclesiasticæ tomo 10. Nos pauca inde transcribemus, quæ ita se habent. *Nos autem principes, qui jam dictum Dominum* (Ottonem) *in regem elegimus, feuda nostra, quæ ab Imperio tenemus, à manu ipsius recipientes, hominium sibi fecimus, & fidelitatem iuravimus. Tantæ igitur dignitatis munus, excellentissimus princeps, divinæ potiùs gratiæ, quàm suis meritis adscribens, primitias huius honoris adferens Domino, propriâ voluntate iuramento firmavit, inprimis sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, deinde omnia ecclesiarum iura, bonâ fide servare & manutenere, & subiectos Imperij, exheredatos maximè, & à suis possessionibus violenter eiectos, in suâ justitiâ pro posse iuvare & conservare. Pravam illam consuetudinem insuper, quam Imperatores antecessores sui, in occupandis rebus mobilibus, & se moventibus, decedentium Episcoporum, vel Abbatum Principum, hucusq; servaverunt, penitus exstirpans, nos ecclesiasticos principes ex hac indebitâ vexatione regali benevolentiâ liberos dimisit, & decedentium bona suis successoribus servanda liberaliter statuit.* Hæc illi apud Cardinalem Baronium.

Num verò optimus Imperator, cui, ut tota ejus ostendit historia, regni jura sarta tecta conservare cumprimis curæ fuit, ultrò, vel an non potiùs importunis electorum principum precibus, verborumque lenociniis victus, in maximum succedentium præjudicium, parum consultè ista admiserit, lectori judicandum relinquimus. Hoc certum, non ubivis locorum morem illum invaluisse, neq; omnes Prælatos in Germaniâ simul istam libertatem adeptos. Colligitur ex diplomate Cæsareo Ottonis 4. prædicti, quod cùm non parum rem, de quâ hîc agimus, illustret, ex codice manuscripto integrum apponemus. *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto quartus divinâ favente clementiâ Romanorum Rex & semper Augustus. Iustum est & honestum, ut bene meritos suorum meritorum digna bene-*

beneficiorum premia congruo ordine subsequantur. Vnde est, quòd nos attendentes præclara devotionis obsequia, quæ dilectus princeps noster Albertus ecclesiæ Magdeburgensis archiepiscopus, ab exordio nostræ promotionis ferventer nobis exhibuit, & Domino etiam concedente inposterum nobis est exhibiturus, non immeritò ad omnia ea exequenda purâ animi nostri movemur intentione, quæ vel honorem personæ suæ respiciunt, vel ad commodum, vel utilitatem ecclesiæ suæ principalis, & demum suffraganearum ecclesiarum suarum conducunt. Cùm igitur ex antiquâ & antiquatâ consuetudine omnium Episcoporum decedentium, qui de iurisdictione sunt Imperij, in quibuscunq; reditibus, reliquiæ fisco cedere debeant Imperiali, ob sinceram dilectionem memorati archiepiscopi, ejusq; personæ reverentiam, successoribus, dummodo à præsenti togâ carnis exeunt, & omnium Suffraganeorum suorum successoribus, in perpetuum concedimus, ut omnes proventus Episcopales, qui defunctis Episcopis Imperio cedere consueverunt, deinceps ad usus ipsorum colligantur, & collecta reserventur. Statuentes, ut si decedentes Episcopi aliquibus debitis fuerint innodati, ea exinde persolvantur, per hoc tamen speciale gratiæ nostræ donum N. ecclesiam, omnesq; eius Suffraganeas ecclesias, cum omnibus earum familijs occasione memorati archiepiscopi volentes esse specialiùs honoratas, &c. Datum Brunsuigæ anno 1208. 13. Kal. Iunij. Hactenus diploma Ottonianum, ex quo illud, cujus meminimus, liquidò apparet: nequaquam omnibus in Imperio ecclesiis majoribus uno eodemq; tempore immunitatam istam indultam: sed vel hunc Albertum archiantistitem, vel alios, per occasionem gratiæ, quâ apud Augustos valebant, hujus alienationis initium fecisse. Gustatâ autem dulcedine boli istius, Imperiali Cameræ prærepti, non destiterunt reliqui etiam Prælati omnem movere lapidem, donec optatis fortuna responderet. Ad quod profuit ipsis inter Papam & Cæsarem dissidium, quod eum habuit exitum, ut fulmen Italicum sceleratè & iniquè in Imperatorem Ottonem vibraretur. Cui à Principibus deserto & exauctorato, cùm Fridericus secundus successor designaretur, non potuit ille solidè gaudere dignitate novâ, nisi jure à majoribus suis sine injuriâ usurpato, & quidem nuper ab avo Friderico Barbarossâ contra vulturium istum trans Alpinum Vrbanum Papam masculo animo defenso, in magnum Imperij Romani, aliâs per investiturarum Episcopalium alienationem plùs satis enervati, detrimen-

mentum, inconsultè se abdicaret. Habeo Imperatoris hujus diploma datum Herbipoli anno 1216. 5. Idus Maij, ex quo pauca adscribam. *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus Dei gratiâ Romanorum Rex, semper Augustus & Rex Siciliæ. Illud privilegium, quod Rex Regum, & Dominus dominantium, in memoriam ecclesiasticæ libertatis preciosissimo suo sanguine scripsit, ita regio decet custodire favore, ut nunquam in eo quidquam appareat, quòd illius gratia videatur obtenebrare decorem quæ à tanto procedit auctore. Ut ergo post terreni regni fastigia securiùs exspectare possimus ab ipso æternæ felicitatis coronam, cùm nostræ devotionis ministerio permanserit in suæ integritatis gloriâ sponsa Christi, grata sui status debet à nobis percipere potiùs incrementa, quàm ipsius quasi sub quadam specie servitutis pro posse sinamus indumenta discerpi: ideoq; veterem illam consuetudinem detestantes, quam antecessores nostri Romanorum Imperatores & Reges in Cathedrales exercuerunt ecclesias & Abbatias, quæ manu Regia porriguntur, quòd videlicet decedentibus Episcopis & Prælatis earum, non tam reliquias rerum mobilium eorundem consuerant occupare, & convertere in usus proprios occupatas, quàm etiam reditus & proventus per totius anni curriculum ita prorsus auferre, ut non possint solvi debita decedentis, nec succedenti Prælato necessaria ministrari. Eidem consuetudini, sive iuri, vel quocunq; vocabulo exprimatur, renunciamus penitus, ob reverentiam crucifixi, cuius in corpore nostro baiulamus insignia, illud eisdem ecclesiis perpetuo iure donantes, & auctoritate regiâ statuentes, ut ecclesiarum omnium libertate integrâ semper in omnibus permanente, res & reditus huiusmodi in solvenda debita decedentium Prælatorum, & in alios ecclesiasticos usus per manus legitimè succedentium liberè convertantur. Obsecramus igitur easdem ecclesias & in virtute altissimi contestamur, quatenus ob hanc munificentiæ nostræ gratiam, apud altissimum supplere dignentur imperfectum pijs orationibus, & post terminum vitæ nostræ anniversarium obitus nostri diem in perpetua commendationis memoriâ retinere, &c.* Testes diplomati adscripti sunt, Otto Frisingensis Episcopus, Conradus Ratisbonensis episcopus, Sifridus Augustensis Episcopus, Siboto Havelbergensis episcopus, Engelhardus Coloniensis electus, Vlricus Pataviensis electus, Cono Elevacensis abbas, Henricus abbas Hersfeldensis, Hartmannus Fuldensis electus, Ludovicus Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ, Leopoldus Dux Austriæ, Otto Dux Moraviæ, Hermannus marchio

de

de Baden. & Fridericus frater ejus, Anshelmus marschalcus, VVernerus dapifer, VValterus pincerna regalis aulæ, &c.

Ottoniano diplomati subjunguntur hi testes, Hartbertus Hildensemensis Episcopus, Tidericus Mersburgensis Episcopus, Siboto Havelbergensis Episcopus, Henricus Palatinus Comes Reni, Bernhardus Dux Saxoniæ, Hermannus Lantgravius Turingiæ, Tidericus Marchio Misnensis, Conradus marchio de Landsberg, Adelbertus marchio Brandenburgensis, Comes Fridericus de Brene, Gevehardus Burggravius Magdeburgensis, Comes Adolfus de Schovvenburg, Comes Burchardus de Mansfelt, Comes Algerus de Hohnstein, Albertus & Gevehardus fratres de Arnstein, Cone de Minczinberg, Basilius de Osterrode, Gunczillinus dapifer, Tidericus Rabil, &c.

Verùm quòd Romanus Pontifex hanc Prælatorum caussam, vel primus agendam suscepit, vel agi cœptam tam diligenter fideliterq; juvit & promovit, sine dubio duas fecit ob caussas, nempe ut Imperatores Germanicos, quorum potentiâ & auctoritate curiæ Romanæ, inter immodicas opes luxuriantis, petulantia & libido coërceri refrenariq; poterat, enervatos & imbelles redderet: Episcopos autem, quos satellites & tyrannidis suæ ministros volebat, ad Rempublicam, quoties è re videbatur, perturbandam, viribus nervisq; instructos, redderet paratiores. Deinde id moliebatur, ut prædam istam, sub specioso pietatis prætextu Cæsaribus subdolè & vafrè extortam, per commodam & idoneam aliquam occasionem suam faceret. Cujus conatus rapacis & sacrilegi illustre ac memorabile exemplum exhibet Chronicon Coloniense vernaculâ lingua scriptum: auctoris in historiâ Adolfi, eius nominis secundi, ex Comite Marcano archiepiscopi Coloniensis, hæc sunt verba: Item dair en bouen/ quam ouch mere schadens/ der Kirchen von Coellen/ want der vurs Pays (intelligit Vrbanum quintum) mit einre nuwer wijse der gijerheit hadde he dain behalden ind verwaren vur des Pays Kamer alle dat Goit des vürs Buschoffs Wilhelms dat he gelaissen hadde/ ind dairumb soe bald as Buschoff Adolff vurs. in die Coelsche Kirche komen was/ schickte Pays Vrbanus einen synre Dienre ine Stifft van Coellen/ mit namen Petrus Begonis, ind der hiesche ind vorderde all dat ghene/ dat Buschoff Wilhelm nae gelaissen hadde/

 vp dat

vp das aller vysserste. He vorderde alle ind ein yglich beyde snode/ind koestlichen dinge / die in der Kyrchen guede geronden wurden / alle lijfftzucht/ Wijn ind Korn / dat ouch vp den Schloessen was / dat dair bestalt was/ die dae mit vp zo halden. Item alle ingedome Huysrait / alle silvere ind gülden vas/ alle Cleynodie/ Gott gewe sy dienten zo ydelheit / off zo den Goßdiensten / off zo dem Buschofflichem stait. Dit alle same verkouffte des Pays bode so kale/ dat niet dae blev:/ind macht dat zo Gelt/ ind voirt dat mit sych gen Rome vur des Pays Kamer / dye vurs Coelsche Kyrche berouvende so schedelich mit sulcher groisser ungewoenlicher schande aller Mynschen. Hæc Chronicon Coloniense satis liberè.

Petrus Mersæus Minorita Coloniensis in catalogo archiepiscoporum Coloniensium, ne Idolum suum Romanum offendat, in historiâ VVilhelmi archiepiscopi rapinam hanc dissimulat contentus dixisse: *Reliquit Episcopatum omnibus rebus necessariis, vino & frumento refertissimum, quæ omnia post eius obitum, ita brevi absumta sunt, ut quasi nihil reliquisse videretur.* In historiâ verò archiepiscopi Ioannis vix uno verbulo rem attingit. *Interim*, inquit, *summus Pontifex Vrbanus V. cùm sibi ad suas manus omnia assumsisset, ac vindicasset, quem ecclesiæ præficeret, secum expendit.*

En tibi autem vulturem cucullatum, ex monacho Massiliense Papam, alterum Verrem, diœceses & monasteria everrentem, nihilque, quod non eversum atq; extersum, relinquentem, Vrbanum dico V. qui quod ipsius antecessor Vrbanus tertius versipellis & callidus hypocrita, ante annos circiter centum & octoginta duos, injustum, adeoq; ecclesiarum corrosionem & exspoliationem, id est, manifestum sacrilegium vocare non dubitavit, impudenter & sine exemplo perpetrare haud erubescit.

En etiam Adolfum Coloniensem Præsulem luentem pœnas inconsultæ illius & præposteræ sententiæ, quam antecessor ipsius Philippus contra Fridericum Barbarossam, tum Romæ, tum alibi in Comitiis Imperij protulerat. Verè ergo Claudianus in Eutropium lib. 1.

Quàm benè compositum est terris, ut semper iniqui
Fructus consilij primis auctoribus instet.

Et Lucretius lib. 5.

Circumretit enim fraus atq; injuria quenq;,
Atq; unde exorta est in eumplerumq; revertit.

Hoc

Hoc nimirum moliebantur Romanæ Harpyiæ (si, ut Hieronymus loquitur, malitia tantas habuisset vires, quantos conatus) ut quod in Italiâ per inveteratam, sive veteratoriam consuetudinem obtinent, idem etiam in Germaniâ, ubi opulentiores & magis divites Prælaturæ, inobservatis molitionibus impetrarent, nempe ut alienis bonis per fraudem & sacrilegium insatiabilem cupiditatem explerent.

Morem istum Italicum graphicè describit Theodoricus Niemius, (quem nescio cur Magdeburgium nominent Fabricius in Originibus Saxonicis lib. 2. & Petrus Albinus progymnasmatum pag. 199. cum Nihemio agri Padibornensis opido oriundus fuerit) ex scribâ Pontificio primùm Verdensis, deinde Cameracensis Episcopus, in Nemore unionis tractatu 6. quem Labyrinthum nominat, cap. 36. his verbis: *Hi boni Episcopi, Abbates & Prelati* (Italici) *Christo pauperi, & ejus pauperibus sunt acerrimi & parcissimi, sed fisco fidelissimi, cui omnem eorum substantiam vivi miserè vivendo conservant. Morientibus enim dictis Episcopis, Abbatibus & Prelatis, omnia per eos relicta (quæ* spolia *& meritò appellantur) collectores fructuum Cameræ Apostolicæ recolligunt, & in usus eorum, seu Cameræ prædictæ convertunt, metentes messem, quam non seminarunt. Per has depredationes & rapinas, ultrà quam dici potest, cathedrales ecclesiæ & monasteria Italiæ destructa sunt, & pauci in eis, scilicet monasteriis, ministri & monachi degunt. Hi etenim collectores & officiales, stimulante avaritiâ, multis malignis spiritibus quodammodo sunt æquales: quia ipsi Spiritus animas eorundem avarorum Prelatorum ad ima inferni demergunt, & hi caduca bona illorum omnia tollunt & consumunt.*

Hæc dicto loco Niemius: qui idem lib. 2. de schismate cap. 10. addit, non exspectatam semper, verùm sæpe-numero præventam fuisse à raptoribus decedentium Prælatorum mortem. De Bonifacio nono (quem modò *improbum mercatorem*, modò *inverecundum & ingeniosum quæstorem, & in fundum iniquitatis descendentem*; Gobelinus in Cosmodromio ætate 6. cap. 87. *petram scandali & lapidem offensionis* appellat) verba ejus ista sunt: *Hic etiam Argus antistites, libros, vestes, utensilia, & pecunias suorum curialium & Prelatorum, adhuc quandoq; ipsis agonizantibus, per quosdam officiales suæ curiæ ad hoc deputatos, pro se recolligi fecit ad instar corvi in prædam biantis.*

Nullus etiam dubito, quin Alastor ille Bonifacius nonus, ex isto jure Cæsarum, cujus diploma Friderici secundi meminit, quòd nimirum Imperatoribus licuerit *ab obitu Prelati cuiuslibet majorum reditus & proventus per totius anni curriculum prorsus auferre*, suas excogitarit Annatas, novum anteaq; inauditum aucupij genus, de quibus Niemius lib. 2. de schismate cap. 7. his verbis: *Demum circa annum sui regiminis decimum, ut cautius ageret in hac parte, palliaretq; Simoniam, quam exercuit, quodam necessitatis colore, primos fructus unius anni omnium ecclesiarum Cathedralium & Abbatiarum vacantium suæ Cameræ reservavit, ita quòd quicunq; ex tunc in Archiepiscopum, vel Episcopum, aut Abbatem, per eum promoveri voluit, ante omnia cogebatur solvere primos fructus ecclesiæ vel monasterij, cui præfici voluit, etiamsi nunquam possessionem eiusdem consequi posset, de quo ipse Bonifacius penitus non curabat: imò sæpe dicebat, utinam non adipiscatur possessionem ecclesiæ vel monasterij huiusmodi, ad quam, vel ad quod eum promovi: ut iterum de alio, quem præficeret illi ecclesiæ, vel monasterio; sicq; recentes pecunias extorqueret.*

Vide autem, cordate lector, & exsecrare mecum detestandam profligatamq; ingratitudinem Romanorum Pontificum, erga optimos Cæsares Germanicos, quorum piâ munificentiâ ex inopiâ pervenerant ad opes: non enim conquievere, neq; fraudum, technarum, aucupiorumq; finem modumve fecere priùs, quàm benefactores suos, memorabili impudentiæ & improbitatis exemplo, ab opibus tanto oneri pernecessariis, ad deplorandam detruderent inopiam, ipsumq; Romanum Imperium, toti olim mundo venerabile ac æquè formidabile, suis juribus, vectigalibus, ornamentis, majestate & auctoritate, turpiter spoliatum denudatumq;, vicinis regibus dilacerandum vexandumq; propinassent.

Ab Henrico quinto, & Lothario Saxone, isto bellis civilibus per vim oppresso, hoc superstitione dementato, antiquum jus conferendorum Sacerdotiorum (vulgò Investituram Pontificalem vocant) quod à temporibus Karoli magni per continuos trecentos annos defensum conservatumq;, Imperatoribus ad bella gerenda vectigal erat maximè necessarium, primùm extorserunt: quo concesso, ambitiosis Pontificibus, ad omne nequitiæ & crudelitatis genus impunè exercendum fenestra patefacta est.

Secu-

Secuta post annos centum, & quod excurrit, iniquissima spoliatio heredij istius ecclesiastici, de quo hîc disserimus. Potuissent eo jure & privilegio bono titulo uti & gaudere nostri Imperatores, utpote quorum liberalitate, etsi immodicâ & præposterâ, majores Prælati supra morem modumq; ornati oneratiq; erant: potuissent superflua bona, quæ incautis possessoribus relicta malorum erant irritamenta, sibi & fisco vindicata, ecclesiæ ac reipublicæ ornandæ defendendæq; impendere. Quo verò jure, quove prætextu, exuviæ illæ ad extraneum, eumq; ecclesiastici ordinis, nulloq; cum magistratu hominem, cui cum rebus Imperij nihil negocij, quiq; aliàs plus nimio ab eo detraxit, ac rabidam demersit in alvum, devolui potuerint vel debuerint, equidem non video. Sed hæc, & similia ostendunt, non sine gravi causâ Fridericum Secundum, Imperatorem summis illis omnium temporum heroibus annumerandum, exclamando quasi dixisse: *Reverâ Imperialis felicitas Papali semper impugnatur invidiâ.* Lege Cæsaris hujus Epistolam apud Petrum de Vineis lib. 1. epist. 31.

Ioannes Nauclerus Chronographia optimâ Volum. 2. generat. 41.

ANno Domini 1214. (1212. ut vult Godefridus monachus) Otto quartus Imperator, cùm ad partes Germaniæ dimissâ Italiâ declinasset, circa festum Pentecostes conventum Norinbergæ principum suæ partis celebravit: in quo *multiplices Romani Pontificis contra se calliditates* exponens, *quàm injustè ab illo insectaretur*, declaravit: *Adeste*, inquiens, *animis principes, quibus cura sit de regno, deq; in eodem rebus gubernandis: nempe ad vos respicit Teutonici regni quævis dispositio: vestra interest eminus cuncta prospicere. Vestri etiam juris esse fatemur, non Romani Pontificis, Imperatorem creare simul & destituere: vestrum, si quid in Imperio tumultus insurrexerit, quò viritim exstirpetur, curare legitur, ô Principes & re-*

gni cordati proceres, jus vestrum defendite: pro patriis & Imperij legibus vires exercete, ne si minùs, & IMPERIVM & PATRIMONIVM dimittatis. Vt autem id fieri possit, persuasum credimus Romanum Pontificem, quo sese suis à præsumtionibus revocet, si monere blandiloquio tentaveritis. Nam si pro libito suo Romano Pontifici nimium, quàm expedit, dissimulando, depositionem Imperatoris permiseritis, actum brevi vestrâ de potestate in deligendo Imperatore omni dubio procul intelligetis.

His itaque ac similibus dum in concione ad Principes Otto Imperator perorasset, animos nonnullorum sibi conciliavit, &c.

FINIS.

DE IVRE INVESTITVRAE EPISCOPALIS, IMPERATORIBVS ROMANIS A PONTIFICIBVS

per vim & tyrannidem ademto,

TRACTATVS:

Auctore
HENRICO MEIBOMIO.

ΣΥΝ ΘΕΩι.

Ex quo Episcopi in ecclesia esse cœperunt, electio eorum ad clerum & populum pertinuit, jam ab ipsis Apostolorum temporibus. Romani autem Imperatores, postquam abjectâ & ejuratâ religione Ethnicâ, filio Dei Iesu Christo fidem dederunt, sui se admonentes officij, nimirum, quòd à supremo Monarchâ nutricij ecclesiæ, ac primæ & secundæ legis divinæ custodes constituti essent, ecclesias superiorum ante se seculorum continuis iisque horrendis persecutionibus disturbatas dissipatasque rursus constituerunt, piosque & idoneos doctores passim in urbibus, opidis & vicis ordinarunt: certamina etiam & dissensiones ab inquietis hominibus excitatas, legitimis remediis, puta synodis, tolli & componi curarunt. Disertè hoc scribit Socrates scriptor ecclesiasticus, cujus in proœmio libri 5. hæc sunt verba: *Ex illo tempore, quo Imperatores Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negocia ex illorum nutu pendere visa sunt, atque adeo maxima Concilia de eorundem sententiâ & convocata fuere, & adhuc convocantur.* Et Eusebius lib. 4 de vita Constantini M. meminit se audivisse Constantinum Imp. ad Episcopos in convivio dicere: *Vos quidem eorum, quæ intus sunt in Ecclesiâ agenda, ego verò eorum, quæ extra hanc sunt, Episcopus à Deo sum constitutus.* Quibus verbis innuit: non esse sibi potestatem aliquid mutandi vel innovandi in doctrinâ cœlesti & ritibus usitatis, de reliquis verò rite & legitimè ordinandis constituendisque divinitus habere curam demandatam. Constituerunt igitur Imperatores tam Patriarchas sive Metropolitanos, quam reliquos Episcopos, quoties libebat: rursusque ab officio removebant, quos tam arduo munere indignos censebant. De Patriarchâ Constantinopolitano expresse id testatur Pachymeres lib. 4. verbis istis: *In Patriarchâ designando in consilium adhibenda voluntas Imperatoris: & is unus huic muneri obeundo idoneus censendus, qui illi acceptus fuerit.* Patiebantur quidem interdum Imperatores eligi Episcopos tam à clero, quàm populo: confirma-

firmatio tamen erat penes Imperatores: cujus rei testis Nicephorus Gregoras lib. 3. cap. 2. Ubi sic de Arsenio Patriarchâ Constantinopolitano loquitur: *Sacerdotio igitur hic potitur, & Patriarcha creatur communi Pontificum sententiâ & suffragio, Imperatore maximè approbante, & Pontificium illud suffragium (ut moris est) confirmante.* Quod si fortè plures uno eligebantur, electorum nomina mittebantur Imperatori, ut quem ille approbaret, reliquis præferretur. Sic apud Sozomenum lib. 7. cap. 7. Theodosio Imperatori id volenti exhibetur catalogus Episcoporum, qui ad Ecclesiam Constantinopolitanam vacantem per diversa suffragia erant destinati, ex quibus prætereritis aliis Cæsar Nectarium delegit. Repetit hæc Nicephorus lib. 12. cap. 12. additque Episcopos nonnullos contra nisos, quod Nectarius ἀμύητος adhuc esset nec initiatus, frustra tamen, permanente in suâ sententiâ Theodosio. Exempla possemus coacervare multa, sed non censemus operæ-precium, uno atq; altero sumus contenti. Theodosius Imp. Gregorium Nazianzenum transferre voluit ad Episcopatum Constantinopolitanum, sed renuit hic. Sozomenus lib. 7. cap. 6. Nicephorus lib. 12. cap. 10. Valentinianus Imp. jubet Ambrosium ordinari Episcopum Mediolanensem, Historia tripartita lib. 7. cap. 8. Deficiente autem Romani Imperij auctoritate & potentiâ, cum diversæ barbaræ gentes occidentis provincias invaderent, & ex regibus nonnulli Christianam religionem amplecterentur, idem jus constituendi ac promovendi Episcopos hi sibi vendicarunt. De Merovingiis in Galliis Francorum regibus satis constat, Episcopatus ab iis per multos annos concedi solitos solâ manuum impositione & presbyterorum ordinatione episcopis cæteris relictâ. Exempla ex Gregorio Turonensi quædam proferemus. Theodoricus rex Arvernis jussit constitui Episcopum S. Quintianum & omnem ei potestatem tradi ecclesiæ, Histor. lib. 3. cap. 2. Iussu Chlodomeris regis Ommatius apud Turonos Episcopus ordinatur: quo defuncto Theodorus & Proculus ordinante Chrotilde reginâ tribus annis ecclesiam rexerunt Turonicam, lib. 3. cap. 17. Clotharius Domnolum Cœnomanis episcopum præficit, lib. 6. cap. 9. Sulpitius in urbe Biturigum rege Gunthcranno favente eligitur Episcopus, lib. 6. cap. 39. Promotus ordinante rege Sigeberto Episcopus instituitur Dunensis, lib. 7. cap. 17. Vi-

deatur etiam lib. 8. cap. 22. Vbi Rex jurejurando policitus, se nunquam ex laicis episcopum ordinaturum, Desiderium tamen promovet. Karolus rex Galliæ in libello proclamatorio, qui exstat in tomo rerum Francicar. dicit se juxta consuetudinem prædecessorum suorum regum contulisse VVeniloni capellano Metropolin Senonensem tunc vacantem, Pithœus in scriptoribus Francicis pag. 491. Pari modo reliqui per universam Europam. Hispaniæ, Britanniæ, & Pannoniæ reges jus constituendi Episcopos per dominia sua sine cujusquam contradictione usurparunt. Affirmat id Leopoldus à Babenburg, Episcopus Bambergensis lib. de zelo veterum principum Germanorum cap. 8. & suffragatur omnis historia. Verba Leopoldi primum producam. *Reges, inquit, & Imperatores non tam virtute dicti privilegij* (Papalis scilicet) *quàm ex hoc quòd erant ut plurimùm patroni, seu dotatores ecclesiarum cathedralium & majorum monasteriorum Germaniæ, investituras Episcopatuum & abbatiarum in ipsis Germaniæ partibus usque ad tempora Henrici 5. (ut apparet in historiâ Francorum & ex aliis Chronicis,) facere consueverunt. Nec erat hoc novum apud ipsos tantum: nam & Reges Hungariæ usq. ad tempora Paschalis 2. (ut refert Chronica Martini) & Reges Burgundiæ (ut refert historia Francorum sub gestis Henrici 2.) ac etiam Reges Angliæ (prout Dominus Eduardus Rex Angliæ asserit in epistolâ suâ Domino Papæ Clementi 6. sub annum 1343. directâ) idipsum in suis regnis facere consueverunt. Reges quoque Hispaniæ olim Episcopos ecclesiarum Hispaniæ de Episcoporum consilio eligebant, ut patet in can. 63. cum longè. Reges etiam Angliæ tempore vacationis ecclesiarum cathedralium & majorum ecclesiarum Angliæ & Normanniæ, prabendas ipsarum in quibusdam ex eis conferre solebant: quia Rex Angliæ est patronus earum & habent ab eo magna feuda: unde ratione juris patronatus, vel ratione feudorum, vel regalium eas confert.* Hucusque Leopoldus. De regibus Angliæ suffragatur Sigebertus Gemblacensis, cujus ad annum 1097. hæc sunt verba: *Reges Angliæ hanc injustam legem tamdiu tenuerant, ut electos ecclesiæ præsules ipsi per virgam pastoralem investirent.* Et in Hispaniâ patres Toletani concilij 12. tempore Agathonis Papæ in 7. canone electionem Episcoporum ad Reges Hispaniæ pertinuisse dixerunt. Regibus Aquilonis (Sveciæ & Daniæ) idem jus sibi asserentibus, ut restiterit Adelbertus Archiepiscopus Hamburgensis

(in

(in quem Pontifex jus suum omne transtulerat) ac *per totum Aquilonem, in quibus oportunum videbatur locis, invitis etiam regibus, Episcopatus constituerit, ordinariti$\mathfrak{z}$ Episcopos ex capella sua, quos vellet, electos,* narrat Adamus Bremensis cap. 207. Nos pluribus ista deducere nunc non intendimus, de Imperatoribus tantum RomanoGermanicis visuri, quomodo & olim illi investituram jure suo sibi usurparint, & quomodo à Pontificibus per tyrannidem eo fuerint privati. Rem autem ab ovo, quod dicunt, arcessemus.

Quum Adrianus ejus nominis primus Pontifex max. à Desiderio Longobardorũ rege plurimum infestaretur, neque à Græculis Imperatoribus auxilij quicquam sperare posset, Karolum Francorum regem, principem præpotentem & Christianissimum, qui postea primus ex Germanis Augustus salutatus est, missis legatis ex Galliâ evocavit, ut Italiam universam, & cumprimis urbem Romam, in extremo discrimine constitutam, contra tyrannidem impotentis barbari defenderet. Quâ in re cum præclaram operam toti Italiæ Carolus navasset, vicissim à Papa Adriano, & Concilio centum ac quinquaginta trium patrum ecclesiasticorum, tum fortè ejus rei gratiâ coacto, accepit jus constituendi sedis Romanæ episcopos, & ordinandi Antistites per universa sua regna & dominia. Sed addam verba Decreti Dist. 63. cap. Adrianus. *Adrianus autem Papa cum universâ Synodo tradiderunt Karolo, & successoribus eius, Potestatem eligendi Pontificem & ordinandi Aostolicam sedem. Dignitatem quoque patriciatus ei concesserunt. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere diffinivit: ut nisi à rege laudetur & investiatur, Episcopus, à nemine consecretur. Et quicunque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit, & nisi resipisceret, bona eius publicari precepit.* Hoc ipsum jus post octennium Karolo magis confirmatum est, cùm titulum & nomen Augusti (nam ditiones Imperij nonnullas jam antea possidebat) non à Pontifice Romano, cui tanquam privato, imo servo servorum cum rebus imperiosis nihil erat negotij, sed per liberam electionem populi Romani, quam postea transactio cum Byzantino Cæsare excepit, consecutus esset. (Synesius Episcopus Cyrenensis Epistola ad Anastasium: *Postquam vita nostra divisa est in sacerdotalem & civilem, illis preces, his negociorum administratio & iurisdi-*

ctio mandata est: Bernardus de consid. ad Eugenium: *Forma apostolica hæc est: Dominatio interdicitur: indicitur ministratio.* Cum autem, posteris Karoli M. res Italicas segniùs administrantibus, pontificum Romanorum instinctu Berengarius alijque pseudoreges regnum Italiæ invasissent fœdeq; dilacerassent, tandem Otto Magnus, Berengario ultimo devicto, atque in Bavariam relegato, Italiam pacavit. Asseruit ille tum temporis & redintegravit sibi suisque successoribus denuo jus ordinandi sedem Romanam, cui occultè insidiari cœperat Adrianus Pontifex, ejus nominis tertius. Exstat super hac re Decretum Distinct. 63. cap. In Synodo, cujus verba hæc sunt: *Ad exemplum B. Adriani, apostolicæ sedis Antistitis, qui Domino Karolo, victoriosissimo regi Francorum & Longobardorum, Patriciatus dignitatem ac ordinationem Apostolicæ sedis & investituram concessit: ego quoque Leo episcopus, servus servorum Dei, cum toto clero, ac Romano populo, constituimus & confirmamus & corroboramus, & per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus, atque largimur Domino Othoni primo, Regi Teutonicorum, ejusque successoribus, hujus regni Italiæ, in perpetuum, facultatem eligendi atque summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per archiepiscopos, seu episcopos, ut ipsi ab eo investituram accipiant, & consecrationem unde debent: exceptis his, quos Imperator Pontificibus & archiepiscopis concessit: & ut nemo deinceps, cujuscunque dignitatis, vel religiositatis, eligendi vel patricium, vel Pontificem summæ sedis Apostolicæ, aut quemcunque episcopum ordinandi habeat facultatem, absque consensu ipsius Imperatoris, (quod tamen fiat absque omni pecunia) & ut ipse sit patricius & Rex. Quod si à clero & populo quis eligatur episcopus, nisi à supra dicto rege laudetur & investiatur, non consecretur. Si quis contra hanc regulam & Apostolicam auctoritatem aliquid molitur, hunc excommunicationi subiacere decernimus, & nisi resipuerit, irrevocabili exilio puniri, vel ultimis suppliciis affici.* Hactenus Decretum. Factum est inde, ut defuncto Præsule quopiam, sacerdotes *lituum* Præsulis & *annulum* ad aulam Impp. Germanorum mitterent: quæ Princeps solenni ritu illi tradebat, quem volebat esse Episcopum. Etenim Episcoporum ista institutio, sive investitura perficiebatur per porrectionem *annuli & pedi* Episcopalis. Gobelinus Persona in Cosmodromio ætate 6. cap. 52. meminit

minit etiam *chirotecæ*. *Pedum* illud Ditmarus lib. 1. & 6. *baculum pastoralem*: Adamus Bremensis pag. 32. *ferulam pastoralem*; pag. 53. *virgam Episcopalem*; pag. 71. *cambuccam pastoralem* appellant. Posteriorem hanc vocem *cambocam* scribit Ekkehardus junior lib. de casibus monasterij Sangallensis cap. 3. Doctissimus Heiminsfeldius putat legendum *cambotam*, ut sit à Græco καμπύλη vel καμψόπις, quam ab orientalibus monachis acceperint Latini. Germanis Krumbestab. Sacerdoti autem, sive Episcopo, dum consecratur, baculus iste datur, ut ejus indicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat: annulus in signum pontificalis honoris, vel pro signaculo secretorum, ut vult Synodus Aquisgranensis can. 9. Vnde fallitur Crancius, qui Metropol. lib. 6. cap. 15. per ferulam pastoralem intelligit investituram temporalis dominij, quod falsum. Nam hujus traditio fiebat per sceptrum, ut infra patebit. Quomodo vero tum baculus iste pastoralis, tum annulus solenni ritu consecrari soleant, exponit Rudolfus Hospinianus de origine manachatus, lib. 6. cap. 73. Regio isto investituræ privilegio usos esse, sibique id solis vendicasse Imperatores nostros usque ad Henricum IV. universa loquitur historia, neque probatione admodum indiget: ut tamen res testatior sit, exempla quædam ex fide dignis scriptoribus subjungemus. Ditmarus lib. 2. *Imperator* (Otto Magnus) *Domino Brunoni, mortuo Agrippinæ sedis provisore VVigfrido, episcopatum dedit.* Et paulo post: *Gero frater Ditmari marchionis à clero & ab omni populo Coloniensi electus est, & hoc Imperatori adnunciatur. Hic quia fratri suo ob multas caussarum species iratus fuit, dare huic episcopatum noluit.* Lib. 2. *Cum primus ecclesiæ pater nostræ* (Magdeburgensis) *exspirasset, intercessione Annonis episcopi VVormatiensis Imperator Giselero, moribus & natura nobili, Episcopatum dedit.* Lib. 3. *Mortuo Roberto Moguntinæ sedis archipræsule, Imperator Cancellarium suimet VVilligisum, multis hoc ob vilitatem sui generis renuentibus, eidem præfecit ecclesiæ.* Lib. 5. *Rex* (Henricus 2.) *baculo Arnulfi Præsulis clerum & populum Taginoni venerando patri cum redditurâ summo judici ratione commisit, eundemque in cathedram Episcopalem constituit, astantibus universis.* Lib 6. *Eberhardo* (primo Papebergensis ecclesiæ Antistiti) *tunc Cancellario, cura pastoralis à Rege committitur.* Henricus Imp. 2. Meningando

 præpo-

Præposito Moguntino dat Episcopatum Trevirensem Chron. Belg. 95. eo mortuo idem Cæsar Popponem creat antistitem. ibidem. Adamus Bremensis pag. 32. *Adalgarius archiepiscopus Hamburgensis ferulam pastoralem accepit ab Arnulfo rege: pallium à Papâ Stephano.* pag. 34. *Hogerus archiepiscopus pallium suscepit à Sergio Papâ; ferulam à rege Luthevvico.* pag. 36. *Rex Conradus divino, ut creditur, afflatus spiritu, contemptâ Leidradi specie, parvulo Vnni, quem retro conspexerat, virgam obtulit pastoralem.* pag. 39. *Adaldagus ferulam pastoralem à Magno Ottone accepit; pallium archiepiscopale sumsit à septimo Leone.* pag. 53. *Libentius pallium suscepit à Papa Ioanne 15. virgam Episcopalem meruit ab Ottone 3.* pag. 16. *Vmranus archiepiscopus ferulam suscepit ab Henrico Imp. pallium à maiore Benedicto.* pag. 69. *Libentius secundus ferulam suscepit à Cesare Conrado.* pag. 71. *Hermannus cambuccam pastoralem à Cesare Conrado meruit: pallium à Papâ minore Benedicto, &c.* Ex his liquet, quomodo Imperatores ordine, per Germaniam archiepiscopos & Episcopos nemine quoquam prohibente passim instituerint. Quia verò per Imperatores Germanicos non minus pios, quàm prudentes, optimi quique nullâ habitâ originis ratione, modò vitæ sanctimoniâ & doctrinæ eruditione commendarentur, ad dignitates ecclesiasticas promovebantur, factum est, ut istis seculis passim in Episcopatibus essent Antistites religiosissimi ac doctissimi, quibus Imperatores, reges & principes liberos suos in disciplinam tradere non dubitabant. Felicitatem istorum temporum prædicat Theodoricus Niemius scholio ad librum de juribus & privilegiis Imperij: ubi hæc verba inveniuntur: *Vnde legitur, quòd tempore illius Ottonis I. quasi omnes etiam in Alemaniâ episcopi fuerunt sancti viri: ut sunt S. Godehardus, S. Adelbertus, S. Cunradus, S. Otto, S. Barvvardus, & multi alij, qui non per pecunias, aut preces adepti fuerunt episcopatus &c.* Meminit etiam Fridericus Barbarossa cum Philippo Agrippinensi episcopo apud Arnoldum Lubecensem disceptans, lib. 3. cap. 17. his verbis: *Sufficiat vobis justitia vestra, quam invenistis, quòd permittitur vobis electio Episcoporum, quam vos Canonicè fieri dicitis. Sciatis tamen, quia dum pro voluntate Imperatoris ista dispensarentur, plures justi sunt inventi sacerdotes, quàm hoc tempore, dum per electionem inthronizantur.*

zantur. Ipsi enim secundum vitæ meritum sacerdotes investiebant, nunc "
autem per electionem, non secundum Deum, sed secundum favorem eli- "
guntur. Quæ repetit Crancius Saxon. lib. 6. cap. 51. Tulere autem Pontifices Romani utcunque per aliquot secula investituras istas, neque ex Imperatoribus cuiquam litem moverunt, donec Gregorius VI. Papatum iniret. Is immemor vocis, qua Augustus Cæsar quendam, Catonis pervicaciam incessentem, retudit: *Vir bonus est, qui præsentem Reip. statum non vult mutari:* de perturbanda non modo Repub. verum etiam ecclesia, consilium iniit. Prætendit autem non ratò ab Imperatoribus & regibus Episcopatus, aliasque Prælaturas, commendari illis, qui vel ob ruditatem & inscitiam, vel ætatem tanto oneri impares essent, juri investituræ Imperatorio insidiari cœpit. Accessere fortassis etiam flabella quorundam Episcoporum, politico magistratui amplius detrectantium subesse. Exemplo esse potest Otto Bambergensis episcopus, cujus in Chronico Bambergensi extat epistola ad Paschalem 2. ubi inter cetera sic scribit: *In obsequio Domini mei Imperatoris per annos aliquot degens & gratiam in oculis inveniens, suspectam habens de manu principis investituram; semel & iterum cum dare vellet, renui Episcopatum. Nunc autem verò iam tertio in Bambergensem Episcopatum me ordinavit: in quo tamen minimè permanebo, nisi vestræ complaceat sanctitati per vos me investire & consecrare.* Centuria 12. Magd. pag. 901. Cumque obtenderetur, adversari conatus ejus antiquissimis Cæsarum privilegiis, ita elabi conabatur, ut diceret, multa sæpe multis, ut justa & æqua concedi, quæ aliis, ut iniqua denegentur. Exempli gratia: Cædes in bellis fieri justè, nullamque mereri pœnam: quæ si in pace committantur, injustas esse, dicique homicidia. Simili ratione concludere volebat: Investituras superiorum Imperatorū, ut justas quidem toleratas & approbatas, quamdiu *simonias* abfuerit suspicio: jam verò è principum manibus extorquendas, postquam in aulis omnia sint venalia. Quod ipsum crimen rectius fortè in Romanos regeri potuisse, ne de recentiorum querelis & stomachis quid dicam, vel ex uno Ditmaro manifestum est. Hujus verba sunt libro 4. *Gulerius corruptis pecuniâ primatibus, maximèque Romanis, quibus cuncta semper sunt ve-* "
nalia, judicibus, qualiter ad archiepiscopatum (Magdeburgensem) "
aliqua

Adde Greg. Turon. pag 218.

aliquâ ratione veniret, primum secretò revolvit, moxque palàm Domini Papæ Benedicti obnixè petit auxilium, &c. Sed sextus hic Gregorius tanquam Simoniacus, quod malis artibus, nimirum interventu pecuniæ, Papatum accepisset, ab Imperatore Henrico 4. exauctoratus est. Quod igitur sextus obtinere non potuit, id Gregorius septimus prioris discipulus & assecla in actum perducere conatus est. Hic ante Papatum Hildebrandus dictus fuit, nostrates exploratâ perversâ turbulenti hominis naturâ *Hellebrandum*, id est titionem infernalem, dixere. Potitus sede Pontificiâ tantum in Imperio turbarum excitavit, ut totum penè illud everterit. Singula ut repetamus huc non facit: de investiturâ nobis sermo est. Hanc, immemor fulminis Papalis, quod antecessores ipsius in omnes, qui privilegio isto Imperatores exuere conarentur, evibrarant, coacto conciliabulo Cæsaribus eripuit. Exstat decretum ejus 16. q. 7. si quis deinceps, quod integrum adjiciam. *Si quis deinceps episcopatum vel abbatiam de manu alicuius laicæ personæ susceperit, nullatenus inter Episcopos habeatur: nec ulla ei, ut episcopo, seu abbati, audientia concedatur. Insuper ei & gratiam Beati Petri, & introitum ecclesiæ interdicimus, quousque locum, quem sub crimine, tam ambitionis, quàm inobedientiæ (quod est scelus idolatriæ) cepit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus.* Item cap. 2. *Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet secularium potestatum, aut personarum, investituram episcopatuum vel alicuius ecclesiastcæ dignitatis dare præsumserit, eiuidem sententiæ vinculo se esse sciat obstrictum.* Hactenus Hellebrandus, jam non amplius Cluniacensis monachus, (cui generi hominum fas audere, quæ nec ipse Pluto sibi sumat) sed παντοκράτωρ, absolutæ potentiæ & dignitatis. Qui hunc secutus est Victor 3. itidem cucullatus, eandem saltavit fabulam in Synodo Beneventanâ, ubi in hæc verba disseruit: *Constituimus etiam, ut si quis deinceps episcopatum, vel abbatiam, de manu alicuius laicæ personæ susceperit, nullatenus episcopus vel abbas habeatur: neque ulla ei ut episcopo vel abbati adhibeatur reverentia.* Et paullo post: *Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, Comitum, vel cuiusvis potestatis secularis episcopatum, vel quamvis aliam ecclesiasticam dignitatem, dare præsumserit, eiusdem sententiæ vinculo se adstrictum noverit.* Sed nec

hoc

hoc modo prævalere, suamque hierarchiam stabilire potuere Romani Pontifices. Etenim Henricus 5. parente suo principe felice & victorioso, sed contra jus & fas à suis oppresso, miserabiliter defuncto, cùm serò nimis cogitaret, quanto scelere se obligasset, quòd à furiosis tam ecclesiæ, quàm reipublicæ perturbatoribus, turpiter seductus, parentem, libertatis Germanicæ vindicem acerrimum, non tantum oppugnasset, sed regno & vitâ etiam exuisset: animadverteret etiam, quâ fide iidem alastores secum agerent, qui nihil aliud, quàm politici magistratus oppressionem, & ex eâ sibi intolerabilem quærerent dominatum, rebus suis maturè consulendum, ac tyrannidi gliscenti obviandum putavit. Contemtis igitur, quarum meminimus, Pontificum sanctionibus brutisque fulminibus, Episcopatus aliasque Prælaturas vacantes liberè concessit illis, quos maximè dignos censuit. Hic verò exarsit irâ & indignatione Paschalis. Nolebat enim tribus istis antecessoribus suis impar vel dissimilis videri, qui omnes, quantum in ipsis fuerat, Imperatorum jura conculcarant. Primam igitur Synodum coëgit Trecæ in Galliis, quòd Germaniâ excluderetur: ibi investitura Imperatoribus, per collectitium istum Gallicorum Præsulum senatum denuo abjudicata est. Monuit Imperator per legatos superbum sacrificulum, moderatius ageret, neque cum suo sodalitio in alieno regno statueret, quod in præjudicium Romani Imperii quoquomodo vergeret. Vix unius anni inducias impetrare potuit rerum dominus à rasâ istâ cohorte. Scribit Gobelinus Cosmodromij ætate 6. cap. 58. *In hoc conciliabulo decretum esse, quòd nemo investituram beneficij vel ecclesiasticæ dignitatis à laicali manu susciperet, quoadusque hæc quæstio inter Papam & Regem synodaliter determinaretur.* Quæ totidem verbis repetit Crancius metrop. lib. 5. cap. 33. nec dissimulat Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. In Synodo Beneventanâ anno 1108. & Romanâ anno 1110. eadem egit, additis in posteriore etiam minis atrocibus: *Si quis contra facere auderet, eum anathemate feriendum.* Optimus Imperator seditiosos furiosi hominis conatus intelligens, patrisque infelicissimi fato meticulosior redditus, contra dignitatem obnixè petebat, ne contra privilegia majoribus suis ultrò donata, injuriâ adficeretur: redditurum se, vel in Synodo

legitimâ, vel publicis Comitiis Imperij, rationem eorum, quæ egerit: tantum petere, ut in Germaniâ negocium cognoscatur. Pontifex magis irritatus in Germaniam ut veniret prorsus recusavit, vixque impetrari abs se passus est, ut fulmen Tarpeium, quod jam jam vibraturus videbatur, tandiu reconderet, donec Imperator, qui jam in procinctu erat, ad coronam Imperij more majorum accipiendam in Italiam demigraret. Qui Cæsari bene cupiebant, auctores ei erant, maturaret iter, publicæque consuleret tranquillitati: ambitionem & φιλαρχίαν Pontificum intolerabilem esse, iras implacabiles: Italorum verò animos mobiles, neque fortasse domi defuturos, qui rebus novis studerent. Vt ventum est in Italiam, Pontificique nunciatum, esse cum exercitu Cæsarem in propinquo, ibi de investiturâ, quæ rei erat caput & materia litis, iterum actum. Privatim publiceque testabatur Paschalis nullo se modo admissurum, ut investituras retinerent Imperatores. Tot jam annis ab antecessoribus suis pro istis vindicandis depugnatum, se tandem, cum Deo bene juvante, litem istam terminaturum. Quòd tamen potentem adversarium metueret, ad fraudes decurrit, homo vafer. Etenim in basilicâ Vaticanâ Divo Petro sacrâ, rege Henrico 5. præsente pronunciavit decretum, seque illud complere velle cum justitiâ & auctoritate confirmavit, *scilicet ut ecclesiæ decimis & oblationibus contenta essent, Marchionatus, Comitatus, & advocatias, dudum à Karolo eiusque successoribus Christianis Imperatoribus ecclesiæ collatas, reciperet, eâ conditione, ne Pontifices regali manu, annulo & virgâ investirentur, quæ sancto Spiritui auctoritatique canonum contraria viderentur.* Hæc sunt verba Dodechini appendice ad Marianum Scotum ad annum 1110. Accipiebat conditionem Imperator, tum quòd policitationes, de quibus tamen subdubitabat, immensæ essent, tum quòd pacis ab omnibus desideratæ, ipse etiam esset percupidus. Sed addam Epistolam Henrici 5. Cæsaris, quæ apud Dodechinum abbatem exstat, totius hujus negocij seriem exponens: *Henricus D. G. Romanorum Imperator Augustus, omnibus Christi fidelibus in ecclesiâ. Notum esse volumus dilectioni & discretioni vestræ, ea quæ inter nos & dominum illum Paschalem erant, quomodo incepta, tractata sint: scilicet de conventione inter me & ipsum, de traditione Romanorum in me & meos,*

Vide Vrstbergensem.

ut audita intelligatis, intellecta examinetis, examinata dijudicetis. Igitur dum in eo totus essem, ut me ad ecclesiæ utilitatem & ipsius votum, si justum esset, componerem, cœpit exaltationem regni super omnes antecessores meos promittere. Studebat tamen subdolè, quomodo Regnum & Ecclesiam à statu suo discinderet, tractare, quod sic facere aggressus est. Regno quidem jam à Karolo 400. (rectiùs 300.) *& amplius annis, & sub 63. apostolicis investituras Episcopatuum, eorundem auctoritate & privilegiorum firmitate tenenti, absque omni audientiâ auferre volebat. Et cum per nuncios nostros ab eo quereremus, quid de nobis fieret? in quo regnum nostrum constat, quomodo ferè omnia antecessores nostri ecclesiis concesserunt, & tradiderunt? Subjunxit: Fratres, ecclesiæ decimis & oblationibus contentæ sint: Rex verò prædia & regalia, quæ à Karolo & Ludovico & Ottone & Henrico ecclesiis collata sunt, sibi & successoribus suis recipiat, & detineat. Ad hoc cum nostri responderent: nos quidem nolle violentiam ecclesiis inferre, nec ista subtrahendo tot sacrilegia incurrere, fiducialiter promisit & sacramento pro eo firmavit Dominicâ Esto mihi, se omnia hæc cum justitiâ & auctoritate ecclesiis auferre, nobisque & regno cum justitia & auctoritate reddere: nostris itidem firmantibus, si hoc (ut præmissum est) ita complesset, quod tamen nullo modo fieri posse sciebat; me quoque, uti quærebat, investituras ecclesiarum resignaturum sicut in charta conventionis plenius poteris videre.* Hæc est charta conventionis ad me. *Dominus Papa præcipiet Episcopis præsentibus in die coronationis regis, ut dimittant regalia regno, quæ ad regnum pertinebant tempore Karoli, Henrici & aliorum prædecessorum ejus, & scripto firmabit sub anathemate, ne quis eorum, vel præsentium, vel absentium, vel successorum eorum, intromittant se ullo modo, vel invadant eadem regalia, id est, civitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, teloneum, mercatum, advocatias, omnia jura centurionum, id est, villicorum, turres & villas, quæ regni erant, cum omnibus pertinentiis suis, militiam & castra. Nec ipse regem & regnum super his ulterius inquietabit, sed privilegio suo sub anathemate firmabit, ne posteri sui inquietare præsumant: regem benignè & honorificè suscipiet, & more prædecessorum suorum catholicorum scienter non subtractè coronabit, & ad tenendum regnum cum his omnibus officii sui auxilio adjuvabit. Si Dominus Papa hæc regi non adimpleverit, ego Petrus Leonis juro, quod totâ potentiâ meâ tenebo ad Dominum regem. Obsides autem nisi effugerunt, reddemus alte-*

altero die post coronationem regis. Si per Papam remanserint, ut non coronetur, similiter reddemus Dominico die, cum rex ad processionem venerit. Obsides dabo Gratianum filium meum, & filium Vironis filij, & filium sororis meæ, si eum habere potero. Hæc sunt sacramenta ex parte Domini Papæ. *Ego Petrus Leonis juro vobis, quia Dominus Papa proximo die Dominico adimplebit Regi quod in charta conventionis scriptum est.* Hæc sunt sacramenta ex parte Regis: *Ego Comes Hermannus: Ego Comes Gotfridus: Ego Volmarus: Ego Adelbertus: Iuro vobis, quia Dominus Papa proximâ quartâ vel quintâ feriâ ita principes jurare faciet & obsides dabit, sicut in charta conventionis scriptum est. Ego verò, ut ostenderem, nullam ecclesiarum Dei disturbationem ex velle nostro procedere, in cunctorum oculis astantium & auribus, hoc decretum promulgavi: Ego Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus affirmando & beato Petro omnibus Episcopis & Abbatibus & omnibus ecclesiis omnia, quæ antecessores mei Reges, vel etiam Imperatores eis concesserunt, vel tradiderunt, & quæ illi pro spe æternæ retributionis obtulerunt, do. Ego peccator pro timore terribilis iudicij ullo modo subtrahere recuso. Hoc decreto à me lecto & subscripto, petii ab eo, ut sicut in chartâ conventionis eius scriptum est, mihi adimpleret. Cum ergo supradictæ postulationi insisterem, scilicet, ut cum iustitiâ & auctoritate, promissa mihi conventione, firmiter universis in faciem eius resistentibus, & Decreto palàm hæresin inclamantibus, scilicet Episcopis, Abbatibus, tàm suis, quàm nostris, & omnibus ecclesiæ filiis, hoc, si salvâ pace ecclesiæ dici potuisset, privilegium proferre voluit.* Paschalis Papæ Decretum: *Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Henrico Regi, & eius successoribus Imperatoribus &c. Divinæ legis institutionibus sancitum est, & sacris canonibus interdictum, ne sacerdotes curis secularibus occupentur, nève ad Comitatum, nisi pro damnatis eruendis, atque pro aliis qui iniuriam patiuntur, accedant. Vnde & Apostolus Paulus inquit: Iudicia si habueritis, contemtibiles qui sunt in ecclesiâ, illos constituite ad iudicandum. In vestri autem regni partibus, Episcopi vel Abbates, adeo curis secularibus occupantur, ut Comitatum assiduè frequentare, & militiam exercere cogantur: quæ nimirum aut vix, aut nullo modo sine rapinis, sacrilegiis, incendiis aut homicidiis exhibetur. Ministri verò altaris, ministri curiæ facti sunt; quia civitates, Ducatus, marchionatus, monetas, turres, & cætera ad regni servitium pertinentia, à regibus acceperunt. Vnde etiam mos*

ecclesiæ intolerabilis inolevit, ut electi Episcopi nullo modo consecrationem acciperent, nisi prius per manum regiam investirentur. Aliquando etiam vivis Episcopis investiti sunt. His & aliis plurimis malis, quæ per investituram plerumque contigerant, prædecessores nostri Gregorius octavus & Vrbanus secundus, felicis memoriæ Pontifices excitati, collectis frequenter Episcopalibus conciliis, investituras illas manus Laicæ damnaverunt; & si qui clericorum per eam tenuissent ecclesias, deponendos; datores quoque communione privandos, percensuerunt, iuxta illud Apostolicorum canonum capitulum quod ita se habet: Si quis episcopus seculi potestatibus usus ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur & segregetur, omnesque qui illi communicant. Quorum vestigia subsequentes, & nos eorum sententiam Episcopali concilio confirmamus. Tibi itaque, fili carissime, Henrice Rex, & nunc per officium nostrum Romanorum Imperatori, & Regno, regalia illa dimittenda præcepimus, quæ ad regnum manifestè pertinebant tempore Karoli, Ludovici, Ottonis & cæterorum prædecessorum tuorum. Interdicimus etiam, & sub anathematis districtione prohibemus, ne quis Episcoporum seu Abbatum, præsentium vel futurorum, eadem regalia invadant, id est, civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, teloneum, mercatum, Advocatias, iura Centurionum, & turres, quæ regni erant, cum pertinentiis suis, militiam & castra: & ne se deinceps, nisi per gratiam Regis, de ipsis Regalibus intromittant. Sed nec posteris nostris liceat, qui post nos in Apostolicâ sede successuri erunt, aut Te, aut Regnum, super hoc inquietare negocio. Porro ecclesias cum oblationibus & hereditariis possessionibus, quæ ad regnum manifestè pertinebant, liberas manere decrevimus, sicut in die consecrationis tuæ omnipotenti Domino in conspectu totius ecclesiæ promisisti. Oportet enim Episcopos curis secularibus expeditos, curam suorum agere populorum, nec ecclesiis abesse diutius. Ipsi enim iuxta Paullum apostolum pervigilant, tanquam rationem pro animabus eorum reddituri. De traditione verò in nos, vel in nostros, sic se se res habet. Vix portas civitatis ingressi sumus, cùm nostris infra muri mœnia securè vagantibus, quidam vulnerati, alteri interfecti, omnes verò spoliati & rapti sunt: ego verò quasi pro levi caussâ non motus, bonâ & tranquillâ mente, usque ad ecclesiæ beati Petri ianuas cum processione perveni. Quod sic gestum fuisse, rei veritas multorum astipulata testimoniis qui interfuere, protestatur.

Hactenus relatio Imperatoris Henrici, quam solus Dodechinus nobis conservavit integram. Habet eam etiam, sed interpolatam,

Chronicon Belgicum magnum, pag. 137. tribuiturque ibi Sigeberto Gemblacensi, quod puto μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sugecius monachus in vita Ludov. Grossi Regis Fr. eadem tangit sed obscure explicat. Ex proceribus ecclesiasticis, qui Pontifici regalia ipsis abjudicanti, ferociter & furenter in faciem restiterunt, princeps & antesignanus fuit Conradus Baro Abensbergius, archiepiscopus Salisburgensis. Is composito Stentoreâ voce reliquorum nomine clamabat, nullum jus spoliandorum Episcoporum templorumque opes ecclesiasticas Deo dicatas in homines profanos transferendi, Paschali esse: neque se vectigalia, portoria, opida, regiones, à majoribus suis sibi relicta, hactenusque possessa, ullo modo alteri cessuros. Immaniter debacchantem non tulit amplius Bavarus quidam, cui nomen Henricus Caput, ortus Kaufringo ejus regionis castello, strictoque ense nisi principibus Romanis morem gerat, mortem minatur præsentem. Quo nihil motus Episcopus, *Feri, inquit, si lubet devotum caput.* Cæsar pertinacem hominis animum admirans, Henrico mandavit, ut à vi abstineret, nondum tempus vindictæ comparuisse. Frustra igitur laboratum, diesque illa Dominica, quæ tum erat media Quadragesima, disceptationibus & rixis protracta est in noctem. Verum illam admodum fecere Romani funestam, impetu in Cæsarianos facto, cumque in armis essent omnes, furenterque cædibus debaccharentur, Cæsar ruptâ muri parte, urbe excessis, Paschalem secum abducens. Honorificè ille ab omnibus habitus, tandem traditus est asservandus Vlrico Aquilegiensium Patriarchæ. Inter Principes Italicos potentiâ & auctoritate tum temporis eminebat Guelfus, maritus Mathildæ Bonifacij marchionis filiæ, fœminæ opulentissimæ. Is controversiam demum composuit hac lege, ut Cæsar posthac perpetuo absque ambitu & sine precio episcopos & abbates assumeret, sicut hactenus antecessores ejus fecissent; Sacerdotes, episcopi, regia beneficia, salica prædia, quæ possiderent, retinerent, Pontifexque harum conditionum auctor fieret. Sed audiamus Chronicon Belgicum magnum rem totam accuratè persequens. *In reconciliatione, quæ facta est inter Papam & Imperatorem, qui ipsum Papam cum Episcopis & Cardinalibus ceperat, hoc fuit juramentum Regis: Ego Henricus Rex quartâ vel quinta fe-*

tâ feriâ proximâ liberos dimittam. Dominum Papam & Episcopos & Cardinales, & omnes captivos & obsides, & Papæ & fidelibus eius Romanis pacem & securitatem servabo, tam per se quàm per meos, & in personis & in rebus ei obediam, salvo honore Regni & Imperij. Istud iuramentum juraverunt etiam Episcopi & Principes circiter 14. Iuramentum verò ex parte Papæ hoc fuit: Dominus Paschalis Papa non turbabit Dominum Regem ac Regnum ejus de investiturâ Episcopatuum vel Abbatiarum, neque de iniuriâ sibi & suis illatâ in personis & bonis, nec aliquod malum reddet Regi vel alicui personæ pro hac caussa: & penitus in personam Henrici nunquam anathema mittet, nec impediet Dominus Papa, quin coronet eum, & Regnum & Imperium auxilio officij sui pro posse suo adjuvet. Et ista implebit Papa sine fraude & malo ingenio. Iuramentum illud Papæ confirmaverunt iureiurando Episcopi Cardinales 15. Item Henrico Regi in Imperatorem coronato post lectum Evangelium, tradidit Papa ante altare Apostolorum Petri & Pauli in oculis omnium principum, privilegium bullatum de investitura Episcopatuum & Abbatiarum, tam per annulum, quàm per virgam, cuius tenorem compendij caussâ scribere omisi. In fine bullæ habetur confirmatio pacis inter Apostolicum & Imperatorem, quæ dum in celebratione Missæ corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi Cæsari porrigeret, facta est in hunc modum: Domine Imperator hoc corpus natum ex Maria virgine, passum in cruce pro nobis, sicut sancta & catholica tenet ecclesia, damus tibi in confirmationem veræ pacis & concordiæ inter me & te. Et sicut ista pars vivifici corporis divisa est, (nam hostiâ fractâ ipse partem sumsit, alteram Henrico dedit) ita divisus sit à regno Christi & Domini, qui pactum istud rumpere ac violare tentarit. Hoc anathemate pronunciato omnes subjunxere Amen. Per hanc transactionem videbatur bellum illud ecclesiasticum finitum, paxque reducta, verùm longè aliter res cecidit. Etenim reverso in Germaniam Imperatore rediit ad ingenium etiam Paschalis. Coacto enim Concilio in Laterano revocavit omnia, quæ tam sanctè promiserat, prætendens se imminente discrimine coactum hoc fecisse. Referre omnia prolixum foret nimis, fortè & tædiosum. Ad summam, *privilegium* Cæsari datum appellatum fuit *pravilegium*, estque ab omnibus, qui præsentes erant, damnatum, eam cumprimis ob caussam, quòd in eo contineatur, electum Episcopum non

con-

consecrari canonicè, nisi priùs à rege investiatur: hoc enim facere contra Spiritum sanctum & canonicam sanctionem &c. Neque ista perfidiâ contentus fuit Papa, verùm etiam ipsum Cæsarem, cui tam religiosè fidem jurarat, per summam injuriam contumeliosè abstentum reddidit. Priusquam verò hanc petulantiam debito modo ulcisceretur Imperator, Paschalis abiit ad plures. Excepit illum Calixtus ejus nominis secundus, cum quo denuo Henrico Cæsari pro investitura depugnandum fuit. Scribit Otto Frisingensis Chron. lib. 7. cap 15. Albertum Moguntinum, Fridericum Coloniensem, & Conradum Salisburgensem, pacis quæ paucorum fuerat annorum pertæsos, Gelasium Papam instigasse, ut Cæsarem (cujus tamen consanguineus haberi volebat) excommunicaret, quod facile ab illo impetratum. Videns igitur Imperator Pontificum tyrannidem frustrà oppugnari, prævalere ubique: clam palamque fieri conjurationes: ruere principes in perniciem Reipublicæ, parumque se ab infelicis parentis fortunâ abesse, cessit demum adversariis, & investituras totis trecentis & amplius annis legitimè usurpatas, intraque annos non ita multos copioso sanguine Germanico acriter defensas, Pontificis legato Lamperto Ostiensi, qui postea Papatum adeptus Honorij nomen habuit, miserandum in modum resignavit. Factum hoc est VVormatiæ in frequentibus Comitiis. De quibus sic Vrspergensis: *Facto universali conventu apud urbem Vangionum, quæ nunc VVormacia dicitur, sicut longum, ita & incredibile memoratu est, quàm prudenti, quàm instanti quàmq; per omnia solicito cunctorum procerum consi iis, pro pace & concordia per unam vel ampliùs hebdomodam certatum sit, donec ipse, in cuius manu cor Regis est, omnem animositatem Augusti sub Apostolicæ reverentiæ obedientiam caussa matris ecclesiæ, etiam ultra spem plurimorum, inflexit. Mox tamen ab Apostolicæ sedis Apocrisariis in communionem receptus, tam ipse Imperator, quàm universus sibi subiectus exercitus, imo generali absolutione cunctis hoc schismate pollutis, per auctoritatem Apostolicam factâ; qualiter ecclesiasticas investituras, cateraq; spiritualia negotia, quæ tanto tempore Reges Teutonici administraverant, quæq; ipse, ne regni diminueretur honor, nunquam vita comite se dimissurum proposuerat, humiliatus pro Christo coram multitudine maxima abnegaverit, & in manus Domini Episcopi Ostiensis, ac per ipsum*

Domino nostro Iesu Christo, suaque in perpetuum jus ecclesiæ dimiserit, rursumque qualia sibi ob honorem Regni observandum auctoritas Apostolica concesserit, utriusque partis melius edocebunt subter annotata scripta. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. *Ego Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei, & sanctæ Romanæ ecclesiæ & Domini Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & sanctis eius Apostolis, Petro & Paulo, sanctæque ecclesiæ omnem investituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus ecclesiis, quæ vel in Regno vel Imperio meo sunt, canonicam fieri electionem, & liberam consecrationem. Possessiones & regalia beati Petri, quæ à principio huius discordiæ, usque ad hodiernam diem, sive tempore patris mei, sive etiam meo ablata sunt, quæ habeo eidem sanctæ Romanæ ecclesiæ restituo: quæ autem non habeo, ut restituantur fideliter juvabo. Possessiones etiam omnium aliarum ecclesiarum & principum & omnium aliorum tam laicorum, quàm clericorum, quæ in guerrâ istâ amissæ sunt, consilio principum vel justitiâ quæ habeo, fideliter ut reddantur curabo. Et do veram pacem Calisto, sanctæ Romanæ ecclesiæ, & omnibus, qui in parte ipsius sunt, vel fuerunt, & in quibus sancta Romana ecclesia auxilium postulaverit fideliter juvabo: & de quibus mihi querimoniam fecerit, debitam sibi faciam justitiam. Ego Calistus servus servorum Dei tibi dilecto filio Henrico, Dei gratiâ Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in præsentiâ tuâ fieri, absque simoniâ, & absque ulla violentia, ut si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani & provincialium consilio vel iudicio, saniori parti assensum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam ecclesiam pertinere noscuntur: & quæ ex his iure tibi debet, faciat. Ex aliis verò partibus Imperij, consecratus infra sex menses regalia per sceptrum à te recipiat. Do tibi veram pacem & omnibus, qui in parte tua sunt, vel fuerunt tempore huius discordiæ.* Data anno millesimo, centesimo, vicesimo secundo, non. Kalendas Octobris. *Huiusmodi scripta atq; rescripta propter infinitæ multitudinis conventum, loco campestri iuxta Rhenum lecta sunt, data & accepta post quàm multimodas laudes rerum gubernatori redditas, celebratis à Domino Ostiensi divinis Sacramentis, inter quæ Dominum Imperatorem cum*

 pacis

pacis osculo sanctâq; communione plenissimè reconciliavit, discessum est ab omnibus cum letitiâ infinitâ. Hactenus Conradus Vrsbergensis, quem tamen in nonnullis locis correximus ope doctissimi Heiminsfeldij, ex VVilhelmo Malmesburiense Anglo. Qui idem nomina Principum, quorum consilio ista omnia facta sunt, recensset. Hi sunt: Adelbertus archiepiscopus Moguntiæ, Fridericus Coloniensis archiepiscopus, Ratisbonensis archiepiscopus, Babenburgensis Episcopus, Bruno Spirensis Episcopus, Augustensis Episcopus, Augustensis Episcopus, Trajectensis Episcopus, Constantiensis Episcopus, Abbas Foldensis, Heremannus Dux, Fridericus Dux, Bonifacius marchio, Theobaldus marchio, Ernulfus Comes Palatinus, Othbertus Comes Palatinus, Berengarius Comes. Hoc modo magnâ sapientiâ & quodam quasi præsagio ingentium malorum, quæ ambitio & superbia Pontificum Rom. non tantum ecclesiæ, verum etiam reipublicæ conflatura esset, nisi maturè & per vim coërceretur. Hoc modo, inquam, constituta sancitaque à Karolo M. jura Imperatorum, & ultrà annos 300. contra turbones Italicos conservata atque defensa, infelix Reipublicæ fatum uno penè momento elisit. Qui Henrico 5. successit Lotharius (nostrates historici *Luderum* & interdum *Lutgerum* appellant) animadvertens, quantum Respublica ex investiturarum resignatione damni accepisset, conatus est vulnus hoc sanare, & jure vindiciarum amissa repetere. Occasio ista fuit: Innocentius ejus nominis 2. Papa canonicè electus ab Antipapa Petro Petri Leonis F. Româ ejiciebatur. Extorris itaque & exul penetravit in Germaniam ad Cæsarem, quem Leodij invenit. Confluebat istuc magna turba principum, & cumprimis procerum ecclesiasticorum. Chronicon Belgicum ex Anselmo affirmat præsentes ibi fuisse 32. episcopos: abbates 73. Quomodo res acta sit audiamus ex Vrspergensi. *Eo quoque tempore ipse Papa adiit Imperatorem Lotharium apud Leodium, petens ab ipso favorem & auxilium contra prædictum Petrum, & suos fautores. Sanè Imperator usus consilio super hu-*
„ iusmodi responso, cœpit à Papâ repetere investituras Episcoporum, quas
„ multo tempore Imperatores ante se habuerunt, ideoq; Apostolicus non modicum est turbatus, & de adventu suo est contristatus, de reditu quoque anxius effectus: nam petitionem principis exaudire non poterat super tali

artic

articulo, pro quo ecclesia tot mala sustinuerat. Interveniente tamen consilio, & orationibus beati Bernhardi, securus recessit ab Imperatore. Otto Frisingensis addit: *Imperatorem exposuisse modeste, inquantum „ regnum amore ecclesiarum attenuatum! investituram eorum quanto „ dispendio remiserit! promisisse tamen auxilium.* Luculentius omnia exponuntur in vita Divi Bernhardi lib. 2. cap. 1. verbis sequentibus: *Soluto Concilio* (Claromontensi) *Leodium Dominus Papa Romanorum Regi occurrit. Et honorifice quidem susceptus est, sed velociter obnubilata est illa serenitas. Siquidem importune Rex iestitit, tempus habere se reputans oportunum, Episcoporum sibi restitui investituras, quas eius predecessore Henrico per maximos quidem labores, & multa pericula Romana Ecclesia vendicarat. Ad quod verbum expavere & expallure Romani, gravius sese apud Leodium arbitrati periculum offendisse, quam declinaverant Romae. Nec consilium suppetebat, donec murum se opposuit sanctus Abbas* (Bernhardus.) *Audacter enim resistens Regi verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compescuit.* Haec ibi. Carolus Sigonius, quasi actui interfuisset, orationis à Bernhardo habitae summam nobis exhibere non dubitavit. Sic autem lib. 11. de Regno Italiae scribit: *Bernhardus, qui ab Innocentij latere nunquam discessit, petitionem eius* (Imperatoris) *iniquam atque alienam docere: neque ipsum petiisse, sed extorsisse tempore iniquioris fortunae captato, judicaturos homines esse. Oportere eum, ut genere, sic studio à Gibellinis differre, qui pravum exemplum, ut vendendorum Sacerdotiorum, sic oppugnandae Ecclesiae induxissent, eundem omne dissidium inter Imperium & Ecclesiam tollere debere, ne diuturna concertandi consuetudo Christianorum in duas factiones studia distrahat. Quod si quando eveniat, profecto non sine ingenti pernicie omnium eventurum. Haec ipsa non aliter, atque si ex oraculo edita essent, facile prudentem piumque Regem de sententia deturbarunt.* Hactenus Sigonius. Ex Lotharij vero petitione colligitur investituram Episcoporum Reipublicae fructuosam fuisse, fiscumque regium ditasse. Onuphrius Panvinius in vita Gregorij septimi, ait Imperatores Romanos amissis Praelatorum investituris *maiorem Imperij sui, meliorem fortioremq́, partem deperdidisse, & maximarum calamitatum seminarium fecisse.* Ex petitione porro Lotharij animadvertitur ejus prudentia, qui *modeste*, ut lo-

 qui-

quitur Frisingensis Papam convenit. Viderat Princeps optimus intemperiem, imò rabiem Pontificum in asserendo jure, quod semel animo sibi desponderant. Quod si oppugnare voluisset, necesse habuisset, de suâ etiam dignitate periclitari. Maluit igitur tyrannidi cedere, quàm frustra cum eâ luctari, contentus Pontificem saltem admonitum, sacrilegij & raptus cum excusari nequaquam posse. Marsilius Patavinus in Defensore pacis, parte 2. cap. 26. testatur Ottonem 4. & Fridericum 2. idem sensisse cum Lothario, sed infelici exitu tentasse. Verba ejus addam. *Has*, inquit, *concessiones & privilegia ex caussa fortasse legitimâ revocare volentes, aut revocantes simpliciter, aut in parte, Otto quartus & Fridericus secundus Romanorum Imperatores Episcoporum & cleri Romani plurimas insidias, persecutiones & impedimenta sunt passi; & eorum prædecessores aliqui minus adiuti per populos subditos, propter ipsorum aut suorum Officialium & ministrorum regimen quandoque fortassis tyrannidem sapuisse.* Meminit etiam Crancius in Metropoli lib. 2. cap. 29. utriusque Friderici Augustorum de investitura cum Pontificibus contendentium. Verba ejus hæc sunt: *Ne mireris lector ab Imperatore constitutum Episcopum. Ferebant hoc illa tempora, quando etiam Summorum Pontificum constituendorum destituendorumque habebant arbitrium: quod temporum necessitas ferebat. Non erat capitulis, ut nunc, electio libera: non erat confirmatio Apostolica necessaria: quem princeps delegerat, is erat Pontifex; consecrandus à vicinis Episcopis. Erat longa super hoc iure concertatio inter Sacerdotium & Regnum. Hoc duo Henrici, pater & filius: hoc item duo Friderici, avus & nepos, diu defendere ac tueri quærebant: sed vicit gladius ecclesiæ pervicitque ut ius suum Ecclesiis relinquerent Imperatores, &c.* (Reges Franciæ ista transactione noluerunt teneri, ut Sigebertus. Vide collectanea Reineccij, ubi citat pag. 139 & 140. nominat annum 1141.) Quem verò gladium ecclesiæ dicis, Cranci, mera fuit tyrannis, armata perfidia & perjuriis, immane quantum debacchans in optimos Imperatores, totumque terrarum orbem civili sanguine inundans. Illa demum pervicit acerbis fatis Ecclesiam & Rempublicam agentibus. Quantum verò mali ista investiturarum concessio orbi terrarum invexerit, quantum damni Trimalciones Romani indebitâ potentiâ, & tyrannide effreni armati passim dederint: quomodo non tantum.

tum omnia impudenter tentare & aggredi ausi sint, verum etiam cogitata ad effectum perducere potuerint, quomodo denique Imperatorum auctoritatem pedibus quasi conculcarint, funestisque cladibus & bellis universam Germaniam impleverint; id sensere superiora sæcula, & historiæ loquuntur. Sub hoc prætextu, Pontifices ecclesiæ legitimum clavium usum ademerunt, seque jactarunt supremos moderatores & judices, qui non tantum Episcopis, aliisque ecclesiæ doctoribus, verum etiam magistratibus politicis tam summis, quàm medioximis & infimis, leges darent, à nullis acciperent. Nisi igitur à Pontificibus penderent Episcopi, suamque auctoritatem & existimationem ab illis quasi mutuarentur, nullius erant dignationis, atque inefficax, quo se venditabant, ministerium. (Primatum Paparum quomodo impugnarit Guntherius Colon. & N. Trevirensis, vide apud Francicos scriptores Pithæi pag. 67. & seq.) Per iniquam clavium usurpationem arrogarunt sibi potestatem fingendi & stabiliendi novos in Ecclesia cultus & cerimonias, quibus sine discrimine omnes ita obligabant, ut si quis vel obloqui, non dicam obluctari vellet, is statim diceretur proclamareturque hæreticus, apostata, κάθαρμα, putridum & propudiosum ecclesiæ membrum, ac perpetuis inferni suppliciis immisericorditer addiceretur. Omnium autem miserrimè hominum conscientias excarnificarunt, isto formidabili excommunicationis fulmine, à quo nec Augustissimi Imperatores, nec potentissimi reges satis erant tuti, quibus quoties libebat, dominatum eripiebant violenter, aliosque, quos volebant, surrogabant. Ex his omnibus evenit idipsum, quod ante oculos interque manus nostras versatur, adeoque neminem quenquam fugit, nempe, quòd Germania terrarum victrix, regio, si quæ alia, olim florentissima, unaque digna superis visa quæ Græciæ dormitanti & Italiæ bellis civilibus infandum indulgenti, utrique inquam Romani Imperij ἀξίωμα masculè ereptum sustineret cum laude, ornamenta dignitatis & præsidia stabilitatis amisit. Successit autem perquam ignominiosa, planéque infamis servitus gente ab omnibus sæculis liberâ, maximè indigna. Quâ obruta ad nutum flagitiosorum immaniumque alastorum nunquam non bella plusquam civilia, intestinos motus, & horrenda

ſenſit diſſidia, nervis bellicis in uſum fœdiſsimum alienæ tantum libidinis explendæ, luxusque portentoſi alendi, cum ſummo dedecore profuſis. Parumque abfuit, quin Imperatoribus Germanicis tanquam vilibus abjectisque uterentur mancipiis. Niſi enim, quoties illi vellent, promti paratique eſſent, incredibile dictu, quanto ſtrepitu vibrata ſint fulmina, iteratæ diræ, inſtigati ad rebellionem ſubditi, juramenta relaxata, cuncta deniq; fœdè mixta, turbata. Terribile bannum, Diploma Boguslai Ducis Pom. apud Bruſch. pag. 89. b. de monaſteriis German. Omnibus iſtis malis, quæ ſanè triſtiſſima fuere, acceſsit novum & inſolens, reliquis omnibus funeſtius. Etenim religio, doctrinâ & ceremoniis à Deo averſa, & ad horrendam blaſphemamq; ſuperſtitionē prolapſa, Pontificum ambitioni, ſuperbiæ, avaritiæ & tyrannidi, quaſi vendita & mancipata ſerviebat ſervitutem triſtisſimam, quod oſtendunt inde uſque ab Henrici 4. temporibus canones, dogmata, Idolatrici anteaq; inauditi & ignoti cultus, fœdæ indulgentiarum nundinationes & aucupia, denique totum chaos errorum abuſuumque abominabile. Tantam vim habet ſuperſtitio, quando ſemel animos hominum invaſit, ſibique devinxit, dementavit & excœcavit.

THASSILONIS,
Ex perilluſtri & antiqua familia
AGILOLFINGIA
Bojorum Ducis ultimi,
DIPLOMA,
Quo monaſterium Chrembsmunſter abs ſe conditum munifice dotat, ditat.

Cum Notis
HENRICI MEIBOMII.

DIPLOMA THASSILONIS, DVCIS BAIOARIÆ,

Quo in loco occisi filij, GVNTHERI, monasterium Krembs in Austria, quæ tum *marcha Bajoariæ*, fundavit & confirmavit.

REgnante in perpetuum Domino nostro Iesu Christo, qui ab arce poli descendere dignatus est in alvum virginis, ac deinde in præsepium, de præsepio in crucem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro in tartara, de tartaro redit ad æthera, binis viris albis indutis testantibus: ad postremum reversurus ad judicium, in quo judicio unusquisque quod gessit retributionem accipiet, deputabuntur injusti ad supplicia, justi autem ad vitam æternam. Quæ retributio nullum habet terminum, nec in malo, nec in bono. Quamobrem propter amorem æternum, & timorem horribilem, ut evitare valeam mansionem Diaboli, & habere merear mansionem cum Christo: Ego Tassilo vir illustris, Dux Bojoariorum, *anno Ducatus mei tricesimo, indictione primâ, mente tractavi, ut de hoc, quod mihi Dominus largitus est, per memetipsum aliquid Deo conferrem. Nam bonæ memoriæ antecessores mei, in quantum potuerunt, res suas devoverunt, ecclesias Dei construxerunt, easq; suis opibus ditarunt:* monasteria quoque studiorum *construxere, & non modicas ad ea pecunias tradidere. Qua de re statui quoque & ego in animo meo, ut cum summa opitulatione Iesu Christi Domini nostri, in ipsius nomine ædificarem monasterium, quod, ipso adjuvante, ita factum est. Nam monasterium construxi juxta fluentum nuncupatum Kremsa, in honore S. Salvatoris: quod & Deo dicavi, & in dedicatione tradidi, quod potui, quod subter annotamus. Quinetiam abbatem constitui nuncupatum* Fater, *cum monachis sibi deputatis: ut in prædicto venerabili loco, vita ibi commorantium regulariter duceretur. Nunc ergo ea, quæ tradidimus, intimabo. Ego igitur Tassilo vir illustris, Dux, ut supra adnotatum est, anno tricesimo Ducatus mei: simulque* dilectissimus filius meus Theodo, *anno Ducatus eius primo, tradi-*

dimus

dimus & confirmavimus ad prædictum monasterium sancti Salvatoris &c. (Cum post hæc verba multis prædia à se tradita Thassilo recensuisset, quæ hic inserere operæ pretium non fuerit, subdit tandem & concludit) *Hæc autem omnia, quæ suprà diximus, per singula loca omnia ex integro, domos & curtes suas, & ancellas, & homines tributales, & quicquid illorum est mobile, & immobile, cultum vel incultum, rura, prata, campos, silvas, aquarumq; decursus, vel quicquid ad ipsius pecuniæ pertinere videtur, trado atque confirmo, ad prædictum monasterium & venerabilem locum, ut ab hodiernâ die, & deinceps, ibi sit firmum & stabile. Si quis autem qualibet persona contra hanc cartam traditionis contraire voluerit, iram Dei omnipotentis incurrat, & partem habeat cum Iudâ proditore, & caussam cum sancto Salvatore, & carta hæc nihilominus firma permaneat. Acta sunt hæc coram multis testibus, videntibus & audientibus: ex quibus hîc aliquos inseruimus: Virgilius episcopus Iuvaviensis, Simpertus Episcopus Ratisponensis, VValtricus episcopus Laureacensis, Oportunus abbas, VVolfprecht abbas, Hatto abbas, Gaozrich abbas, Hrothart abbas, Vlricus Comes, Magilo Comes, Suluchò Comes, Reginholf, Adelher, Hardnik. Scripsi autem ego VVillaprecht, indignus tamen Diaconus, hanc cartam traditionis, jussus à summo principe Tassilone, ex ore Svelharti diaconi. Acta sunt hæc in prædicto monasterio, regnante Domino nostro Iesu Christo in secula perpetua.*

Notæ in diploma Tassilonis.

Diploma Tassiloni) Recitatur à VVolfgango Lazio, Medico, & Cæsaris Ferdinandi Historico, lib. 7. de gentium migrationibus. Meminit, sed perobscurè, Aventinus Annal. Bojorum lib. 3. Inter omnes & nobilissimas Bojariorum familias nulla nobilior fuit quam Agilolfingorum, ex qua etiam Duces gentis eligi soliti fuere, quod testatur Dagobertus Rex Galliæ & in Legibus Bajoaricis Agilolfingos nominat Principes regionis, ex quibus Dux regionis semper electus fuerit & eligi porro debeat ex concessione Regum antecessorum suorum, qui id ita fieri debere sanciverint. Primum autem ex hac familia Ducem putant fuisse Theodoricum (voce veteri Celtica Dieth vocatur) qui anno Christi 508. Danubium transgressus provinciam aliquam Romanam sibi sub-

jecit. Ex illustri autem hac Agilolfingorum familia natus est Thasfi-
lo sive Tassilo Dux Bojorum ultimus, cujus hoc est diploma quod
commentandum nobis sumpsimus. Patrem habuit Vtilonē, avun-
Hugobertum Bojariæ Duces. Patre defuncto Pipino Francorum
Regi se subjecit, ultroque profectus Compendium, Belgici civi-
tatem, fidelitate religiose juratâ, investituram Ducatus Bojorum
quam vocant, accepit. Anno regiminis 24. ad diem XIV, ann
DCCLXXII. Concilium indixit Dinckelfingij celebrandum. Pipi-
no rebus humanis exemto, filij & successoris Karoli, quem poste
Magnum dixere, juventutem despiciens, accedentibusque flabelli
imperiosæ conjugis Luitburgæ, Desiderij, nuper Langobardorum
in Insubriâ regis, sed à Karolo victi regnoq; exuti, filiæ, juncto cum
Hunnis & Avaribus barbaris & paganis fœdere, Francis rebellavit.
Contra quem Karolus profectus statim supplicem & ad obediendu
promtum paratum invenit. Quæ cum fraudulenter agerentu
omnia, & tertium ad ingenium rediisset Thasfilo, nunquam non
regno Francorum perniciem molitus, à Karolo Ingelhemium
ubi Comitia indicta erant, ad caussam coram primoribus regn
dicendam, evocatus est. Ibi multorum criminum, puta rebelli-
onis, perfidiæ, fœderis cum hostibus tam ecclesiæ, quàm reipubli-
cæ, initi; læsæ denique regiæ majestatis reus actus convictusque
à judicibus Palatinis juxta legem Bojariorum capitis damna-
tus est. Lex hæc cap. 2. titulo 10. ejusmodi legitur: *Si quis Dux*
de provinciâ illâ, quem rex ordinaverit, tam audax, aut contumax, aut
levitate stimulatus, seu protervus & elatus, vel superbus atq; rebellis fuerit
qui decretum regis contemserit, donato ipsius dignitatis Ducatu careat
etiam & insuper spe supernæ contemplationis, sciat se esse condemnatum
& viam salutis amittat. Tam acerbum supplicium Thasfilo cum
lacrymis deprecatus, à rege, commiseratione moto, id demum
impetravit, ut omni spe regni & restitutionis ademtâ mutato ha-
bitu cum filio Theodone, Laurisheimensi cœnobio includeretur
in cœtu religiosorum hominum probrosam turpemque vitæ an-
teactæ enormitatem piarum precum & austerioris institut
exercitiis probè expiaturus. Eandem fortunam subiit Luitbur-

gi

gis, caput horum & causa malorum, detrusa & ipsa in sui sexus cœnobium. Facta sunt hæc anno 788. ut Eginardus, & alij omnes. Exstat adhuc monumentum Thassilonis in cœnobio Laurisheimensi in Vangionibus, cum hac inscriptione sequenti.

CONDITVR. HAC. FOVEA. QVEM. PIE. CHRISTE. BEA.
TASSILO. DVX. PRIMVM. POST. REX. MONACHVS. SED. AD. IMVM.
IDIBVS. IN. TERNIS. DECESSERAT. ILLE. DECEMBRIS.

Atque hoc modo in Tassilone, ejusque filio Theodone, desiit stirps Agilolfingorum, quæ diu in Bojoaria cum imperio fuit, & in legibus Bojariorum non semel nominatur. Appendice ad Gregor. Turonensem, sive lib. 2. vocatur *nobilis gens Anglolfinga.* De variatione nominis Thassilonis hæc habet Aventinus in Nomenclaturâ annalibus præfixâ: *Thessel Dux Bojorum, à quo rivus Thesselpach in superiori Bojariâ. Quidam Tassilonem, alij Taxilonem: sunt qui Thesselonem vocitant. Ego, ut Iustinus (lib. 2.) Thessalonum vocabo. Fuit hoc quoq; nomine Dux, qui cum Brenno Delphis celeberrimum templum Græcia oppugnavit.* Hactenus Aventinus.

Occisi filij Guntheri) VVolfgangus Lazius commentario de Repub. Rom. lib. 12. *In fundatione Chrembs monasterij r fertur Guntherum, Thassilonis F. cum venatum cum paucis in proximum nemus exijsset, ut erat juvenis, aprum ardentius consecutum fuisse, comitibus tardius vestigia domini legentibus, ac in nemore devio errantibus. Vnde accidit, ut solum aper principem obruerit, spiculisq; atq; sagittis destitutum interfecerit, uno solo cane cadaveri adsistente: qui & post aliquot dies, cùm desideraretur filius Ducalis, & undiq; à suis quæreretur, Laureacum cucurrit, ac latratu suo continuo servos in nemus ad locum ubi jacebat Guntherus deduxit. Quamobrem in loco occisionis pater Thassilo, cum Luitburgâ matre, cœnobium celebre in honore S. Salvatoris & B. Agapiti auspicatus est. quod à rivo isthic fluente Chremsam appellavit, anno labente à Christi nativitate 778. ubi & corpus filij terra condiderunt.* Hactenus Lazius. Hæc eadem recitans Aventinus rem gestam in dubium vocat. Verba addam: *Ita quidam prodidere, mihi non fit verisimile. Nam in oratione, quam Thessalonius in ejusdem templi dedicatione habuit, Theodonis quidem filij mentionem facit, de Gunthero, & huiusmodi*

modi fabulâ, ne verbum quidem offendes: profectò tantam rem ille non taciturus, si ita fuisset. Deprehendi ego monachos, ut originem principiaq; templorum suorum augustiora vili plebeculæ faciant, animos vulgi imperiti, hujusmodi fabellis ad quæstum confictis, allicere & oblectare solere. Hactenus Aventinus. Sed rejicit hæc cap. 2. Marcus Velserus rer. Bojar. lib. v. & priori sententiæ accedit.

Tunc marcha Bajoaria) Annales Francorum à Frehero editi ad annum DCCLXXVIII. *Similiter & Avares in Marcha Bajoariæ atque Italia &c.* *Marcha* autem vox, sive *marca* originem habet Celticam, ut Petrus Albinus Chronici Misnensis titulo 9. *κοινόνυμος* est, teste Reineccio historiæ Iuliæ tomo 3. in regno Germanico, significans & limitem sive terminum & regionem limitaneam. Cui, qui cum imperio præerant, *Marchgravy* dicebantur. Hi tempore Karolorum in regno Francico numerabantur, *Avaricus, Chaventanus, Forojulensis, Saxonicus, Hispanicus, & Nordmannicus.* Quorum illi quidem in Oriente Francorum imperium contra Hunnos, Avares & Longobardos: hi verò in Occidente constituti perpetuo milite Gallias & Hispanias adversus Saxonas Rheno incumbentes, Saracenos & Nordmannos, defensabant. VVolfg. Lazius lib. 1. de Repub. Romana. Incolæ ejusmodi regionis limitaneæ dicuntur *Marcomanni,* ut Helmoldus in Chron. Slavor. lib. 1. cap. 68. affirmat his verbis: *Vocantur autem usitato more Marcomanni, qui marcam incolunt.* Secundum has significationes *marca* denotat districtum aliquem ditionis aut villicationis. Sic Ludolfus Dux Saxoniæ conditor cœnobij Gandesheimensis in literis fundationis innuit, *se sanctimonialibus ibidem Deo servientibus tradidisse quicquid in* Gandesheimiâ-marcâ, *& in* Ruidenâ-marcâ, *& in* Alungâ-marcâ *habuit, in terris, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, propriis vel communibus, domibus, ædificiis vel prius habitis, vel postea constructis, mancipiis quoque diversi generis, vel conditionis,* &c. Ex his marcis *Ruidenam* intelligo de districtu circa urbem *Ruden,* in diœcesi *Coloniensi*: nam ibi habuisse Ludolfum suas ditiones ex historiis certum est, & Innocentius 3. Papa anno 1206. *Mechtildi abbatissæ*, ejusque sororibus regulariter substituendis omnes, quas tum habebant, possessiones confirmans meminit decimarum in diœcesi *Coloniensi, Haberstadensi, & Hildeshei-*

mensi

mensi. Præterea Otto 2. Imp. in privilegio, cœnobio SanMariano ad muros urbis Gandersheimensis, anno 973. donato, nominat *Heringehusomarcham.* Ita in Antiquit. Fuldens. à Pistorio editis, lib. 1. in traditione Ecclesiæ Fuldensi facta à VValefrido, est *VVintgrabone marca & Hrannungero marca*: in traditione Ercamperathi, *Kitzekeromarca*: in traditione Hruaduni. *Fludineromarca, Hnutilingeromarca, Salagenuonomarca, Kizicheromarca, Scundramarca, Lutturnmarca, Suinfurteromarca &c.* quarum nomina jam expirarunt. Ex his verò liquet marcham esse non pagum, ut Althamerus in Tacitum, sed pagi partem aliquam, districtum sive præfecturam. Quod etiam elicias ex verbis Helmoldi loco suprà citato. *Sunt autem*, inquit, *in terrâ Slavorum marcæ quàm plures, quarum non infima est VVagirensis provincia.*

Marcha Bajoaris) Ioannes Aventinus lib. 1. annal. Bojorum: *Bavarus nomen barbarum, obscœnum inauspicatumq́, semidocto vulgo protritum, recens est, nuper ab imperitis usurpari cœptum: nec Latinum nec Germanicum. Nusquam apud veteres, nusquam in vetustis exemplaribus, monumentis, literis, epistolis, legibus, tabulis, diplomatibus invento, quæ omnia linguâ Romana scripta sunt. Demum enim post Friderici 2. fata Germania suum sermonem depingere literis Latinis didicit. Semper* Bojoarios, *aliquando &* Bojarios, *scriptum lego.* Babariæ *quidem vocabulum post Karolum Magnum ejusq́, nepotes à privatis literatoribus (ut sunt mores eorum) additum est. Etenim cum illi in eâ regione (quæ* Anasso *amni orientem versus subjecta est, & nunc* Austria *vocari solet, tunc* Abaria *atque* Hunnia *erat) ad internecionem* Hunnos, *quos* Boij Abates *cognominant, delevissent, nomen & gentem penitus excidissent, colonias ibi Bojorum deduxerunt, Bojariæq; regno conjunxerunt, ut una gens, unius Ducatus posthac foret. Grammatica tum tribus ex* Boijs *&* Abaribus *vocabulum composuerunt, quod & hujusmodi rei monumentum esset, & utramque regionem uno cognomine complecteretur, quemadmodum à* Gotis *&* Alanis *est* Gotolania, *& ex* Celtis *&* Hiberis Celtiberia. *Longo tamen tempore* Babaria *in ludo declamatorum delituit, equites patresq; semper* Bajoaria *interim &* Bojaria, *& scripserunt & dixerunt: pedetentim vicit pertinacia Grammaticorum,* Babaria *paullatim irrepsit,* Bajoariam *atque* Bojariam *extrusit, ac tandem publicè recepta est: sicut monumenta publica, privata ostendunt.*

Reginoburgij *in templo* Divi Heimerani Babariæ *vocabulum in saxo incisum existit.* Bavarus *verò post* Imperatorem Fridericum secundum *demum natus est, cuius parentes si* Bojos *&* Avares *dixero id fortassis non mentiar: quos enim* Boij *&* Græci Abares, Romani Avares *vocant.* Hactenus Aventinus.

Propter amorem æternum & timorem horribilem, ut evitare valeam mansionem Diaboli) Quam mature in Occidentis ecclesiam irruperit persuasio illa, qua profusam in ecclesiasticos sacrasque ædes & collegia liberalitatem non hujus tantum vitæ prosperitatem, sed & peccatorum remissionem & vitæ æternæ adeptionem, demereri posse credebant, docui in Relectione Apologiæ pro Ottone IV. Imp. Aug. Et jam Merovingiis persuasionem illam invaluisse indicat Theoderici Francorum regis diploma apud Bruschium de Monasteriis pag. 84. quo cœnobio Mamsmunster confirmat bona, à Childerico Chlodovæi filio pro animæ suæ salute circa annum DLXXXIII. tradita. Carolum M. postmodum idem sensisse docet ejus diploma apud Aimoinum lib. 5. cap. 1. in quo hæc ejus sunt verba: *Quicquid locis venerabilibus ob amorem Domini & oportunitatem servorum Dei benevola deliberatione concedimus, hoc nobis ad æternam beatitudinem, vel remedium animæ nostræ pertinere confidimus.* Formulas aliquot, donantibus usurpatas, dedimus loco nominato; quasdam Thassilonis diplomati illustrando hic etiam addemus. Matto in diplomate dato ecclesiæ Fuldensi, antiqu. Fuldens. à Pistor. edit. lib. 1. *Pro remedio animarum nostrarum & pro abluendis peccatis nostris, ut veniam in futuro consequi mereamur.* Altfridus ibid. lib. 2. *Ob desiderium vitæ æternæ & pro remissione peccatorum nostrorum, & matris & sororum & filiorum filiarumq́, & omnium parentum & fratrum atq́, cognatorum.* Ercanperath ibid. *Ob desiderium vitæ æternæ, ut in futuro veniam peccatorum meorum consequi merear.* Cancer (Comes pagi Rhenensis) in donatione facta monasterio Laurisheimensi apud Freherum in Append. ad Orig. Palat. *Ego in Dei nomine Cancer & Augila, conjunx mea, cogitantes casum humanæ fragilitatis, qualiter possimus minuere, donante Domino, peccata nostra, & ad æterna gaudia pervenire, idcirco pro animæ nostræ remedio, ut Dominus Iesus Christus veniam de peccatis nostris tribuere dignetur, donamus, tradimus &c.* Arnulphus Imp. apud Viguleium

um Hund Metrop. pag. 93. *Pro absolutione divinæ recordationis antecessorum nostrorum augustissimorum scilicet Impp. & pro remedio animæ nostræ & corporis salvatione, & pro remedio filij nostri Ludovici.* Henricus VI. in diplomate dato monasterio Reinhardsbrun anno MLXXXVI. Moguntiæ: *Ob spem & præmium vitæ æternæ, ob remissionem omnium peccatorum, ob salutem corporum & sempiternam requiem animarum, ob cotidianam memoriam sui suorumq. omnium, Regum quoq. & Episcoporum, Principum & omnium ejusdem loci statum & honorem diligentium & defendentium, cunctorumq. Christi fidelium.* Idem Imp. in diplomate dato monasterio Ichtershausen: *Pro redemptione animarum suarum, omniumq. fidelium vivorum & mortuorum.* Bernardus & Adolfus Comites de Dannenberg in literis datis monasterio Isenhagen anno 1245. *Intuitu remunerationis æternæ, nostrorumq. in remissionem peccatorum.* Sed prolixiores aut copiosiores in his esse nolumus. Notavimus autem ritum offerendi bona sua ecclesiasticis tempore Caroli M. usitatum: cui nunc subjungo formulam bona cuncta donandi & particulatim enumerandi, ex diplomate Henrici IV. Imp. donantis Archiepiscopo Bremensi Liemaro, ejusque ecclesiæ abbatiam Fredena in pago VVestfala, in Comitatu Gerhardi Comitis sitam. *Dedimus autem, sicut mos est dare regibus & Imperatoribus, cum ministerialibus, cum mancipiis utriusque sexus, cum clericis ecclesiis, ecclesiarumq. dotibus, decimis, terris cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, silvis, forestis, venationibus, pratis, aquis, aquarumve decursibus, piscationibus, viis & inviis, molis, molendinis, pascuis, mercatis, theloneis, monetis: adhac etiam cum omni utilitate, quæ exire ex bonis juste poterit. Actum VVormatiæ anno Christi MLXXXV. Indict. IIX, V. Kal. Ianuar.*

Vir illustris) De hac dignitate vide VVolfgangium Lazium comment. Reipub. Rom. lib. 1. Schardium in Lexico juris. Erat autem *illustrium* dignitas omnibus aliis superior, & omnes alias antecedebat, ut apparet ex Novel. de appellat. & intra quæ temp. ad fin. In Chronico Lauri heim ensi extant duo diplomata Karoli M. ubi hic titulus: *Karolus D. G. Rex Francorum, vir illuster.*

Anno Ducatus mei tricesimo) Annales Fuldenses ad annum 749. *Pipinus in Bajoariam pergens Tassilonem nepotem suum natum ex Hiltrude sorore sua, Ducem ibi constituit, Gryphone & Lantfrido inde adactis.*

eductis. His suffragatur Vrspergensis. Regino ponit hæc ad annum 743. Si annalium sententia verior putanda, fundatio monasterij Chrembsensis incidit in annum 779. Lazius præcedentem habet. VViguleius Hundius in metropoli Salisburgicâ VValderici episcopi Laureacensis, sive Passaviensis explicans historiam, hæc habet: *Legitur VValdericum hic consecrasse monasterium Mense, anno 776. & anno sequenti monasterium S. Agapiti Krebsmünster in Austriâ, quod Tassilo tertius Dux Bavariæ, anno 30. sui regiminis, juxta fluvium Chremissa construxerat, & in honorem S. Salvatoris dedicaverat: quam donationem & dotationem Karolus Imp. postea eidem VValderico Episcopo confirmavit.* Id vero factum anno 802.

Antecessores mei, in quantum potuerunt, res suas devoverunt, ecclesias Dei construxerunt) Priscos ex Agilolfingorum familiâ Bavariæ reges & Duces, apprimè erga religiosos homines liberales fuisse, veterum loquuntur monumenta. Suntque in explicandâ istâ munificentiâ verbosi, Aventinus in Annalibus, VVolfgangius Lazius lib. 7. de migrat. Andreas presbyter in Chron. Bajoariæ: ac post illos diligentissimus patriarum antiquitatum illustrator VViguleius Hund IC. Nos reliquis præteritis tantum de *Vtilone* (Gregorius 3. Papa *Otilonem* in quadam ad Bonifacium epistolâ nominat) Tassilonis parente agemus. Is hortatu S. *Pirminij* Metensis Episcopi, quem tum secum habebat, sex construxit monasteria. Vnum prope *Menen* lacum Noricorum, vulgò *Mänsee*, circa annum 739. Quinque reliqua condidit in inferiori Bavariâ juxta Danubium: *Nidroburgium* Patavij anno 739. *Altachense* superius anno eodem, inferius 741. *Pfaffenmünster* 742. In *Osterhovensi*, quod postremum fundavit, *Vtilo* cum conjuge *Hiltrude*, *Karoli Martelli* Majoris-domus in regno Franciæ, filiâ, sub duobus albis lapidibus marmoreis quiescit, mortuus gubernationis anno 30.

Monasteria quoque STVDIORVM) Bonifacium Vtiloni Duci Bavariæ auctorem fuisse, ut passim per ditionem monasteria excitaret tanquam scholas, unde verbi divini præcones accerserentur. Lazius de migrat. lib. 7. Indicatur caussa & finis, cur pij principes, tam ambitiosè, tantisque sumtibus monasteria passim excitarint, nempe, ut studia doctrinarum, Ecclesiæ pernecessaria, alerent, juvarent, promoverent. Fuisse autem antiquitus

cœno-

cœnobia meras Scholas, testem do omnem antiquitatem, quæ de hoc testimonium perhibet luculentum. Nec uno in loco idem inculcat Tritthemius, monachorum doctissimus, priscæque in vitâ religiosâ integritatis & sanctimoniæ vindex & assertor flagrantissimus. Cujus locum ex Chronico Hirsaugiensi ad annum 890. adscribamus. *Erat, inquit, his temporibus hæc consuetudo celeberrima, ut Scholæ monachorum in singulis penè cœnobiis haberentur, quibus non seculares homines, sed monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatissimi: qui non solum in divinis scripturis docti essent, verum etiam in Mathematicâ, Astronomiâ, Arithmeticâ, Geometricâ, Musicâ, Poesi, & cæteris omnibus literaturæ scientiis eruditissimi haberentur. Ex his multi, non solum in Romanâ linguâ docti erant, sed etiam in Hebraicâ, Græcâ & Arabicâ doctissimi, quod ex eorum opusculis facilè cognoscitur.* Et paulo post: *Multi ex monachis propter scientiam litterarum incomparabilem ad Episcopatus honorem sublimati sunt, qui ordinem suum vitâ & doctrinâ mirabiliter illustrarunt.* Cum Trithemio facit Cuspinianus in Austriâ his verbis: *In cœnobiis optimæ artes docebantur: erudiebantur fratres in virtutibus ac disciplinis: vitam vivebant honestam ac sanctam: omnis conatus erat in adipiscendâ simul eruditione & tranquillitate vitæ.*

Ædificarem monasterium) Non unum sed plura condidit Thassilo monasteria; de quibus Andreas Presbyter Ratisbonensis in Chronico Bavarico recitat rithmos in cœnobio VVeltenburgensi parieti adscriptos:

Tassilo Dux Bavariæ, fundator hujus ecclesiæ,
Sex struxit in Bavariâ Thassilo Dux monasteria,
VVeltenburch, Chrembsmunster, Lorch,
VVelzelsbrun, Pfaffenmunster.
Tassilo Dux primum, postea rex, sed monachus ad imum.

Abbatem constitui nuncupatum Fater) Si primi abbatis nomen hoc fuit, omine non caruit, quippe quod ei munus sacrum prænunciaret. Nisi fortè significatum peregrinæ vocis *Abbas* populari linguâ exprimere voluit fundator.

Theodo) Sic constanter omnes: VViguleius *Diethonem* vocat in catalogo abbatum Althæ inferioris. De nomine ipso Aventi-

nus in nomenclaturâ sic scribit: *Diethe vocabulum vetus divitias, & officium, facinora praeclara significat. Latinâ incude Theodo formatur. Complures eo nomine Duces Bojorum fuere: poëticum est, turbam famulitumq́, significat.* Ab Aventino dissentiunt auctor qui de Etymologiis nominum Germanicorum scripsit Reineccius de origine Mysorum, & alij, quibus *Dit* vel *Diit* Deum significat, fortassis ortum à *Dite.* Mirificè torta est vox, cum aliae gentes aliis crassius pronunciarent, nec librarij eadem uterentur orthographiâ. Inde natum *Deet, Diet, Diot, Theot, Thet, Theut, Thiat, Thiot:* quae vocabula idem sunt: tantum à pronunciatione & scriptione discrimen. Erit igitur nomen Theodonis sanctum, Deum ipsum repraesentans, quod tamen molliùs etiam enunciatum probat *Villa-Theodonis*, quae Germanis *Diedenhofen*, in ripâ Mosellae.

Anno Ducatus eius primo) Historia Theodonis nonnihil perplexa redditur, & intricata. Aventinus lib. 3. scribit baptisatum ab Adriano Papa, eodem anno, quo Karolus M. Desiderium Langobardorum Regem ultimum regno exuit. Atqui hoc factum est anno 774. ut Annales Francici, Regino, Marianus Scotus & alij. Monasterium verò Chrembsense conditum est, vel anno 777. ut VViguleius in Metropoli, vel 778. ut VVolfgangius Lazius, sive 779. ut ex diplomate Thassilonis colligitur. Fuit igitur fundationis tempore Theodo puer trium, quatuor, vel quinque annorum. Cùm verò spe successionis dejectus sacris initiaretur, quod incidit in annum 788. annos habuit quatuordecim, quae aetas nequaquam regimini Ducatus, qui illi tribuitur, satis apta. Nisi fortè baptismum filij consultò distulit Thassilo: quod Dodechinus refert de Henrico 3. qui decedens ex hac vitâ reliquit filium octennem nondum baptisatum, cui postea Henrici 4. nomen inditum. Trithemius in Chronico Ducum Bojoariae tempora & personas mirificè confundit: hoc tamen expressè indicat, Thassilonem, Otilonis F. ex Luitburgâ Desiderij Langobardorum Regis filiâ, sustulisse Theodonem, quem Divus Rupertus, VVormatiensis Episcopus baptisarit anno 612. quod si verum esset, cum exauctoraretur Theodo, fuisset annorum circiter centum & sexaginta sex.

Curtes suas) Ioachimus Vadianus Cos. Sangallensis Farragine

ne Antiquitatum Alemannicarum lib. 2. *Curtim Franci & Alemanni regiam seu palatium Principis velut corten vocabant, comitatum, hoc est, turbam Palatinam significantes barbaro vocabulo. Sed & vicum & domum etiam quamlibet seu mansionem Curtim appellabant.* Idem in epistola de obscuris Alamannicorum verboruum significationibus ad Henricum Bullingerunt: *Arbitror nullam curtim sine jurisdictione fuisse, & hoc nomine id esse significatum, quod jam vulgò* Ein Bogtey. *Verum regiæ curtes longè maxime fuerunt, & imperia etiam habuerunt cum mancipiis, agris, pascuis, censibus, venatione, piscatione, & omnimodâ illa integri status possessione &c. Aliæ curtes tenuiores, pleraq; solius jurisdictionis cum agris mancipiisque.* Regias Curtes Adamus Bremensis pag. 106. editionis Ranzovianæ *Dominicales* appellare videtur. Idem semper *Cortis* scribit, rectè quidem, est enim à *Cors: quâ voce quanquam domesticarum pastionum locus & numerus denotetur, tamen Latinis & hominum uno aliquo in loco conjunctorum ac veluti cohabitantium cœtus eâ voce intelligitur. In eâ significatione vel à Cicerone accipitur actione in Verrem 5. pro cœtu hominum turpi aliqua de caussa sociatorum in malam partem: à Cæsare in bonam.* Hæc Vadianus in epistolâ ad Bullingerum.

Avellus) Vocis hujus infrequentis significatum non assequor, neque conjecturis indulgebo.

Iram Dei omnipotentis incurrat) Superiora secula, etsi nostris multò integriora, minusque ad rapinas & sacrilegia prona, tamen quòd mores hominum quotidie in pejus prolabentes, considerarent, quoties religiosorum sodalitiis de suo aliquid liberaliter conferebant, præter debitam in instrumentis sive donationum tabulis conficiendis, testibusq; fide dignis adhibendis, solicitudinē & accurationem, hoc agebant etiam, ut legatorum donariorumq; suorum improbis invasoribus extrema quæq; imprecarentur: eo fine, ut diris absterriti alienæ rei appetentes, quod Deo piisq; usibus destinatū novissent, intervertere, & ad se suosq; transferre nefas putarent. In gratiam autem eorum qui dulcedine panis Christi illecti, cùm aliàs in re sint lautâ, quoties occasio offertur, sive honesta ea, vel minus, in bona monasteriorum, parochiarum, & sacellorum instar Harpyjarum avidis manibus involant, nusquam & nunquam non inde aliquid abradentes & delimantes: ut videlicet

 illi

illi agnitâ criminis, quo se involverunt, deformitate, de seriâ vitæ emendatione, maturâq; infamis spolij restitutione secum cogitent, formulas subjungam nonnullas in donationū tabulis repertas, ecclesiasticā istam sitim & famem procul dubio restincturas. Sic igitur Eugenius tertius in bullâ datâ monasterio Hamerslebiensi aliisq; ordinis Divi Augustini collegiis, anno 1145. *Si qua igitur in posterum ecclesiastica secularisve persona hujus nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamq; se divino judicio existere de perpetuâ iniquitate cognoscat, & à sanctissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemtoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat, &c.* Iisdem verbis utitur Innocentius tertius in bullâ datâ illustri monialium cœnobio ad Gandam fluvium anno 1206. Henricus Dux Saxoniæ & Palatinus Rheni monasterio Vallis Mariæ prope Helmæstadium fundum quendam anno 1197. largitus instrumentum his verbis claudit: *Si quis autem contra hoc factum temerario ausu venire præsumserit, sit pars ejus in extremo judicio, nisi citò resipuerit, cum angelis Satanæ.* Volradus Halberstadensis antistes donationem quandam cœnobio Riddagshusano factam ita corroborat: *Et ne procedente tempore super his alicujus quæstionis scrupulus oriatur, sed semper prædicto conventui maneant illibata, hanc paginam duobus sigillis, nostro videlicet, & ecclesiæ nostræ firmatam, sæpedicto conventui in testimonium validum erogamus, sub interminatione anathematis districtius inhibentes, ne quis quocunq; ausu temerario contra ejus continentiam venire præsumat. Si quis autem hoc fecerit, æternæ damnationis cum Dathan & Abiron habeat portionem &c.* Longè autem vibrantiores imprecationes dirasq; funestiores reperias in diplomate Henrici 4. Imp dato anno 1075. quod Hirsaugiensis cœnobij instaurationem auspiciis Adelberti Comitis Calbensis institutam confirmat: ubi Cæsar his utitur verbis: *Si fortè quispiam regum vel posterorum ejus, seu quarumcunq; homo personarum (quod absit) testamentum hoc ullo ingenio infirmare vel infringere præsumserit: si id autem (quod absit.) à quolibet eorum, instigante Diabolo, fiet, obsecrat idem Comes, & omnino testificatur Apostolicum Pontificem per Christum, & per S. Petrum Apostolum, & S. Aurelium Episcopum, & per omne*

Sanctos Dei, & per tremendum judicij diem, ut illum Dei, & sanctorum ejus contemtorem, & testamentariæ huius conscriptionis destructorem, nisi resipuerit, tradat omnino Satanæ: & anathematizet eum, ac profanet à consortibus & filiis Ecclesiæ sanctæ Dei, & heredibus vitæ æternæ: ut & auferat Deus memoriam illius de terrâ viventium, & deleat nomen ejus de libro vitæ æternæ: & cum Dathan & Abiron, quos terra aperto ore deglutivit, & vivos infernus absorbuit; perennem incurrat damnationem: & ut Herodis, Pilati & Iudæ socius factus in æternum discrucietur: & cum Sodomitis & Gomorris ignis & sulfuris imbres hic experiatur: & Heliodori plagas & verbera hic perpetiatur: & Antiochi tormentis, vermibus scilicet scaturiens, & cum fœtore computrescens, miserrimè conteratur. Et nisi resipiscat Petrum regni cœlorum archiclavigerum, cum S. Aurelio, & totâ cœlesti militiâ portæ Paradisi obstitorem habeat in æternum. Hæc ibi.

I nunc, & sacros Pietas quæ vertit in usus,
Transcripsitque Deo, furto lætatus inani,
Sume tibi, spoliisq; domum feralibus imple.
Ingruet illa dies, magno cum optaveris emtum
Depositum fides intactum, prædamque nefandam
Oderis, haud unâ luiturus clade rapinam;
Sacrilegumq; nefas. scelus est fraudare nocentem,
Et damnum pensare malo. quid dirius illo,
Si non abstineat violens injuria cœlo?
Nec metuat summum mortalis lædere Numen?

Virgilius Episcopus Iuvaviensis) Cognomento Solivagus, apud Hibernos nobili loco natus. Hic est ille, cui cum Bonifacio Moguntinæ sedis archiepiscopo controversia fuit de Antipodibus: quos Virgilius mathematicarum disciplinarum intelligens esse constanter affirmabat: Bonifacius secutus opinationem Lactantij lib. 3. cap. 24. & Augustini de C. D. lib. 6. cap. 9. prorsus inficiabatur, invidiose clamans, hoc ipso dogmate alium statui mundum, alios sub terrâ homines; alium denique solem aliamque lunam. Magnâ animorum contentione res acta est, urgente palinodiam Bonifacio, Virgilio abnuente. Devoluto ad Zachariam Pontificem Rom. negocio, sive ignorantiâ, sive quod legati sui aucto-

Vide notas Ritterhusij ad Guntheri Ligurinum pag. 80. & 81.

auctoritatem sartam tectam vellet, pro Bonifacio pronunciavit, datis simul litteris ad Vtilonem (Lazius Odilionem vocat) Bavariæ Ducem, quibus Virgilium in perversâ atque erroneâ sententiâ persistentem, ab ecclesiâ & templo Dei depelli jubet. Sed sincera pietas & eruditio in homine præclara, tutum indemnemque præstitere. Videatur de hoc certamine Aventinus annal. lib. 3. Fuit in Episcopatu Virgilius annos circiter 30. mortuus anno 784. vel 785. 5. Kal. Decemb. Est autem Iuvavia sive Iuvania, quæ hodie Salzburg ad fl. Iuvanum hodie die Salza. Videatur Aventinus Annal. Bojor. lib. 2. Lazius lib. 12. cap. 9. comment. Reipub. Rom. & VViguleius Hund in Metropoli.

Simpertus Episcopus Ratisbonensis) Aliis *Synobertus*.

VValtricus Episcopus Laureacensis) Hunc VViguleius in Metropoli *Baltherum* appellat.

Oportunus abbas) Cui monasterio abbas hic præfuerit ex Lazio deprehendi, Metaviensem enim præsulem appellat. Interfuit concilio Dyngolofinio ad Isarum fl. consilio Virgilij Iuvaviensis & Aribonis Fruxinensis Episcoporum coactæ.

VVolfbertus abbas) Althæ inferioris ordine secundus: Lazio nominatur *VVolphilobertus* lib. 7.

Atto abbas) Mansensis.

Gaorrich abbas) VViguleio est *Caorig*, ubi præfuerit ignorare me fateor.

Hrothart abbas) VVeissenbrunnensis, Lazius *Rothaccum* nominat.

Vlricus Comes) VViguleio *Vtih*.

Sulicho Comes) VViguleius *Salinchonem* vocat.

Reginholff) VViguleio *Reginhold*.

Adelher) VViguleio *Adelger*.

Hanc cartam traditionis) Traditio idem est quod donatio.

HENRICI MEIBOMII
ERECTIO
DVCATVS BRVNS-VICENSIS.

Accessere

Diplomata Erectionis Principatus Henneber-gensis, Ducatus Lucani in Italia, Lutzen-burgici & Holsatiæ.

HENRICI MEIBOMII ERECTIO DVCATVS BRVNSVICENSIS.

FRIDERICVS, secundus ejus nominis Imperator, pacato utroque regno, quod in Italia possidebat, tam Siculo quam Neapolitano, cum intelligeret Henricum filium facto cum Longobardis fœdere, novis rebus studere cum Legato Pontificio multisque aliis, per Picenum iter faciens Ariminum usque pervenit, & dimissis illic aliis, conscensaque navi oneraria magna in Forum Iulij contendit, ac per id in Germaniam transiit. Ius in ea tum dicebat loco parentis Henricus jam dictus, Friderici ex Constantia Aragonia primogenitus, designatus Cæsar, & ab Engeberto Vbiorum Archiantistite Aquisgrani pro more redimitus: sed quod minorennis esset, ab Imperij Principibus negligebatur. Publicæ igitur pacis & tranquillitatis custode remoto passim in Germania erant inter magnates, tam ecclesiasticos quam seculares simultates, odia & bella; quæ sanguinis effusio, rapinæ & depopulationes frequentes comitabantur. Metuens igitur suæ saluti, patriæque mature consultum volens Fridericus Imperator Comitia Imperij indixit Moguntiæ, veteri & perquam splendida Germaniæ urbe. Accessere ad conventum hunc publicum proceres Imperij cupidissimè, quod sperarent finem aliquando futurum ingentium malorum, quæ ab Imperatoris Friderici Barbarossæ infelici extra patriam obitu continue Rempublicam afflixerant. Erat tempus illud annorum propemodum quadraginta quinque: in quibus neque Henrici ejus nominis sexti gubernatio felix fuit, neque postmodum unquam à bellis civilibus propter dissidentes de electione Principes pax constitui potuit. Elwangense Chronicon, à Cl. Marquardo Frehero editum, memorat Maguntiæ præsentes in Comitiis his fuisse Principes LXXV. Ioan. Trithemius in Chronico Hirsau-

gien-

giensi scribit convenisse ex omni Germania longè maximum Principum, Episcoporum, Comitum ac Nobilium multitudinem, adeoque plus quam duodecim millia hominum nobilium ac militum. Per nobiles autem Principes hic intelliguntur, Comites & Barones: per milites vero equites torquati, quod alibi pluribus docuimus. Initium Comitiorum factum est circa medium Augusti anni MCCXXXV. Imperator ipse non semel trabea indutus coronaque redimitus in publicum processit. Acta in celeberrimo hoc conventu ea qua fieri par erat diligentia consignata non sunt: summatim de illis sic scribit Godefridus Monachus: *Curia celeberrima in adsumptione B. Mariæ apud Maguntiam indicitur, ubi ferè omnibus Principibus regni Teutonici convenientibus pax juratur, vetera jura stabiliuntur, nova statuuntur & Teutonico sermone in membranis scripta omnibus publicantur &c.* Extat autem Reformatio ista Imperij excusa Basileæ sermone Germanico, repetita à CL. Goldasto in Constit. Imperialibus. Principum atque aliorum procerum nomina, etsi multo minus quam acta conventus annotata sunt, ex diversis tamen diplomatis & annalibus aliquem texemus catalogum eorum qui præsentes adfuere, suntque hi sequentes: Sigfridus, ejus nominis tertius, Baro Eppensteinius Moguntinus, Henricus de Molenarck Agrippinensis, Theodoricus Comes à VVeida Treverensis, N. Bisuntinus, VVilbrandus Comes Hallermundius electus Magdeburgensis, Eberhardus Saltzburgensis, Archiepiscopi. Egbertus Dux Meraniæ Bambergensis, Sigfridus Ratisponensis, Henricus nobilis in Than sine Thanec Constantiensis, Sigebodo Baro à Gundelfingen Augustanus, Bertholdus Princeps Teccensis Argentoratensis, Henricus Comes à Thun Basileensis, Conradus nobilis à Risenberg Hildesiensis, Ioannes de Oppia Leodiensis, Georgius Cameracensis, Ludolfus Metensis, N. Tullensis, Godschalcus Monasteriensis, Engelbardus Naumburgensis, Otto Comes Lippiacus Trajectensis, C. Osnaburgensis, N. Pataviensis, Henricus nobilis regulus à Raspenberg Aichstetensis, Conradus nobilis à Than Spirensis, Engelhardus Mersburgensis, Georgius Verdunensis, Conradus Frisingensis, Episcopi. Hermannus à Salza Domus hospitalis S. Mariæ in Ierusalem magister, Conradus à Mükos Fuldensis, N. Murbacensis, N. VVerdinensis,

N. Corbeiensis, Abbates. Otto Dux Bajoariæ Comes Palatinus Rheni, Henricus Dux Brabantiæ, Adelbertus Dux Saxoniæ, Burchardus Dux Carinthiæ, Matthæus Dux Lotharingiæ, Henricus Landgravius Thuringiæ, Comes Palatinus Saxoniæ, Henricus ejus nominis secundus Marchio Misniæ, Hermannus Marchio Badensis, Ioannes & Otto, Alberti filij, Marchiones Brandenburgenses, Henricus Seinensis, Henricus Barensis, Didericus ejus nominis sextus Clivensis, Henricus Anhaldinus, Bertoldus de Catzenellenbogen, Sigismundus Sarbruccensis, Poppo Hennenbergius cum duobus filiis, Henrico & Hermanno, Adolfus Schavvenburgius, Hermannus de Lechsgemunde, Ludovicus Stolbergensis, Bernhardus Lippiensis, Otto Teclenburgius, Otto Ravensburgius, VValramus Nassovius, Ludovicus Oetingensis, Eimicho Leiningensis, Comites. Ex his non pauci adducuntur testes in Diplomate Augustali Imperatoris Friderici, quod mox subjiciemus. Præter istos quos recensuimus Principes ac Dynastas, Comitia hæc Maguntina invisit etiam OTTO, Henrici Leonis ex filio VVilhelmo nepos, reliquiarum, quas ex avi possessionibus in agro Luneburgico restabant, unicus heres: cujus negotia ut propius inspiciantur, rem ab ovo, quod dicitur, repetemus, quæ ita habet.

Henrico Leoni Principi potentissimo iratus Imperator, instigatusque ab æmulis eripuit non tantum beneficia quæ ab Imperio & vicinis Archiepiscopis Episcopis & Abbatibus tenebat, verum etiam allodialia bona admodum multa, quod disertim & expresse indicat Auctor Chronici Rhithmici, cujus verba citavimus in Notis ad Gerhardi Præpositi Stederburgij Historiam de Henrico Leone. Fuere autem ista, quæ innno, allodialia bona in veteri Saxonia, ultra Visurgim, Hassiam & Rhenum versus, & ad ripam illius utramq;. Eas à majoribus Leonis possessas nemo inficiatur. Qui Princeps, ut gratiam Henrici Sexti impetraret, necesse habuit exuvias istas hostibus relinquere, & patrimonio reliquo, terra videlicet Brunsvicensi & Luneburgensi, quæque ad eas pertinebant, contentus esse. Hoc patrimonium ab obitu Leonis, filij ejus, Henricus Comes Palatinus Rheni, Otto quartus Romanorum Rex, & VVilhelmus unanimi primum consensu & consilio indivisum gubernarunt. Ex intervallo vero, divisione inter ipsos facta,

cta, Stada & quæ Bremam versus sita erant, Henrico Palatino cessere: Ottoni Cæsari Brunsviga, VVilhelmo Luneburgum cum territoriis eorundem obvenere. Henricus Palatinus, quum diem suum obiisset Otto Cæsar improlis, etiam Brunsuicensem ditionem gubernandam accepit. Eam postquam per annos novem rexisset, filiumque, quem unicum habebat, sepeliisset, obiit Brunsuigæ anno MCCXXVII, relictis ex priore conjuge Agneta, Conradi Comitis Palatini filia, duabus filiabus, quarum natu major Agnes nupserat Ottoni Duci Bajoariæ, Gertrudis data erat in matrimonium Henrico Marchioni Badensi. Hi duo Principes, Henrici Palatini generi, jus suum omne, quod in territorium Brunsuicense habere se putabant, Friderico secundo, jamdudum Saxoniæ inhianti, pro certa neque admodum magna pecuniæ summa vendiderunt. Trithemius quidem, loco adducto, affirmat Bavarum ab Henrico Palatino loco dotis accepisse Palatinatum Rhenensem; Badensi cessisse in dotem quicquid in Saxonia socer habuerat: & ab hoc Brunsuigam Cæsari divenditam. Verum hanc sententiam, cum nullos assertores alios habeat, præterea diplomati Cæsario adversetur, in quo nulla dotium, aut terrarum per dotem receptionis fit mentio, merito repudiamus. Erant autem Brunsuiga, & Luneburgum, Cellæ aliæque urbes, opida & arces, quas Henricus Leo post indignam superiorum annorum calamitatem ad posteros transmisit, bona allodialia, sive ut Crancius loquitur peculium, quod ad fœminas etiam transire poterat. Otto autem VVilhelmi filius, Leonis nepos, territorij Luneburgensis Dynasta, Henrici Palatini ex fratre nepos, cum de jam dicta venditione edoctus esset, se suaque familia indignum putavit, si progenitorum suorum bona, optimo jure ad se devoluta, ab exteris pateretur occupari detinerique. Habito itaque consilio cum Principibus consanguineis & affinibus, inter quos primum locum tenebant Ioannes & Otto, Alberti filij, Marchiones Brandenburgici, (nam horum soror germana Mechtildis in matrimonio Ottonis vivebat,) de urbe recuperanda deque præsidio à Cæsare imposito excludendo, serio cogitabat. Inviti autem parebant cives extraneis, quorum & fastum intolerabilem & mores peregrinos ut aversabantur, ita veris heredibus ex animo stude-

bant. Coëgerat Otto circiter bis mille equites & peditum cohortes aliquot, quibus stipatus accessit ad urbem, positisque castris ad Riddageshusium, religiosorum hominum domicilium, per internuncios cum civibus egit, ne, si quid per vim tentaretur, ipsi arma sumerent: venire se patriæ pacificum, hostem saltim, quem sibi amplius ferre non possit, è peculio suo profligaturum. Non ignorabant cives urbem ab Ottonis majoribus conditam, auctam, munitam, sacrorum hominum collegiis ornatam: cujus aviti beneficij si hoc tempore immemores reperirentur, apud omnem posteritatem ipsis ingratitudinem illam opprobrio & dedecori futuram secum prudenter reputabant. Quiescentes igitur ab armis Principem cum suis muros transcendentem, portisque vi apertis, impune & libere per totam urbem vagari passi sunt. Cæsariani milites hostem quidem repellere conati, sed quod à civibus se deseri animadverterent, partique adversæ longe essent impares, pluribus interfectis, superstites fuga salutem sibi quæsiverunt. Sic arx Tanquarderoda, una cum urbe Brunsviga, totoque territorio, vero & legitimo heredi restituta fuit. Ab eo tempore liberalitate Ottonis cœpit urbs multis privilegiis, nondum tamen libertate gaudere, qua caruit usque ad tempora Ottonis Strenui, Ioannis Ducis Luneburgensis F. qui primùm anno MCCCXIV. cives à servitute, quæ tum temporis in hisce regionibus nondum obsoleverat, emancipatos, liberos scripsit. Imperator interim Fridericus, qui Brunsuigam, ut diximus, precio sibi compararat, ut urbe plene potiretur, filium primogenitum Henricum, nuper Cæsarem designatum, in Saxoniam amandavit, ut possessionem urbis & territorij apprehenderet. Eum deducebat Otto Bavarus, suo & Henrici Badensis nomine urbem traditurus. Sed cum de stratagemate Saxonis inaudivissent, neque contra quid moliri auderent, inglorij domum redierunt. Acta hæc sunt anno MCCXXVII, ut plerique scriptorum consentiunt: eratque tum Otto annorum circiter viginti trium. Ab occupata Brunsuiga Otto nominavit se *Dominum Brunsvigæ*; quo nomine etiam appellatur ab Alberto Stadensi; cum antea semper dictus fuisset *Otto de Luneburg*. Cæterum hanc felicitatem excepit ingens infortunium, quod pene Ottonem patrimonio recupera-

to evertisset. Gerebat sub istud tempus bellum VValdematus secundus ejus nominis, Daniæ Rex, contra Gerhardum Archiepiscopum Bremensem, Albertum Ducem Saxoniæ, Adolfum Schavvenburgium & Henricum Suerinensem Comites, cum quibus faciebant Dynastæ vicini Slavorum, & Lubeca atque Hamburgum urbes maritimæ. Regi Daniæ avunculo opem ferebat Otto Brunsuigius, potentior nunc multo quam nuper. Præliatum est eodem quem dixi anno, mense Iulio, die Mariæ Magdalenæ: qui post adeptam victoriam Lubecensibus deinceps sacer esse cœpit. Rex mature fuga sibi consuluit: Otto cum diu fortiter pugnasset, equo excussus, ab Henrico Comite Suerinensi interceptus est. Quam diu egerit in custodia, non constat. Chronicon Saxonicum rithmis conscriptum meminit per triennium fuisse detentum: à quo ita recedit Albertus Stadensis, ut proximo à captivitate anno dicat dimissum, sed non nisi iniquis conditionibus. Nam Alberto Saxoniæ Duci cedere coactus est arcem Hiddesacker. De loco isto & unde appellatio, nempe ab Hiddone Frisio, videatur Cornelius Kempius Hist. Fris. lib. III. cap. VI. Agente in custodia Ottone, adversarij ejus novis molitionibus ipsum aggressi sunt. Etenim Ministeriales, sive Equestrem ordinem, agrum Brunsuicensem inhabitantem, nescio quibus promissionibus vel spebus impletos, ad rebellionem impulerunt. Architecti fuernnt Albertus Magdeburgicus & Fridericus Halberstadensis Antistites: instigati ad hoc, ut omnibus persuasum erat, ab Imperatoris Friderici filio Henrico, quem diximus. Plurimum infestabant maleferiati isti vicini cives Brunsuicenses, adeo ut importationem annonæ prohiberent, commerciorumque usum plane ipsis adimerent. Præclare tum meriti sunt de Ottone Ioannes & Otto Marchiones Brandenburgici. Nam contracta ex suis equitum peditumque manu non contemnenda, urbem ingressi, eamque contra hostes fortiter & solerter tutati sunt: donec ex vinculis Otto redauspicaretur, & salvus incolumisque ad suos rediret. Qui rebelles istos statim aggressus, injuriam acceptam probe ultus est, quibusdam vita, plurimis possessionibus exutis. Neque destiterunt fratres Marchiones infestare Episcopos, quos dixi, injurias etiam suas vindicantes. Ab hoc vero tempore usque ad an-

num MCCXXXV, tenuit Otto quiete & pacifice omnem paternam hereditatem, litem subinde movens Antistiti Bremensi de territorio Stadensi, quod acquirere tamen non valuit. Etiamsi autem interea temporis tàm Pontifex Romanus Gregorius, Imperatori infensissimus, per Cardinalem Ottonem de Carcere Tulliano, quàm Henricus Cæsar designatus patri rebellis, non desisterent instigare & impellere Ottonem, ut aliquid contra Imperatorem moliretur, adduci tamen non potuit, ut quicquam se indignum animo conciperet. Accidit autem jam dicto anno, ut Imperator ex Apulia transiret in Germaniam & Comitia, de quibus ab initio dicere cœpimus, indiceret Maguntiam, sub medium Augusti celebranda: eoque vocaret singulos & universos, tàm Ecclesiasticos quam Politicos Principes, Comites, Barones ac milites, quotquot Imperium Romanum id temporis adhuc agnoscebant, quorum catalogum quendam jam contexuimus. Inter Principes hos permulti erant, qui Ottoni Brunsuicensi bene cuperent, quique fomites discordiarum inter Principes Saxonicos plane sublatos vellent. Neque abhorrebat à pace Imperator, quem tam Pontificis Romani furiæ, quam filij inobedientis molitiones solicitum habebant. Admonitus itaque tempestive Otto, ad Comitia accessit, ibique ad genua Imperatoris procumbens, & si quam imprudenter incurrisset offensam, modeste & humiliter deprecatus, omnes possessiones suas hereditarias & allodiales Cæsari & Imperio resignavit. Placuit submissio permovitque Ordines ut conjunctim apud Cæsarem intercederent. Summa consilij fuit, ut Cæsar generosissimi sanguinis Principem satis superque hactenus sinistra fortuna usum tranquillitati tandem & quieti redderet, illustrique aliquo beneficio affectum sibi totique Imperio arctius obligaret. Non dissensit Cæsar, morem potius bene monentibus gessit, deque suo jure decedens, omnia quæ isto tempore possidebat Otto, in unum coagmentata, novo Ducatus titulo insignivit, ipsumque Ottonem, postquam fidelitatem Cæsari & Imperio jurasset, in subsellia Principum collocatum, Ducem Brunsuicensem deinceps appellari mandavit. Accidit id die XXI. Augusti, in vespera D. Timothei, cùm Otto annorum esset triginta unius. Subsequutus mox est applausus omnium qui investitu-

ctæ huic interfuere, & acclamatum feliciter, literæque feudales, quas vocant, desuper confectæ, omniaque in acta publica sunt relata. Literas eas, quas nactus sum, bona fide ad verbum in rei gestæ memoriam hic apponam.

LITERAE FEVDALES

Seu

INVESTITVRÆ FRIDERICI SECVNDI Roman. Imper.

datæ

OTTONI DE LVNEBVRG, Super erectione Ducatus Brunsuicensis.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. FRIDERICVS SECVNDVS, divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Ierusalem & Siciliæ Rex. Gloriosus in majestate sua dominantium Dominus, qui regna constituit & firmavit imperium: de cujus clementia vivimus, de cujus & munere est, quod feliciter imperamus; ad hoc nos supra reges & regna præposuit, & in Imperiali solio sublimavit, ut nobis factori nostro gratitudine devota subjectis, pacem & justitiam moderamina nostra contineant, & qui sumus præ filiis hominum ab eo, qui præeminet orbi terræ, sublimius exaltati, viros dignos honoribus & non immeritos ad solicitudinis partem admitti liberaliter ad decus & decorem Imperij nominis & honoris titulo decoremus. Hinc est ergo quod per præsens scriptum noverit præsens ætas & futura posteritas, quod cum propositi nostri foret, ut dilectum Consanguineum nostrum *Ottonem de Luneborg* ad fidem Imperij & devotionem nostram efficeremus arctius obligatum, nec loci vel temporis oportunitas affuisset, quo conceptam erga eum intentionem nostram prosequi nos deceret. Contingente

gente caussa nostri felicissimi adventus in Alemanniam & pro reformatione totius terræ status indicta Maguntiæ curia generali, dictus Otto ad eandem Curiam vocatus accessit: in qua dum assidentibus nobis Principibus nostra Serenitas resideret, de reformando terræ statu disponens, nominatus Otto de Luneborg flexis genibus coram nobis, omni odio & rancore postpositis, quæ inter proavos nostros existere potuerunt, se totum in manibus nostris exposuit, nostris stare beneplacitis & mandatis, & insuper proprium castrum suum Luneborg, quod idiomate Teutonico vocatur Eygen/ cum multis aliis castris, terris & hominibus eidem castro pertinentibus in nostram proprietatem & dominium specialiter assignavit, ut de eo quicquid nobis placeret tanquam de nostro proprio faceremus. Nos autem, qui tenemur modis omnibus Imperium augmentare, prædictum castrum Luneborg, cum omnibus castris, pertinentiis & hominibus suis, quemadmodum ex ejusdem Ottonis assignatione in proprietatem accepimus in præsentia Principum in Imperium transtulimus, & concessimus ut per Imperium infeodari debeat. Civitatem insuper de Brunsuic, cujus medietatem proprietatis dominij à Marchione de Baden, & reliquam medietatem à Duce Bavariæ, dilectis Principibus nostris emimus, pro parte uxorum suarum, quæ fuerunt filiæ Henrici de Brunesuic, Comitis Palatini Rheni, patrui dicti Ottonis, similiter in eadem Curia Imperio concessimus, proprietatem nobis debitam in dominium Imperij transferentes. Præterea Ottone in ipsa generali Curia in manibus nostris connexis palmis super sancta Cruce Imperij, quæ ibidem tenebatur, præstante juramentum, nos attendentes quam pura fide, sincera & prona devotione se totum mandato nostro & voluntati commisit, & in proprietatem nostram concessit proprie proprium Castrum suum, de quo nemini tenebatur, & humiliavit se omnibus modis coram nobis: considerantes insuper, quod nunquam per eum fuerit offensum Imperium, & nec contra honorem nostrum ad suggestionem alicujus voluerit inveniri, dignum & utile vidimus circa statum & augmentum ipsius Imperiali munificentia providere. Quapropter cum consilio, assensu & assistentia Principum *civitatem Brunsvic & castrum Luneborg*, cum omnibus castris, homini-

minibus & pertinentiis suis univimus & creavimus inde Ducatum, & Imperiali auctoritate dictum consanguineum nostrum *Ottonem Ducem & Principem* facientes, Ducatum ipsum *in feudum Imperij* ei concessimus *ad heredes suos, filios & filias hereditariè devolvendum*, & eum solenniter juxta consuetudinem investivimus per vexilla, de affluentiore gratia concedentes eidem *decimas Goslariæ* Imperio pertinentes. Ad hujus itaque concessionis memoriam, & robur perpetuo valiturum, præsens privilegium fieri & bulla aurea, typario nostræ majestatis impressa jussimus communiri. Hujus autem rei testes sunt S. Maguntinus, H. Coloniensis, E. Saltzburgensis, T. Treverensis, N. Bisuntinus, Archiepiscopi: VV. Magdeburgensis electus, E. Papenbergensis, S. Ratisponensis, Imperialis aulæ Cancellarius, H. Constantiensis, S. Augustensis, B. Argentinus, H. Basileensis, C. Hildesiensis, I. Leodiensis, G. Cameracensis, I. Metensis, N. Tullensis, G. Monasteriensis, E. Nuenburgensis, O. Trajectensis, C. Osenburgensis, L. Passaviensis, H. Eistedensis, C. Spirensis, E. Merseburgensis, G. Verdinensis, & C. Frisingensis, Episcopi: Frater Hospitalis S. Mariæ Teutonicorum in Ierusalem Magister, Marbacensis, Augensis & Elvvacensis, Abbates: Otto Dux Bavariæ Comes Palatinus Rheni, H. Dux Brabantiæ, A. Dux Saxoniæ, B. Dux Carinthiæ, M. Dux Lotharingiæ, H. Landgravius Thuringiæ Palatinus Comes Saxoniæ, H. Marchio Misnensis, H. Marchio de Baden, I. & O. Marchiones de Brandenborg, H. Comes Seinensis, H. Comes Barensis, D. Comes Clevensis, H. Comes Anhaldinus, & alij quam plures.

Signum Domini Dei gratia invi- rum Imperato- sti, Ierusalem &	Locus sigilli Impera- torij.	Friderici Secundi ctissimi Romano- ris semper Augu- Siciliæ Regis.

Ego Sigfridus Ratisponensis Episcopus, aulæ Imperatoris Cancellarius, vice Domini Maguntini Archiepiscopi totius Germaniæ Cancellarij, recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quin-

to, mense Augusto, octavæ Indictionis, imperante Domino nostro Friderico Dei gratia, serenissimo Romanorum Imperatore, semper Augusto, Ierusalem & Siciliæ rege, Anno Imperij ejus sexto decimo, regni vero Siciliæ tricesimo octavo, feliciter Amen. Datum Maguntiæ, anno, mense, Indict. præscriptis.
Diplomati huic subjungo Denunciationem ejusdem Friderici Augusti, qua Ministerialibus Ducis Ottonis infeudationem factam denunciat, & ut homagium & obedientiam ipsi præstent, mandat.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Siciliæ Rex, universis Ministerialibus infra Comitatum Staden constitutis & ad dominium de Brunsvic attinentibus, fidelibus suis, gratiam suam & omne bonum. Credimus ad vestram audientiam pervenisse, qualiter de consilio Principum dilectorum OTTONEM DE LUNEBORG, dilectum nostrum, in Principem creavimus, concedentes ei de gratia speciali Ducatum de Brunsuic cum omnibus justitiis & rationibus attinentibus ad dominium civitatis ipsius de Brunsuic. Quare fidelitati vestræ præcipiendo mandamus, quatenus eidem Duci, dilecto Principi nostro attendatis & obediatis de cætero, tanquam Domino vestro, sibi fidelitatis juramentum secundum consuetudinem Imperij exhibentes, ut ex fidelitate & devotione, quam erga eum habebitis de cætero melius commendari possitis, & tam ipsum Ducem, quam Excellentiam nostram, ad grata vobis præmia conferenda pro meritis inducatis. Datum Augustæ, ult. Oct. Indict. VIIII. Anno MCCXXXV.

Atque hæc erectio Ducatus Brunsuicensis & Luneburgensis fuit, hæc caussa, hæc occasio, hæc investitura. Vt vero porro curioso Lectori gratificer, operæ pretium me facturum putavi, si alias aliorum Ducatuum erectiones in exemplum adducerem & tecum communicarem. Subjungo igitur, quas ad manus nunc habeo *Erectionem Principatus Hennenbergensis* anno MCCCX. ab Henrico VII. Imp. & *Sublimationem Castruccij de Altelminellis in Ducem Lucæ*, à Ludovico Imp. anno MCCCXXIIX. factam: *Ducatus* item *Lucemburgici erectionem* à Carolo IV. ad annum MCCCLIV. & *Ducatus Holsatiæ* à Friderico III, anno MCCCCLXXIV. celebratam. Tu Lector istis fruere & laboribus nostris fave.

DI-

DIPLOMA ERECTIONIS PRINCIPATUS HENNENBERGENSIS.

HENRICUS Dei gratia sacri Romani Imperij Rex, semper Augustus, universis Imperij fidelibus in perpetuum. Tanto laudabilius Imperiale sceptrum extollitur, de cujus throni fulgore, veluti ex Solis radio, prodeunt dignitates, tantoque Princeps in commissi regiminis solicitudinibus plus relevatur, quanto tribunal ipsius personas in circuitu circumspicit digniores. Hac igitur consideratione moniti, qui cælesti providentia Romani moderamur habenas Imperij, solij nostri decus novis libenter honoribus ampliantes, ad personam spectabilis viri, BERTHOLDI COMITIS DE HENNENBERO, fidelis nostri carissimi, pro quo non solum devotionis & fidei puritas, & servitij gratitudo multiplicis, sed etiam magni nobilitas generis & alti providentia consilij intercedunt favorabiliter, convertimus faciem mentis nostræ, ac ejus votivis supplicationibus inclinati, ad augmentum sacri Imperij honoris, de Principum nostrorum consilio, conferimus eidem Bertholdo, ac suis hæredibus omnia jura Principum, tam in ingressu quam egressu ad Imperialem deliberationem, in sententiis conveniendis, dictandis, pronunciandis, in jure civili & plebiscito, quod vulgo dicitur Landrecht. Et specialiter ipsi Bertholdo, & liberis suis, nec non hominibus eorundem, hanc de liberalitate regia duximus libertatem & gratiam faciendam, quod ipse Comes & liberi sui debeant jure & more aliorum Principum nostrorum & Imperij coruscare, & homines suos jure aliorum Principum congaudere, sic quod ipse Comes & sui liberi non alibi, quam ubi alij Principes Imperij & homines eorum conveniuntur, valeant conveniri: ac ipsum Comitem Bertholdum & suos liberos jure aliorum nostrorum Principum, nec non homines eorundem hominibus aliorum Principum nostrorum, tam in parando & stando jure, quam aliis libertatibus & juribus per omnia adæquandos. Mandamus igitur, & sub obtentu gratiæ nostræ districte præcipimus, ne quis eos de cætero contra hanc nostram concessionem, libertatem & gratiam impedire vel

molestare præsumat, quod qui præsumserit, Imperialis sublimitatis offensam se noverit graviter incursurum. In cujus rei testimonium & robur perpetuo valiturum, præsens privilegium conscribi, & nostræ majestatis sigillo jussimus communiri. Datum apud Franckenfurt 8. Kal. Augusti. Indict. 8. Anno Domini millesimo trecentesimo decimo, regni vero nostri secundo.

DIPLOMA ERECTIONIS DVCATVS LVCENSIS.

LVdovicus Dei gratia, Romanorum Imperator semper Augustus, illustri Castruccio de Altelminellis, Duci Lucano, Comiti sacri Lateranensis Palatij, & vexillifero Imperij, suo & Imperij fideli dilecto, gratiam suam & omne bonum. Principalis liberalitatis clementia, in suis fidelibus dona multiplicans, illis præcipue consuevit assurgere larga manu, qui per pugnam continuam in rebelles pro exaltatione Coronæ singulares triumphos & nomen laudabile sunt sortiti. Sane cum veraciter sciamus, experientia nobis dictante magistra, Te præcipuum & strenuum in partibus Italiæ pro sacro Imperio pugilem extitisse, nulli parcendo oneri vel labori, ac justitia tua ac animi probitate victos de hostibus devotos pro Imperio tenuisse, & devios infideles ad fidem gratiosis meritis invitasse; tantoque magis Imperiale sceptrum extollitur, tanto cura regiminis à solicitudinibus & laboribus relevatur, quanto fideles in circuitu Imperij circumspicit digniores, & de fulgore throni Cæsarei, velut ex Sole radij, sic cæteræ prodeunt dignitates, ut primæ lucis integritas minorati luminis non sentiat detrimentum. Hac igitur consideratione commoniti, qui cælesti providentia Romani Imperij moderamur habenas, ac solij nostri decus tam veterum dignitatum ornatibus confovemus, quam novis honoribus ampliamus: volentes præmissorum obtentu extollere nomen tuum, & Te prærogativa speciali magnifice honorare, de plenitudine potestatis, & de certa scientia, & de consilio nostrorum Principum & Baronum, civitatis Lucæ, Pistorij, Volaterrarum & Lunæ, cum omnibus & singulis castris, vil-

lis & locis sitis in diœcesibus ipsarum, & cum omnibus earum & cujusque earum pertinentiis, territoriis & jurisdictionibus quibuscunque, ad jus, honorem & nomen Ducatus pertinentibus, transferentes & volentes, uno dignitatis vocabulo contineri Ducatus Lucani: Te pro te, & successoribus tuis, & ex te per lineam masculinam natis & nascituris in perpetuum istius Ducatus Ducem, & vexilliferum nostrum & sacri Romani Imperij ubilibet, de præmissæ nostræ potestatis plenitudine, & principali munificentia promovemus; eisdem libertatibus, immunitatibus & juribus prædictum Ducatum tuum præsentium auctoritate donantes, quæ Ducalem deceant dignitatem, præfatasque civitates, & quamlibet earum, & omnes terras, castra, territoria atque loca, quæ in diœcesibus, seu episcopatibus & territoriis, & pertinentiarum ipsarum civitatum, seu cujuslibet earum, seu intra confines diœcesium, episcopatuum, pertinentiarum & territoriorum præfatarum civitatum & cujuslibet earum sitæ sunt, seu sita, in perpetuum tibi & legitimis successoribus tuis, ex te descendentibus, natis & nascituris per lineam masculinam, ex certa scientia damus, concedimus & donamus: cum omnibus & singulis villis, castris, terris, fortalitiis, casalibus, vasallis, hominibus, possessionibus, honoribus, usibus, derittis, domaniis, feudis, homagiis, patronatibus vacantium & non vacantium ecclesiarum & locorum, ad nos & sacrum Romanum Imperium spectantibus seu pertinentibus, & cum terris cultis & incultis, silvis, pascuis, nemoribus, salinis, balneis, stagnis, lacubus atque quibuscunque aquis & aquarum decursibus, molendinis, piscariis, piscationibus, venationibus, montibus, planis, vallibus, & omnibus & singulis locis, juribus & pertinentiis tam maris quam terræ præfatarum civitatum, terrarum & locorū & cujuslibet ipsarum & ipsorum existentium intra prædictas diœceses confines & loca, quæ in hujusmodi nostra concessione & donatione sub speciali aut generali vocabulo possunt intelligi sive comprehendi, & quæ ad Romanum Imperium spectare noscuntur. Et sic Te & successores tuos prædictos in Ducem & Duces prædicti Ducatus cum dignitate illustri eligimus, constituimus, præficimus & creamus, dantes & concedentes tibi & successoribus tuis prædictis in præmisso Ducatu plenissimam

 juris-

jurisdictionem, & liberam auctoritatem & potestatem juris dicendi per Te & per alios, ac etiam merum & mixtum imperium, ut exercere valeas & valeant ad animadvertendum in facinorosos & malos: & ut ipsius Ducatus dignitate Te & præfatos tuos successores cognoscas amplius & favorabilius ab Imperiali eminentia sublimari, tibi & successoribus tuis prædictis ex ipsa dignitate Ducatus perpetuo decrevit competere nostra Serenitas, auctoritatem & potestatem creandi & ordinandi perpetuo & ad tempus (prout vobis placuerit) in singulis civitatibus, castris, opidis, villis, terris dicti Ducatus, vicarios, capitaneos, potestates, judices, seu rectores, & quoslibet ordinarios magistratus, vel etiam delegatos, & quoscunq; honores & dignitates, atq; honorum & dignitatum officia, cum auctoritate & potestate juris dicendi & mero & mixto imperio, statuta municipalia condendi, juri divino & naturali non contraria, prout utilitati & pacifico statui expedire videritis subjectorum. Adhæc quoque in prædicto tuo Ducatu flumina navigabilia, & ex quibus navigabiles fuerint portus, plageas (sicut & nunc dinosceris possidere) ripas & ripatica, nec non vectigalia, telonia auri & argenti & metallorum omnium quæstum, nunc nobis & Imperio pertinentes, tibi tuisque successoribus memoratis concedimus & donamus. Ac monetæ tam auri & argenti, quam æris cudendæ, justi & recti ponderis, in ipso tuo Ducatu tibi prædictisque tuis successoribus præsenti privilegio facultatem liberam indulgemus: & feuda antiqua & nova, & recta, & regalia conferendi & infeudandi vasallos Imperij de feudis, quæ vel manu vel ore, aut quocunque alio modo fuerint conferenda: & recipiendum à vasallis Imperij fidelitatis & homagij sacramenta, & mulctarum seu pœnarum compendia & confiscationes bonorum, & cætera quæ dicuntur regalia, in ipso Ducatu, ad tuum & prædictorum tuorum successorum compendium volumus pertinere. Milites quoque in dicto Ducatu & extra constituendi, & militari cingulo decorandi, & judices ordinarios & Notarios publicos creandi & ordinandi ac conficiendi: filios & filias naturales, tam spurios quam vulgo quæsitos ex damnabili coitu natos, legitimandi & cum ipsis super natalium defectu, & alio quolibet, dispensandi, tibi & ipsis auctoritatem plenariam indulgemus. Ut

tamen

tamen pro honore, quem tibi libenter adjicimus, nullum jus subtrahatur obedientibus vel obedituris nobis in Imperio, in eorum bonis, feudis, jura tamen Imperij remaneant Ducatui supradicto. Volumus insuper, quod in præmissis Ducatu & Vexilliferatu, semper major natu, seu senior ex generatione tua, ex te & successoribus tuis legitime descendentibus, exclusis aliis filiis seu hæredibus minoribus, solus & in totum succedat. Et propter præmissa omnia, Te pro te ipso, & prædictis successoribus tuis, nobis pro nobis ipsis, successoribusque nostris homagium & debitæ fidelitatis juramentum præstantem, de præmissis Ducatu & Vexilliferatu, per sceptrum, (quod in manu tenemus) præsentialiter investimus & infeudamus. Porro omnia & singula supradicta valere & tenere volumus & firmamus, non obstante aliqua lege, consuetudine, aut jure, quibus contrarium caveretur, quibus omnibus & singulis specialiter & expresse, tanquam nominatim de illis in præsenti privilegio fieret mentio, intendimus ut esse debeat derogatum, & potissime juri & consuetudini, quo & cavetur, seu cautum diceretur, quòd hæres in Ducatu, Comitatu vel Marchia, nullo modo succedat, nisi ab Imperatore acquisierit per investituram quantum ad casum præsentem, in aliis vero casibus in suo robore semper durent. Volumus tamen, quod tu & successores tui à nobis & successoribus nostris & sacro Romano Imperio, requisitus & requisiti, perpetuo tenearis & teneantur plenam & liberam obedientiam facere, & in omnibus nostris mandatis, successorumque nostrorum & sacri Romani Imperij, intendere & parere, & omnia nostra mandata observare, & efficaciter implere, juxta posse, & executioni mandare. Meminit quoque nostra Serenitas, de prædictis, ante nostæ coronationis solemnia, tibi & prædictis successoribus tuis privilegium simile indulsisse: quæ, & omnia in ipso contenta, ex certa scientia, & de potestatis plenitudine, ac de consilio & assensu procerum & baronum Imperialis aulæ, ratificamus, approbamus & confirmamus. Statuimus etiã & mandamus, quatenus nulla civitas, nulla communitas, & generaliter nulla persona, cujuscunq; conditionis seu status & præeminentiæ existat, huic nostræ paginæ audeat in aliquo contrafacere vel venire, seu Te, aut prædictos tuos successores in aliquo molestare, de his quæ supra tibi

& eis

& eis à nostra clementia liberaliter sunt collata. Si quis vero temerario ausu præsumpserit contravenire, mille marcarum auri pœnam incurrat, pro dimidia Cameræ nostræ persolvendam, & pro alia dimidia Cameræ dicti Ducatus & vexilliferatus, in quorum præjudicium aliquando fuerit attentatum. Quibus omnibus & singulis supradictis testes fuerunt infra scripti, videlicet Rudolfus Dux Bavariæ, Princeps & patruus noster carissimus, venerabilis Iacobus Episcopus Castellanus, venerabilis frater Bonifacius Episcopus Chironensis, Hermannus de Lithtelberg, Cancellarius noster, Henricus Dux Brunsuicensis, Ludovicus Dux de Tech, Albertus de Lithelberg Mareschalcus noster, Henricus Landgravius Alsatiæ, Fridericus de Nurenberg, Manchardus Comes de Horteneburg, Otto Comes de Truhendingen, Iohannes Comes de Claramonte, nec non nobiles viri, Iacobus Sciara de Columna, Iacobus de Sabellis, Senatores urbis, Manfredus de Vito, almæ urbis præfectus, Thebaldus de Sancto Constacchio. Et ad prædictorum omnium testimonium & corroborationem, præsentes conscribi, & sigilli Majestatis nostræ robore jussimus communiri. Datum Romæ apud S. Petrum, XV. die mensis Febr. Indictione XI. anno Dominicæ incarnationis MCCCXXIIX. Regni nostri XIV. Imperij primo.

DIPLOMA ERECTIONIS DVCATVS LVCEMBVRGENSIS.

Karolus, D. G. Romanorum Imperator semper Augustus ac Rex Bohemiæ, illustri Duci VVenceslao, gratiam. Sceptrigera Cæsareæ dignitatis sublimitas, sicut in inferioribus potestatibus & auctoritatibus elatione præfertur, ut commissos sibi fideles optimè gubernet consolationis præsidio, quod thronus regius tanto solidetur felicius, & uberiore prosperitate perficiatur, quanto indeficienter suæ virtutis donario largioris benignitatis munere subditur in sibi subjectos: sic à coruscante splendore regalis solij nobiliter ille velut à sole radij prodeuntes fidelium status & conditiones illustrant, & primæ lucis integritas inviolati lumi-

luminis detrimenta non patitur, immo amplioris utique scintillantis jubaris exspectato decore perfunditur, dum in circuitu Sedis augustæ illustrium Principum numerus ad Imperij sacri decorem feliciter adaugetur. Sane attendentes multiplicia merita probitatis, & præclaræ devotionis insignia, quibus Tu, & præclaræ memoriæ progenitores tui domus Lucemburgensis, sacrum Romanum Imperium dignis quidem studuisti honoribus venerari, illum etiam fervidum tuæ mentis amorem, quo ad Imperij procurandos honores inclinaris attentiùs, animo deliberato, sacro etiam venerabilium Episcoporum, & illustrium aliorum baronum & procerum Imperij prædicti accedente consilio, Te, frater carissime, VVenceslae, non carnalitatis affectu, sed originis tuæ nobilitate poscente præfati, cum hæc latitudo tui dominij & ampla subjectæ tibi ditionis spatia, & intemerata fides tuæ universitatis & populi, quo vetusto jam tempore sacrum honorarunt Imperium, non immerito requirebat, hodie in nomine Domini & Salvatoris nostri, à quo omnis principatus & honor provenire cognoscitur, illustravimus & illustramus, & in verum Principem & Ducem sublimavimus, ereximus, decoravimus & erigimus, Romanæ regiæ solemnitudine potestatis, libertatis: decernentes expressè, quod Tu, hæredes & successores tui, Ducis perpetuò omni dignitate, nobilitate, jure, potestate, libertate, honore & consuetudine gaudere debeatis & frui continuò, quibus alij sacri Imperij Principes & nominati Duces illustres freti sunt hactenus, & cottidie potiuntur, terrasque tuas, opida, castra, munitiones, villas, provincias, districtus, montes, colles & plana, cum omnibus silvis, rubetis, aquis, aquarum decursibus, pascuis, piscinis, piscaturis, molendinis, Iudæis, monetis, judiciis, bannis sive inhibitionibus, venationum quæ vulgo Wildbenne nominant, & pœnis inde sequentibus, consuetudine vel jure, baronibus, baroniis, feudis, feudatis, vasallis, vasallagiis, militibus, clientibus, judicibus, civibus, nobilibus & plebeis, rusticis, agricolis, pauperibus & divitibus eorum pertinentiis, sicut prædicta & quælibet earum latitudo dominij tui comprehendit, in verum Principatum & Ducatum scilicet ereximus & erigimus, insignimus, ac de prædictæ regiæ potestatis plenitudine decoramus, tibi illustri videlicet prædicto Ducatum

five Principatum hujusmodi, cum omnibus honoribus, juribus, privilegiis & immunitatibus, quemadmodum Ducatus five Principatus insignes ab illustribus sacrosancti Romani Imperij possidentur vel tenentur, vel possideri consueverunt hactenus, & in quantum à sacro Romano Imperio in feudum dependent, de benignitate regia conferentes. Decrevimus etiam, & hac edictali constitutione sancimus, quod Tu, hæredes & successores tui, perpetuò Duces nominari & appellari debeatis inantea, & tanquam cæteri Imperij sacri Duces & Principes teneri & honorari, & ubicumque ab omnibus reputari, omnique jure, privilegio, honore, gratia & dignitate & immunitate absque impedimento perfrui, quibus alij sacrosancti Romani Imperij Duces & Principes in dandis sive recipiendis juribus & conferendis, seu suscipiendis feudis, & omnibus aliis illustrem statum & conditionem Ducum seu Principum tenentibus, freti sunt hactenus, seu quomodolibet potiuntur. Et ut Ducatus seu Principatus solito firmamento & tanto se Romano Imperio magis obligatum consentiat, quanto ampliori fuerit regiæ liberalitatis munere decoratus, Te, hæredes & successores tuos, Duces scilicet, perpetuò infra scripto claro quidem officio gratiosius insignimus, ut quoties ad successores nostros Romanos Imperatores sive Reges, ad reprimendam rebellium nostrorum superbiam, nostros seu Imperij procurandos honores, armatos contigit incedere, Tu, hæredes aut successores tui, Duces scilicet, qui pro tempore fuerint, frenum Imperialis, seu Regalis dextrarij nostri à latere dextro gubernare & prospicere debita fidei diligentia debeatis, & in recubitu mensæ nostræ cibos regios, qui in solemnibus curiis nostris administrati fuerint, coram nobis incedere, ut sic tanquam principes & fideles Imperij guerrarum & pacis in tempore nostri curam & custodiam habeatis. Et quia Tu, carissime frater, tanquam Dux, scilicet sacri Imperij vasallus & princeps, dum eundem tuum Principatum seu Ducatum à regia majestate in feudum susciperes, nobis velut Romanorum regi & vero tuo Domino, fidelitatis, obedientiæ & subjectionis debita juramenta solita præstitisti, quodque in Principatu seu Ducatu tuo prædicto pacem & justitiam omnibus & singulis, æque pauperibus & divitibus procurare velis & debeas, efficaci-

ter

ter &: fideliter juxta posse, decernimus, & hoc regali edicto duximus perpetuo statuendum, quod Tu, hæredes & successores tui, Duces scilicet, Ducatum & Principatum scilicet prædictum, cum omnibus suis pertinentiis, sicut expressatur superius, à nobis, nec non à sacratissimis Imperatoribus seu Regibus Romanis, successoribus nostris, & ab ipso Romano Imperio, quoties oportunum fuerit, debito solemnitatis honore cum vexillis, ut moris est, & solita reverentia suscipere debeatis; nobisque ac eisdem nostris successoribus, & in casibus præmissis, sicut alij Imperiales Duces & Principes, præstare & facere, fidelitatis, homagij, obedientiæ & subjectionis debita corporalia juramenta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ illustrationis, erectionis, insignitionis, decorationis & collationis paginam infringere, seu ei ausu temerario quovis contraire, sub pœna mille marcarum auri puri, quas ab eo, qui contravenire præsumpserit, irremissibiliter exigi volumus, & earum medietatem nostræ regalis Cameræ fisco, residuam vero partem injuriam passorum usibus applicari. Datum in civitate Metensi, anno Domini MCCCLIV. Indictione VII. tertio Idus Martij. Anno Regis Karoli VIII.

DIPLOMA ERECTIONIS DVCATVS HOLSATIÆ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum Imperator semper augustus, Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ &c. Rex, ac Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ Dux, Dominus Marchiæ Slavonicæ, ac portus Naonis, Comes in Habspurg, Tyrolis, Pherretis & Kiburg, Marchio Burgoviæ & Landgravius Alsatiæ, ad perpetuam rei memoriam. Cum Imperij sacri decus, populique Romani cultus, honoris dignitatisque largitione plurimum consistant, tunc maximè augere ornareque existimamus, ubi eos liberalitatis munere prosequimur, quos summa probitatis studia nostrâ clementia dignos reddiderunt, eoque augustum solium ampliori corona reluceat, quo Imperatoria Majestas, munus serenitatis diffundens, uberiori

ſplendore refulget. Summa itaque Romani Imperij auctore Deo feliciter gubernantes, idque ſemper honoribus & dignitatibus amplificare & decorare ſatagentes, matura deliberatione prævia, accedente ad hoc Electorum, aliorumque Principum, Comitum, Baronum & procerum noſtrorum conſilio, motu proprio, ex certa ſcientia, & de plenitudine Cæſareæ poteſtatis noſtræ, titulos Comitatuum Holſatiæ & Stormariæ extinximus, caſſavimus, eorumque comitatum, terras & dominia univimus, eiſque diſtrictum Dithmarſiæ incorporavimus, hujusmodique terras, diſtrictus & dominia unita & incorporata, in Ducatum ereximus, extulimus & conſtituimus, conferentes eidem omnia & ſingula Ducalia ac Principatuum jura, honores, prærogativas, eminentias, ac imponentes eidem titulum Ducalem de Holſatia: Volentes ac mandantes inantea hujusmodi titulo ab omnibus appellari. Conſiderantes denique Illuſtriſſimi Principis Chriſtierni Daciæ regis, fratris noſtri cariſſimi, excelſa merita in nos, ſacrumque Romanum Imperium officia, affectumque optimum, deliberatione, motu, ſcientia & poteſtate prædictis, eidem fratri noſtro, tanquam Duci Holſatiæ, Ducatum de Holſtein ſic erectum & conſtitutum, in feudum dedimus, conceſſimus, caritatemque ſuam, recepto prius ab eo, tanquam à Duce Holſatiæ, corporali fidelitatis & obedientiæ ſolito juramento, ſolenniter inveſtivimus, damusque concedimus & inveſtimus per præſentes, ita ut inantea caritas ſua, ejusque in hujusmodi Ducatu legitimi ſucceſſores, eundem Ducatum ita erectum tenere, & cum omnibus Ducalibus ac Principatuum dignitatibus, juribus, honoribus, titulis, eminentiis, utilitatibus & prærogativis poſſidere, & præſertim jure auream argenteamque monetam fabricandi, venationes banniendi, gabellas & telonia ſolita ſublevandi, & ſalvos conductus & ſecuritates præſtandi, uti, frui & gaudere poſſint ac valeant ſine contradictione, moleſtatione aut renitentia cujuscumque, teneanturque præfatus frater noſter, tanquam Dux Holſatiæ, ejusque in dicto Ducatu pro tempore ſucceſſores, hujusmodi Ducatum à ſacro Romano Imperio in feudum recognoſcere, eo videlicet modo, quo hactenus dicti Comitatus recogniti, & Comitatuum poſſeſſores inveſtiti

ſtiti fuerunt, hoc noſtro perpetuo edicto ſtatuentes, poſſeſſores præfati Ducatus, ut ſupra inveſtitos, perpetuis futuris temporibus Duces fore, eosque Duces per omnia haberi & reputari. Omnibus denique & ſingulis Principibus, tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Communitatibus, Communitatumque Rectoribus, aliisque ſacri Imperij ſubditis fidelibus dilectis diſtricte præcipiendo mandantes, ut ejusdem Ducalis dignitatis, honoris, & reverentiæ debita, & maxime in adſcribendis titulis ac aliis prærogativis & eminentiis exhibeant & impendant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ caſſationis, unionis, incorporationis, creationis, infeodationis, ſtatuti & præcepti paginam, quovis quæſito colore infringere, aut auſu temerario contraire. Si quis vero pudoris ignarus ſupradictis, aut alteri ipſorum reniti aut contravenire præſumſerit, indignationis noſtræ pœnam graviſſimam, & præterea mille marcarum auri puri, diſpoſitionibus ſupradictis nihilominus ratis manentibus, totiens quotiens ſe noverit eo ipſo incurriſſe: cujus pœnæ dimidiam ærario noſtro, aliam vero dimidiam parti læſæ ſtatuimus applicandam.



Signum ſe renisſimi ac in-
victiſſimi Dn. Friderici ter-
tij Romano rum Imperatoris
ſemper Au guſti, Hungariæ,
Dalmatiæ, Croatiæ regis, ac Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ & Carniolæ Ducis &c.

Teſtes vero præſentes fuerunt venerabiles illuſtresque, Adolphus Archiepiſcopus Moguntinenſis, Albertus Marchio Branden-

burgenſis, Principes Electores: cariſſimusque filius noſter Maximilianus Auſtriæ Dux, VVilhelmus Epiſcopus Eyſtetenſis, Lodovicus Dux Bavariæ, Comes Veldentiæ, Nobilesque Rudolfus Comes de Sultz, Hugo Comes de VVerdenberg Conſiliarij noſtri, Siffridus Comes de Leiningen, Vldericus Comes de VVerdenberg, Lodovicus Comes de Ottingen, & alij plures noſtri & Imperij ſacri fideles dilecti. Præſentium ſub aurea bulla typario Imperiali noſtræ majeſtatis impreſſo teſtimonio literarum. Datum in civitate noſtra Rotenburg ſuper Tauber, die Lunæ, quartadecima menſis Februarij, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quarto, Regnorum noſtrorum Romani triceſimo quarto, Imperij viceſimo ſecundo, Hungariæ vero decimo quinto.

HENRICI MEIBOMII
ORATIO
DE
ACADEMIAE IV-
LIAE PRIMORDIIS
ET INCREMENTIS,

Habita quum natalis
ejus XXXI
celebraretur.

QVod bonum felixque sit & salutare, Patres Academici clarissimi, juvenes lectissimi, auditores optimi, complet Academia hæc Iulia hodierna luce annum ætatis suæ tricesimum: quod spatium temporis Græcis γενεὰ est, ut voluit Heraclitus, recepit Zenon, testatus est Plutarchus & ex hoc repetiit Suidas. Constat autem hic numerus ex denario triplicato, habetque tam ternarius quam denarius, de quo utiliter differere apud vos possem, nisi aliud nunc agere animo mecum constituissem. Hoc obiter tantum addo, Gregorium Nazianzenum testari, numerum tricesimum à Pythagoricis cultum, & inter sacros relatum. Referunt alij Pythagoræ symbolum fuisse, vel ænigma, vel utrumque, si non verius neutrum: Honora inprimis pretium trium denariorum. Mitto sententiæ hujus interpretationes tum aliorum, tum meas, alterique tempori & oportuniori reservo. Natalitio hoc Academiæ die, seu potius Sabbato Iulio, more statutis præscripto verba facturus, ea vobis edisseram, quæ elapso isto triginta annorum spatio vidi, quorumque pars quota fui; sive, ut explicatius dicam, quomodo illustris hæc Iulia auspicato sit condita, quæ habuerit incrementa, quæ impedimenta se interjecerint, ut rursus emerserit, ea qua potero brevitate repetam & ob oculos vobis ponam. Qui mecum ista viderunt, ut viderunt aliqui, cum voluptate recognoscent elapsi temporis memoriam: reliquis grata commemoratio ista, ut & ipsi norint, quibus, quorumque laboribus & sedulitati, hoc eruditæ pietatis theatrum, ad præsens fastigium deductum, acceptum ferre debeant. Atque hic non exspectabitis à me Oratoriam eloquentiam, sed talem qualis à Poëta proficisci potest. Didicistis enim magistro Seneca, etiam magna ingenia raro plus quam in uno eminuisse opere; Virgilium à felicitate ingenij oratione soluta relictum: neque Ciceronis eloquentiam in carminibus ipsius fuisse repertam. Quem igitur non vice simplici, & verso quidem stilo, cum favore perorantem audivistis, audite nunc prorso, non Orato-

ratoris, ſed recitatoris munere fungentem. Incomparabilis Princeps, omnibus vobis notus, Divus Iulius Pacificus, Brunſuicenſium ac Luneburgenſium Dux, poſt liberatas ab idololatria Pontificia florentiſſimi Ducatus ſui eccleſias, illuſtrem inſtituit Scholam in antiquisſimo, adeoque primo Saxoniæ ciſveſeranæ opido Gandersheimo, ut in Gymnaſio iſto ſub idoneis omnium diſciplinarum magiſtris non pauci, tum ex indigenis, tùm ex peregrinis educarentur; quorum opera tum ipſe Scholæ fundator, tum magiſtratus alij, tam in politico, quam eccleſiaſtico poſſent uti regimine. Adfuit rei benè cogitatæ divina benedictio: confluxerunt ad novam Scholam ex vicinis opidis & urbibus perquam multi, ut literis ibi commode vacarent. Gratulabatur ſibi optimus Princeps, quod rationem occaſionemque comparandi ſibi nominis æterni inveniſſet, qua ſe quoque poſſet

Tollere humo victorque virûm volitare per ora.

Hoc enim metuebat unicum ne inglorius aliquando, & majorum indignus avorum ex hac vita emigraret: quippe cui ad militiam & grave Martis opus, natura non ſatis firmum corpus dediſſet, etſi animus heroicus ipſi non deeſſet. Patris avique victorioſiſſimorum Principum facta glorioſa ei ſemper in mente, per quæ vivunt viventque per omnem ſeculorum memoriam. Ea igitur bellorum adorea deſperata, convertit ſe ad literarum literatorumque hominum patrocinium; quo Ptolemæum Philadelphum, quo Cilnium Mæcenatem, quo Aſinium Pollionem & ſexcentos è vetuſtate alios, famam nunquam intermorituram ſibi comparaſſe, non ſemel inaudierat, legerat. Iſta vero animo agitanti, ante oculos obverſabatur quotidie Schola Gandeſiana: hanc amplificare, hanc ornare cogitabat. Cumque ad nemus Hercynium parum commode habitare eam perpenderet, meliores ipſi ſedes ad Elmum deſtinabat, & domicilium in urbe Helmeſtadio: ubi eodem mox momento novum maximeque auſpicatum gymnaſio nomen obvenit, ut à fundatore Schola Iulia appellaretur. Neque hic tamen ſubſtitit laudatiſſimus Princeps, ſed altiora animo agitans, ut ex gymnaſio Academiam, ſive Scholam regiam efficeret, ſupremam ſibi curam ac ſolicitudinem eſſe voluit. Negotium hoc magni momenti, ſummæque difficultatis, domi diu deliberatum,

cum ad summum orbis Christiani monarcham detulisset, utrob-
que successus invenit felicissimos. Credidisses enim certare qu-
dammodo inter sese Imperatorem Maximilianum, Ducem Iul-
um, & Ordines Brunsuicensis Ducatus. Imperator enim ea nov
Academiæ dedit privilegia, quæ nobilissimæ habent in tota Europ
Scholæ: quibus hoc peculiare addidit, quod Rectorem Academi
qui est in magistratu, Comitem sacri Palatij haberi, eoque ju
uti voluerit. Ordines sive Status Provinciæ ad dotem Academi
Iuliæ conferendam clementer invitati, ea usi sunt liberalitate, qu
vicinos in magnam admirationem traxit, qui agri id tempori
& ante accessionem Ducatus Calenbergici, provinciarumque
liarum, non ita magni, eas esse vires minime credebant, ut præte
ordinarias contributiones, quæ non exiguæ erant, eam argen
vim summamque, quæ ad tantum opus requirebatur, erogar
uno eodemque tempore valeret. Dotem autem dixerunt cent
na aureorum millia. Princeps ipse de ædificiis parandis, de con
victorio communi pro tenuioris fortunæ studiosis constituend
de pluribus, qui docerent, convocandis, curam se dignam adhi
bebat. Verum, ante quam ulterius eamus, omnino dicendur
nobis hic aliquid est, de statu illorum temporum, qui admodur
in Scholis reformatæ religionis erat turbatus. Rostochiensis a
cademia superiorum annorum tumultibus bellicis, & quæ isto
insequuta fuerat, pestilentia biennali, graviter afflicta, penuri
Professorum, & infrequentia discentium laborabat: cum simu
negotium de dote academiæ constituenda, quam Principes Me
gapolitani à Senatu opidano exigebant, Senatus verò ad eam te
neri nollet, frustra ac sine fructu actum esset. Quod malum Pro
fessorum numerum minuit indies, & qui præsentes manebant au
ctoritate & existimatione paullatim exuit. Francofordiæ ad O
deram disputatum erat de necessitate bonorum operum, eo even
tu, ut Abdias Prætorius, vir linguarum peritissimus, æmulo su
Andreæ Musculo cedens, multos secum studiosos abduceret. Re
giomonti in Borussia VVigandus sola invidia impulsus, viro opti
mo Tilemanno Heshusio litem movebat de vocabulis abstracti &
concreti, quæ cum vel non intelligeret, vel intelligere nollet, tur-
bata miserè academia, tandem Heshusio innocenti & inaudito
ex-

exilium procuravit. In Electorali VVitebergensium academia omnia pejori loco erant. Nam quod praeviderat, futurúmque non semel suis praedixerat Lutherus, propheta ille Germanicus, in ea Schola, quae repurgationis doctrinae caelestis initium fecerat, sparsa sunt semina fanaticarum opinionum, & juventuti instillatae veritatis Evangelicae corruptelae, non quidem id aperte, sed clàm & latenter: ità ut sub specie reverentiae, praeceptori publice bene meritò debitae, errores ab eo olim acriter taxati, nunc defenderentur mordicus, acerbè vero exciperentur, qui contra sentire auderent. Singula non persequor: hoc constat, doctrinam de Coena Dominica, de viribus humanis, de justificatione peccatoris coram Deo, de persona filij Dei, articulosque alios nonnullos, nec sincere nec recte traditos fuisse. Cum autem hi novorum dogmatum maleferiati seminatores, magistratus politici auctoritate per fraudem se muniissent, mirum quantum applausus invenerint, quanta audacia in affligendis usi sint, quanto denique in periculo & metu pleraeque totius Saxoniae Scholae & ecclesiae sint versatae. Silentibus autem canibus quibusdam mutis; non paucis Vertumnis in re pessima conniventibus, ea quae ad Salam in Thuringia etiamnum floret academia, omnibus istis fanaticis opinionibus, earumque architectis & propugnatoribus masculo se opposuit animo. Erat tum temporis illa tanquam propugnaculum firmissimum, ex quo monstrosa ubiquitas, arrogans synergia, crassus Manichaeismus, subdolus Calvinismus, aliaque ejus generis pestes capitales armatura caelesti prosternebantur. Quia verò in hoc toti erant, & Corpori doctrinae Misnico subscribere recusabant, ab Augusto Electore Saxoniae, defuncti Principis Vinariensis, Ioannis Guilielmi proximo agnato, locum mutare omnes coacti fuere. Interim tamen, qui in academia Electorali omnia turbabant, & deserta doctrina Lutheri aperte jam cum Calvinianis faciebant, ac Ienensibus professoribus Sinonis suis artibus, & Electore circumvento, insignem istam calamitatem conflaverant, divinitus graviter puniti sunt, plerisque in vincula conjectis, reliquis ab officio remotis. Quae res non minus, atq; antea Ienae factum fuerat, academiam VVitebergensem desolatam reddidit. Scripta polemica partium sunt in medio, quae ut à piis cupide & libenter leguntur: ita

aversantur ea, & pro nihilo habent homines profani, qui susque deque habent, quid in ecclesia, quid de cujusque anima agatur. Verum securos istos dormitatores invadet suo tempore pœna, quam Amos propheta ipsis minitatur. Hasce fatales in vicinis academiis mutationes considerans sapientissimus Dux Iulius, de sua, quam erecturus jam erat, eo citius maturanda cogitavit, operamque dedit, ut ea ex Schola, Ienensem intelligo, quæ mascule corruptoribus doctrinæ se opposuerat, doctores haberet orthodoxos, quos juventuti recte erudiendæ præficeret: quod facile sibi futurum credebat & experiebatur. Ex dimissis igitur exsulibus statim à Principe liberalibus stipendiis conducti huc venerunt Virgilius Pingiczerus ICtus, Ovenus Guntherus, Ioannes Debelius, Daniel Hoffmannus, Erhardus Hoffmannus, Philosophi. Antecesserat quinque istos Timotheus Kirchnerus Theologus, Ienaque in Saxoniam emigrarat: ita ut tempore introductionis Iuliæ nostræ, quæ incidebat in anni MDLXXVI diem XV Octobris, seu in XIIX Kal. Novemb. diem natalem Henrici Iulij, fundatoris filij, & novæ academiæ Rectoris magnificentissimi & Cancellarij primi & perpetui, sex illi hic comparerent & conspicerentur. Sequente ab introductione anno rediit ex Borussia Tilemannus Heshusius, per vim inde, ut monuimus, à VVigando pulsus, quem ipsum statim prioribus Princeps adjunxit. Habebat in comitatu suo Heshusius Ioannem Olearium, nuper etiam academiæ Ienensis civem, cui commendata est professio sermonis Hebræi. Sic calamitas Salanæ Scholæ huic nostræ profuit: Deique beneficio singulari octo præstantes viri, donis docendi illustribus ornati, ex una eaque orthodoxa academia sedem hic fixerunt. Aliqui horum adhuc in vivis sunt, docentque vel hic vel alibi: plerique in cælestem scholam demigrarunt. Dissipata autem, ut dixi, per dimissionem Professorum academia Ienensi, magnum agmen studiosorum huc confluxit: cumprimis multi ex nobilitate, & inter hos Sigismundus Tieffenbachius, Baro Austriacus. Hos sequutus est bibliopola & communis convictorij præfectus, quem Oeconomum dicimus: ita ut jure hanc Iuliam academiam Ienensis archigymnasij coloniam dicere possimus & debeamus. Nam quod alij diversum sentiunt, certum est eos fallere & falli, ipsa experientia in contrarium

eunte

eunte. Sunt tamen adjuncti his alij doctores: nonnulli accersiti, qui non venere. De singulis dicam aliquid, ut vobis constet de paterna fundatoris in ornanda academia solicitudine & munificentia. Ex Theologis vocati sunt Martinus Chemnitius & David Chytræus: sed neuter impetrari potuit, quod à suis detinerentur. Andream Celichium eruditionis suæ specimen edentem audivimus cum applausu, erat enim opidò facundus: verum non est conductus quod mores displicerent. Actum etiam est cum Henrico Mollero Theologo, ut Hamburgo huc migraret, linguas profiteretur, abstineret à controversia Sacramentaria: in quod consentiebant Theologi, qui hic erant, propter eruditionem quæ in isto homine magna erat: sed intervenit aliquid quod hanc rem irritam faceret. Ex ICtis Marpurgo accitus est Regnerus Sixtinus, vir magni nominis, summæque eruditionis, quem ex hac cathedra docentem audivi: verum à Landgravio impetrari non potuit. Ioachimus Minsingerus, etsi publice non doceret, scribendo tamen hic profuit, passus nomen suum profitentium Catalogo inseri: cumque Candidatorum in Iure examinibus interesset, ipse unum ex his, more & ritu solenni Doctorem renunciavit, Eberhardum Spechanium. In Philosophis Argentina evocatus est Valentinus Erythræus, vir ad juventutem erudiendam natus, factus: quem post constitutam Altorfiensem apud Noricos Scholam illustrem, ad hunc locum, in quo per aliquot menses docuerat, regredi volentem, mors invidiosa intercepit. Henricus Paxmannus, quanquam operam suam Principi addixisset, tamen ut Francofurti subsisteret, ab ipso obtentum est. Laudabilis tum observabatur consuetudo, multis inter doctos, quasi de religione minus recte sentirent, suspectos se facientibus, ut nemo inter Professores cooptaretur, nisi auctoritate Principis collatione instituta, quæ in religionis controversis capitibus cujusque sententia esset, liquido cognosceretur. Quam explorationem providam cum quidam subterfugerent, seque, quod mirere, indignam putarent, non sunt admissi. Sequentes autem hinc inde accersiti, istis quorum antea meminimus se adjunxerunt; Basilius Satlerus VVirtembergicus, Theologus: Ioannes Borcholdus Luneburgensis, Ioannes Loperus Borussus, Dethardus Horstius Frisius, ICti: Ioannes Bokelius Antvverpianus,

 Her-

Hermannus Neovvaldius Lemgoviensis, Medici: Hartvvicus Smidestetus Luneburgensis, Magnus Pegelius Rostochiensis, Pancratius Crugerius Finstervvaldensis, Philosophi. Hi septendecim, cum biennio ab introductione elapso, catalogus lectionum publicarum primus excuderetur, in tabulam relati sunt. Docebant autem singulis diebus omnes, tum quod Princeps fieri id vellet, tum quod ex usu emolumentoque juventutis esset. Neque difficile hoc ipsis erat, uti nec hodie cuiquam esse potest, modo voluntas non absit: fructum vero inde reportarunt uberrimum, sparsa per universam Germaniam secunda fama, quod nullibi majore diligentia, quam in Iulia academia operæ laboresque scholici urgerentur. Ad publicam illam, quæ in Professoribus erat, diligentiam accedebat privata studiosorum solertia. Hi enim cœperunt instituere collegia: habere congressus: tradita publice excutere privatim: prolixa redigere in compendium: in singulis materiis συμβολοποιεῖν, & dissentientes opiniones investigata vera sententia conciliare. Atque hæc cumprimis agitabantur ab illis, qui Iuri civili operam dabant. Institutum illud natum in Colonia Agrippina, etiamnum ibi perdurat, magno juventutis bono. Cumque apud Cattos in Marpurgensi academia locum invenisset, inde ad nos traductum est, opera & studio Eberhardi Trilingij, Svvalenbergensis VVestvali, quem sua etiam laude defraudare nolo. Successere alij, & in his Ioannes Bocerus Salcatenus, Iustus Gogrevius Paderbornensis, VVestvali ambo, Arnoldus de Reiger Belga pluresque alij: quorum discipuli cum per universam Germaniam dispergerentur, hunc collegiorum morem passim instituerunt, nostramque Iuliam illustriorem reddiderunt. Nec tamen defuere, qui honestis istis conatibus oblatrarent: verum ut nihil efficerent, frustraque perstreperent, unius Borcholdi faciebat auctoritas. Qui cum rem intelligeret, commodisque omnium æque studeret, molitiones ab imperitia & livore profectas tempestiva severitate repressit. Neque ab ejusmodi exercitiis postmodum abstinebant Theologi, non Philosophi, nec Medici, qui suas simul corporum humanorum dissectiones, herbarumque inquisitiones sedulo & solerter urgebant. Rem in pauca redigam: in eo, qui docebant, ambitiosi erant omnes, ut propria agerent, quod Thessalonicensibus

fibus suadet D. Paullus, & retinendæ concordiæ utile est & necessarium. Florebat hoc modo Iulia nostra usque ad fundatoris obitum, qui incidit in annum ab introductione duodecimum: quo in tempore novi Professores, discessere aliqui, obierunt tantum duo, primarius & novissimus. Habitæ sunt promotiones in singulis facultatibus aliquot, petentibus gradus etiam exteris hominibus. Qui incrementa ista felicia, ad paucitatem annorum, quos dixi, expendebant, non tam prosperitatem hanc admirabantur, quam malum aliquod ingens pertimescebant. Experimur enim ea, quæ primordia auspicata, progressusque habent secundos, tarò in felicitate sua permanere: sentire plerunque inopinatas adversitatum tempestates, quibus si non evertantur, ita tamen enerventur, ut ad præcox accelerati honoris fastigium nusquam deinde pervenire queant. Quod tamen divina à nobis benignitas clementer avertit, & ut avertat deinceps calidis precibus exoranda est. Calamitates, quæ tranquillitatē & statūScholæ turbarent, isto tempore sensimus aut nullas, aut quæ non magni essent periculi. Coorta est pestilentia proximo ab introductione mense, quæ alibi vehementer grassata, nobis mitiorem se ostendit: unum tantum ex nostro cœtu abstulit, qui tamen sua temeritate mali sibi ipse auctor fuisse ferebatur. Decennio elapso simile contagium urbem invasit: verum cum fundatoris juniores filij, qui tum hîc vivebant, non avocarentur, ex studiosa etiam juventute nemo locum mutavit, superveniente vero mox hyeme acriore, malum penitus sedatum est. Vnus florentem, optimeque constitutum academiæ statum nonnihil deformavit casus, sive tumultus, à levissimo principio ortus, ab iis etiam excitatus, à quibus minime vel debebat vel exspectabatur. Circumstantias omnes non persequor. Hoc præteriri minimè debet, amentiam istam eo prolapsam, ut non modo magistratus Scholastici auctoritas contemneretur ac labefactaretur, sed petulantes minæ adderentur, violentia exerceretur, & inter humanitatis pietatisque cultores humanitas vel pietas nulla amplius compareret. De hoc flagitioso motu edoctus fundator, justam quidem severitatem malo adhibuit, singulari tamen clementia omnia temperavit. Tandem vero, caussa à Rectore academiæ magnificentissimo, Henrico Iulio, & Consiliariis aliquot cognita, cum sontes deprecarentur

carentur, & intercederent Principes ac Comites, qui id temporis hic vivebant, pœna eis omnis, quam sua ipsorum confessione gravissimam meriti fuerant, remissa est, & academiæ optata tranquillitas restituta. Evocato ex hac vita Divo Iulio fundatore, successor & hæres ex asse, filius primogenitus, Henricus Iulius, quem modo dixi, non minore, atque à patre factum meminerat, clementia & liberalitate academiam fidei suæ commendatam prosequutus est, quod multis argumentis testatum fecit. Auxit ille numerum Professorum, docentium salaria auctiora fecit, stupendum illud ædificium, quod intuemini quotidie, ingenti sumptu erexit, privilegia specialia, quæ vocant, ampliavit, adeoque de omnibus nobis, tam publice, quam privatim præclare mereri nunquam desiit. Quod ipsum advertens ἄσπονδος ille Scholarum recte constitutarum hostis Diabolus, non cessavit acrius quam antè, Iuliam hanc infestare: quod ostendunt tempestates illæ, quæ Deo permittente ab annis aliquot nobis incubuerunt longe gravissimæ, nobilissimumque hoc gymnasium totum pene everterunt. Cogitate mecum acerbitatem pestilentiæ illius, quam toto biennio sustinuimus. Sustulit illa ex studiosis non paucos, in fugam conjecit pene omnes, operas & labores nostros interrupit, & ad aliquot menses prorsus suspendit. Sequuta est dysenteria per se carnifex, ob malignitatem vero omni peste immanior, quæ & plures abripuit & diutius nobis incubuit. Sic totum triennium infame fuit morbis & contagiis atrocissimis: cujus rei fama cum emanasset, præsentes alumni nostri avocati sunt subinde, aut fugerunt, peregrini ne huc venirent absterriti. De tumultibus bellicis quid dicam? Scitis hostem, vidistis rabiem, audivistis ex propinquo minas: quibus effectum, ut σκάμματα nostra fuerint vacua, musea clausa, auditoria inania, cathedræ mutæ, solitudo in sacrario Musarum & pietatis officina: mirumque adeo superesse adhuc hoc in loco vestigium rerum negotiorumque Scholasticorum. Verum per Dei gratiam malis istis majores habuimus animos, fiducia auxilij divini nunquam non stabilitos & confirmatos. De infelici, adeoq; insperato litigio, quod inter nos ipsos ortum, magnaque animorum contentione agitatum, nihil dicam: animus meminisse hor-

ret

ret luctuque refugit. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Atque hæ sunt atroces illæ & turbulentæ tempestates, quæ ab obitu fundatoris Sareptam hanc perculerunt: graves illæ quidem omnium judicio, sed quæ in piis hominibus excitarint serium studium emendationis vitæ morumque, & inflammarint absque dubio non paucos ad ardentes preces, quæ imbecillitatis nostræ in ejusmodi tempestatibus refugia sunt firmissima. His malis vero, quæ attigi, si beneficia in nos collata conferamus decuplo majora apparebunt. In iis principem locum obtinet possessio veritatis cælestis, quæ apud nos usque in præsentem horam incorrupta permansit. Prælectiones & exercitia publica strenue continuata fuere, & continuantur, & ab omnibus hoc agitur, ut qui velit, satis superque quod discat inveniat. Et fuisse labores nostros minime inanes, docuerunt actus publici promotionum solennium solito frequentiores. Istæ panegyres cum academiarum sint propriæ, ipsisque plurimum apud alios honoris concilient, non puto abs re esse, si quid Iulia nostra in illis cum laude instituendis felicitatis & fortunæ consequuta sit, vobis aperiam. Triginta itaque his, qui evoluti nunc sunt, annis, Philosophi promotiones celebrarunt XXXIII, Medici XIII, ICti totidem, Theologi IV. In his Medici, quod mirere, viros eruditissimos sedecim intra triennij spatium laurea suprema condecorarunt. Cum istis ornamentis copulatur aliud, quod academiis non minus honorificum cluet, si ex Principum virorum liberis secum non paucos studiorũ caussa habuerint & informarint. Qua in re nulli, quantumvis celebri vel antiquæ Scholæ nostra cedere poterit. Etenim à fundatione in præsens usq; tempus quindecim Serenissimorum & Illustrissimorum Regum Principumque filij studiorum caussa hic vixere, quorum nomina libenter audietis: Vlricus & Iohannes Holsatiæ Duces, Regis Daniæ Friderici II filij, Philippus Sigismundus, Ioachimus Carolus, & Iulius Augustus, fundatoris filij, Guilhelmus, Otto, Ioannes & Fridericus, nati Ottone Duce Brunsuicensi & Luneburgensi, qui Harburgi sedem habuit, Fridericus Vlricus, Henricus Iulius, & Christianus, Henrici Iulij, Principis nostri filij, & demum Franciscus Iulius, Iulius Henricus & Ernestus Ludovicus, nati Francisco juniore Duce Saxoniæ inferioris, Laoburgi residentis. E Comi-

mitibus nobiscum vixere Ernestus Scaumburgius, Ernestus & Martinus Reinsteinij, Ioannes Guntherus & Christianus Guntherus Svvartzenburgij, Bruno & Ioannes Georgius Mansfeldij, Hermannus Otto & Georgius Ernestus Limburgij. Barones hic vidimus Antonium VVarbergium, Hildebrandum Iorgerum, Sigismundum Tieffenbachium, Austriacos, Iaroslaum Colovvratam Bohemum, Ottonem Henricum Bilandium, pluresque alios: quarum illustrium personarum præsentia, ut academiæ apud exteros honorifica, domi utilis fuit: sic permultis ex equestri ordine, ut hic viverent, occasionem præbuit. Neque inficias quisquam iverit, plurimum academiæ profuisse officinam typographicam, à *Jacobo* Lucio seniore, artifice ingenioso & solerti adornatam: in quam ad publicationem scriptorum omnium facultatum ingentes impendit sumptus Ludolfus Brandes, vir antiqua virtute & fide. Hujus sane munificentia si caruisset Iulia nostra, nunquam intra annos tam paucos ad istam apud exteros celebritatem pervenisset. Prius autem, quam ad finem properem, nomenclationem attexam professorum, non septendecim eorum, de quibus jam, nec eorum, quorum adhuc datur ora tueri, sed eorum qui inter hos medij, septendecim prioribus accesserunt, & in hoc phrontisterio docendi partes sustinuere. Hi sunt Iohannes Heidenricus, Ioannes Mebbesius, Ioannes Suffefleischius, Theologi: Ioannes Iagemannus, Hermannus Niger, Fridericus Dasypodius, Mellæus Brunsema, Statius Borcholdus, Albertus Clampius, Iureconsulti: Iacobus Horstius, Martinus Biermannus, Arnoldus Freitagius, Ioannes VVernerus, Medici: Reinerus Reineccius, Henricus Papeburgerus, Tobias Haberlandius, Henricus Rumpfius, Salomon Frencelius, Valentinus Schindlerus, Philosophi. Hos si septendecim prioribus annumeres, invenies sex & triginta, qui hic modo vivunt viginti sunt & quinque. Docuerunt itaque hic ab ortu academiæ usque ad hunc diem Professores sexaginta unus. Impensa sunt in hos alendos vallensium nummorum plus minus ducenta millia: sustentando communi convictorio eorundem tributa millia centum. Videte regiam magnificentiam optimorum Principum, & Statuum Ducatus prudentissimorum liberalitatem insignem. Cogitate quid ipsis debeant, quos ab initio academia habuit alum-

nos;

nos: quid hodie debeatis singuli, quibus hæc ocia sunt facta. Mihi suave & perjucundum est circumferre oculos animi per universam Germaniam, ac tàm in academiis, quam aulis magnisque urbibus intueri Iuliæ nostræ cives, dignitatibus & auctoramentis virtutis florentes: quod dum facio, non ægre feretis, quod prolixior adhuc sim, & catalogum eorum quendam hîc attexam. Debet nobis academia Pragensis Adamum Matthiaden, medicum excellentissimum, & aula ibidem Imperialis Gregorium Guntherum, medicum itidem clarissimum: Lipsiam misimus Leopoldum Hakelmannum, Ordinarium facultatis Iuridicæ & multorum Principum Consiliarium: VVitebergæ dedimus Petrum Heigium, Andream Rauchbarum & Lucam Becmannum, nec non Iacobum Martinum, hunc philosophum celebrem, illos Iurisconsultos præstantes: Iena debet nobis Ioannem Gryphiandrum, poëtam & historicum eximium: Rostochium ablegavimus Iurisconsultos duos insignes, Ernestum Cothmannum & Hajonem à Nessa: Francofurtum ad Oderam à nobis accepit Samuelem Scharlachium, medicum & poëtam ingeniosum: Regiomontem in Borussiam transmisimus Ioannem Derschovium jurisconsultum, & Ioachimum Radenicium Mathematicum: Gryphisvvaldia nobis debet Nicolaum Calenum, Erfordia Henningum Rennemannum & VVolfgangum Gruningum, omnes Iureconsultos egregios: Tubingensis Schola accepit Henricum Bocerum, Argentinensis Iustum Mejerum, itidem ICtos celeberrimos, Altorfina magnum illum Rittershusium: Horum trium scripta sunt in medio admodum multa, quæ

Canescent seclis innumerabilibus.

Giessensi academiæ donavimus duos Medicos insignes, Iosephum Lauterbachium & Gregorium Horstium; Iurisconsultum unum, sed magni nominis, Antonium Gothofredum: Lugdunum apud Batavos debet nobis Gilbertum Iacchæum, Medicum celebrem. Videtis auditores, nullam fere in Germania esse academiam, quæ nobis non sit obstricta, nostris non gaudeat alumnis, idque grato agnoscat animo. De gymnasiis per Germaniam illustribus, ut aliquid dicam, tempus non sinit, etiamsi in illis sint, qui è nobis profecti, nostrum non parum amplificant honorem. Converto me ad aulas, ostensurus & ibi nostros alumnos magno reperiri numero.

Praga à nobis habet Tobiam Sculterum, virum eleganter doctum: Septemviralis Saxonica nobilissimum Bernsteinium & Henricum Heideccium Iureconsultum: Brandenburgica Arnoldum Reigerum, Ioannem à Benekendorf & Fridericum Bruckmannum: Stetinensis Gervasium Marstallerum & Martinum Chemnitium: Cellensis Ioannem Hildebrandum, Ottonem Heidmannum & Statium Borcholdum: Lavvenburgensis Hectorem Mithobium, Henricum Paxmannum, Ioannem Arenhorstium, Ioannem Hakelbusch: Holsatica Ioannem Nannen: Vinariensis Fridericum Hortlederum: Cassellana Ioannem Grothenium: Hallensis Chilianum Stiesserum, Arnoldum Engelbrechtum, Christianum Heilium: Dessaviana Gottfridum Mollerum: Iburgensis AEneam Pottium & Iacobum Dieckium: Hertzbergica Ioannem Scafedotum: Oldenburgica Antonium Heringium: Delmenhorstana Tilemannum Iudashertzog: Mansfeldensis Ioannem Engelken: Lippiensis Iustum Sneidevvindum: Stolbergica Ioannem Rentvvigium: alios aliæ. Verum finem hic facio, ne vestra abutar benivolentia. De Syndicis, advocatis & secretariis tam in aulis, quam magnis urbibus, si dicere aliquid vellem, dies deficeret perorantem. De Theologis Medicisque aliàs commodiùs luculentiusque agemus: non neglecturi aulam Guelficam, cui plurimos ex alumnis nostris dedimus. Patet autem ex his, quæ dixi, quanto beneficio inclytus fundator hujus academiæ affecerit universam rempub. literariam, imo totam Germaniam: quamque consulte agant laudatissimi successores, qui de conservanda amplificandaque Iulia sua sunt soliciti. Agnoscite hæc auditores optimi, Deoque opt. max. grates agite debitas, qui patriam hanc nostram tam insigni mactavit beneficio, & cum multis eam ornamentis illustrem fecerit, hac etiam gloria, quæ summa est, carere noluerit. Cumq; in hoc nunc loco sit προπαιδείων & ἀσκηθήσεων nomini divino sacrum, in hoc simus omnes, hoc agamus unum, ut amplificationi gloriæ, & nominis divini studeamus pro viribus. Sic fiet, ut non tantum triginta adhuc, sed longe plurimos annos floreat hæc deinceps Schola: tuta ab hostili impetu, indemnis à corruptelis, libera à scandalis, pulchra à concordia, felix ab opulentia. Hæc bona quũ à Te proficiscantur, tu ea nobis largire, Iesu Christe, Dei fili, frater & salvator noster unice. Dixi.

HENRICI MEIBOMII
ORATIO
DE
ORIGINE HELMESTADII.

DE

S. LUDGERO,

urbis Helmestadiensis conditore, Epigramma.

Dardana Martigenam celebrat si Roma Quirinum:
Pallada si tellus jactat Achiva suum:
Cur non promeritis nostræ clarissimus urbis
Conditor ad cælos laudibus auctus eat?
Illis terreni quæsita potentia regni:
Huic prior humanæ cura salutis erat.
Hospitium nostris quæ præbent dulce Camœnis
Cœpit hic excelsas ædificare domos.
Quid rogo postgenitis fama jucundius illa,
Vrbem hanc Pontificis esse decentis opus?
Qui tot præclaris virtutum dotibus auctus
Cœperit hîc sacræ condere tecta scholæ.
Tempore quæ nostro cultu meliore renascens,
Sidera conspicuum tollat ad alta caput.
Non potuit melior fundare palatia Musis:
Sacra paraturus debuit esse sacer.
Nos, quibus est meritæ custodia credita laudis,
Laudemus memori pectore facta viri.

Henricus Meibomius.

Se-

Semestre est, & quod excurrit, Patres academici, Iuvenes lectissimi, cum ex eadem hac cathedra in Sabbato Iulio, hoc est, anniversario fundationis academiæ nostræ festo verba ad vos facerem. Argumentum id temporis sumebam de historia gymnasij, de ejus nempe primordiis, incrementis, aliisque rebus notatu scituq; dignis, quæ elapsis XXX annis acciderunt. Audivistis me tum non sine voluptate, quod facile animadverti: neque defuere postmodum, qui ut publice legeretur ista narratio, persuadere mihi conarentur. Dixi autem, non quæ audivi, sed quæ vidi: atq; ideo dixi, ut audiretis, qui non vidistis. Nunc cum iterum oratio ad vos habenda sit, materiam deligam superiori non absimilem: imò quæ ei merito conjungi debeat, & à vobis requiri videatur. Etenim postquam historia Scholæ hujus illustris innotuit paulo nunc melius quam antea; videmini etiam deposcere nonnulla cognitu digna de urbe hac, quam Deus opt. max. academiæ sedem & hospitium esse voluit. Non deero desiderio vestro, cui melius forte, quam alij, satisfacere queam. Non quod facultate dicendi cum quoquam aliorum contendere: sed quod ad manus mihi sint, quæ commemorari vobis possint, aliis forte minus cognita. Vt enim de florentissimo agro Brunsuicensi, & in eo urbibus, opidis, cœnobiis familiisque illustribus, perquam multa collegi & observavi: ita hanc etiam urbem, in qua jam supra annos triginta domicilium fixi, minime præterij aut neglexi. Potuissem autem in plerisque plenior esse prolixiorque, si adjutus fuissem ab iis, à quibus hæc petenda. Verum nemo vestrum ignorat, quam difficile sit, etiam ab amantibus hæc talia & intelligentibus hujusmodi rerum veterum monumenta impetrare: nedum ut ea exhibeant meticulosiores, qui sua prodi verentur, si eorum aliquid aliis concredant. Necessum igitur est, ut hasce quales quales memoriæ veteris reliquias boni mecum consulatis. Qua in re, ne diutius, ac par est, vos detineam, sine ulteriori præloquio opus ipsum aggrediar. Condi cœpisse scribitur Helmstadium anno Salvatoris DCCLXXXIX, quo tem-

pore

pore Karolus Magnus, id temporis Gallorum Germanorumque Rex, & paullo post Romanorum Imperator Augustus, bellum intulit *VVilzis*, seu, ut Francici scribunt Annales & Ado Viennensis, *Vulzis*. Erant hi ex Slavis, gente olim & nunc quoque potentissima. Veteres Græci Sauromatas: Romani Sarmatas vocarunt. Germanis sunt VVenden, quos Iornandes VVinidas nominat. Notio VVilzorum sine dubio est à VVilk, lupus; forsitan à moribus barbaris, seu latrocinandi & prædandi studio. Propria lingua VVeletabi nuncupabantur: à nonnullis etiam Lutici, ut testis Aimoinus monachus, rerum Gallicarum scriptor. Helmoldus à fortitudine nominatos adfirmat: quod intelligo de Luticiorum vocabulo, quod ad Germanicum Leut/ quo viri significantur, alludit. Præpotens erat, ut dixi, hæc natio, & non minus cum Francis, quam cum aliis finitimis bella gerebat, adeo ut etiam congeneres subinde Slavos infestaret. Vnde evenit, ut cum Karolus bellum VVilzis indiceret, odio gentis immanissimæ, præter Frisios, Francos & Saxones, etiam ex Slavis Sorabi & Obotriti castra regia sint comitati. A VViltzis est appellatum VVilsenacum, Prignitiæ oppidum, olim commentitio Idolo, atque ad id superstitiosorum hominum concursu celebre. In hac adversus VVilzos expeditione, quæ neque infelix, neque longi temporis fuit, Karolo regi adjunxit se Ludgerus, ex Frisiis oriundus, ante triennium Mimingarderodæ in VVestfalia, nunc Monasterium dicitur, primus Episcopus designatus. De hoc Ludgero, Saxonum Apostolo, ut Crancio vocatur, prolixius aliquid ut dicamus, operæ pretium ego puto, neque vos sine fructu id audietis. Frisius fuit, ut memini, natus amplissimo loco, patre Dietgrino, matre Lieburgi. Fratrem habuit Hildegrinum, primum Halberstadensium Antistitem. Avus fuit VVirsingus, avia Adelradis, amplissima familia uterq; natus. Permansit obstinate in Ethnicæ religionis professione VVirsingus, etsi in Frisiis multi Christo quotidie nomen darent. Ludgerus vero à parentibus Christum jam professis, admodum adolescens scholis traditus est, ut in religione institueretur uberius. Erant tum temporis, sicut multis post seculis, scholæ apud religiosos & sacri ordinis homines, monachos puta & Canonicos. Hi non tantum ad pietatis exercitia assuefaciebant juventutem, sed disciplinas

etiam

etiam, artes & linguas, tam ecclesiæ, quam reipublicæ necessarias, fidei suæ commissis summa fide inculcabant. Apud hos mediocriter excultus Ludgerus, missus est Eboracum in Angliam, discipulus ibi factus & familiaris Flacio Albino, (Trithemius pluresque alij Alcuvinum vocant) natione Anglo: post Bedam & Adelmum suæ gentis doctissimo, quem etiam Karolus rex aliquando in literis magistrum habuit. Hic Karolo auctor fuit, ut Ludgeri opera in constituendis Saxoniæ ecclesiis uteretur: futurum enim, ut pietatem, fidem & vigilantiam probaret omnibus. Factum est quod suaserat Albinus, suntque commendatæ Ludgero ecclesiæ nonnullæ. Verum tanta erat in VVidechindo Saxonum rege & duce obstinatio ac pertinacia, ut inaudita crudelitate in omnes, qui religioni, quam aversabatur, faverent, promiscue desæviret. Hanc tempestatem, tanquam parvi temporis nubeculam, evitandam ratus Ludgerus, una cum VVillehado populari, qui Bremæ postea Episcopus fuit, in Italiam secessit. Vidit ibi Adrianum Pontificem, eique tristissimum ecclesiarum in Saxonia statum exposuit. Hic bene sperare ipsum, Deique auxilium, firma fide id expetentibus nunquam denegatum, præstolari jussit. Morem consilio gesturus abiit in phrontisterium Casinense. Erat is locus toti orbi Christiano notus propter Scholam, quæ à temporibus Benedicti, monachorum per Occidentem patriarchæ, ibi florebat, docentium ac discentium frequentia longe celeberrima. Eam discendi occasionem avide Ludgerus amplexus, substitit ibi; pro Saxonum conversione adsidue Deum orans, donec sedatis persecutionum procellis, ecclesia Mimingarderodana rursus ei auspicato concrederetur. Factum hoc scribitur anno DCCLXXXVI. Quid in Episcopatu egerit, quæ monumenta eruditæ pietatis reliquerit, quomodo ob pietatem in numerum Romanæ ecclesiæ sanctorum relatus sit, supersedemus hic referre. Vitam ejus diversi, quos vidi, auctores descripsere: in quibus Altfridus discipulus ejus ac familiaris, & Episcopus Monasteriensis tertius; Vffingus monachus VVerthinensis, Ioannes Cincinnius Lippiensis, & Anonymi duo, alter prosa, alter rythmis usus. Verum quum omnes superstitiosis indulgeant narrationibus, cum judicio legendos eos esse, nemo opinor inficiabitur. Verum ad Helmestadium revertimur. Id in

expeditione illa Slavica condidit Ludgerus, ut Crancio longe antiquior Dithmarus, Merseburgensis ad Salam Præsul annotavit. Hic Dithmarus ex Comitibus VValbeccensibus anno DCCCCLXXVI prognatus, Sigfridi F. Lotharij N. cum in vicinia viveret, & Canonicorum Regularium, à proavo fundato collegio præesset, historiam opidi hujus ignorare non potuit. Crancius scribit, Helmestadium à Ludgero munitum esse: quod sic intelligo, fanum quoddam, hoc in loco extructum, cui Karolus alendi sacrificuli caussa nonnihil agrorum adjecerit; colonos etiam ad id habitare, utque à Slavis inquietis tutiores essent, opidulum construere, illud operibus ac munitionibus quodammodo sepire non tam permiserit, quam clementer imperarit. Factum id alibi etiam, testantur historiæ, ut hujusmodi religiosorum hominum ergastula facile invenerint accolas, quæcunque eos ad id impulerit vel occasio, vel necessitas. Tenuia tamen fuisse initia, & incrementa tarda, nullum est dubium: successu vero temporis omnia ita aucta fuere, ut in opidi primum formam, tandem pomœriis dilatatis, in urbem non parvæ magnitudinis locus excresceret. De nomine vero, tùm monasterij, tum opidi, quæstio est, unde id promanarit. Fenestræ vitreæ pervetustæ, in ambitu templi in monasterio Vallis Mariæ, dimidio ab hinc miliari adhuc superstites, nomen opidulo recenti à canicula inditum affirmant. Eam volunt Ludgero in delitiis fuisse, qui cum de sacello, sive ut veteres loquuti sunt, oratorio extruendo cogitaret, locumque commodum specularetur, ferunt à Deo precatum, demonstraret sibi locum, in quo ædiculam extrui vellet, ibique caniculam juberet considere. Addunt factum id esse, & quia caniculæ nomen fuerit Elim, quod Dei nomen est & Ebrææ originis, locum inde nominatum Elimstetum. Sed rythmos, ut lingua vernacula veteri in fenestris, quas dixi, leguntur, subjungo.

Koning Karolus Kengeler/
Sinte Luder de leve Here/
Wolde Godde ein Kloster buwen/
Tu leve in allen truwen/
Ein Hündelin he hadde/ Helim genant/
Ein Goddelick Name bekant/

De

He Christum usen Heren bat/
Dat dat Hündelin sat/
Dat he wolde geven sinen schin/
Ichte dat de stede mochte syn/
Helimstede scholde dat heten/
Der stede he vnd vele mochten geneten.

Super stitiosa hæc sunt; dicetis: verum non incredibilia. Forte vir religiosus nomen Dei sacrosanctum caniculæ ideò imposuit, ut sibi id quotidie in memoria esset, ubi hunc individuum comitem intueretur: vel ut sui admoneret se officij, ne mutus esset canis, sed quemadmodum hic pro Domino latrat, ita ipse pro nomine altissimi contra hostes depugnaret. Et sunt in medio similia exempla, ubi sæpe à vilibus etiam rebus opidis & arcibus indita sunt nomina. Legantur origines Thebarum, Trojæ, Mediolani, Monaci. Alij volunt Helmestadij nomen profluxisse ab Elmo, saltu finitimo: non absurdè. Nam eodem modo Hildesia à vicino nemore, der Hilles appellato, non à nive fabulosa, de qua Crancius nugatur, nomen invenit. Sic Hamburgum ab Hama nemore, vicino olim, nunc exciso, non vero ab Hama pugile, qui forte nunquam in rerum natura fuit, indigitatum est. Ego simpliciter Helmestadij nomen promanasse à galea, sive casside militari, quam Helm vocamus, crediderim. Nec tamen à galea, ut vulgus putat, Hunici alicujus regis, hic cæsi, & versus Occidentem in colliculo, sub mole lapidum admiranda tumulati, sed simpliciter à galea. Nam ejusmodi appellationes invenias perplures in hac vicinia, ubi vel ab animali, vel alio quopiam instrumento, pagis vel opidis nomina tributa deprehendimus. Sic Sceppenstetum à navi, Emmerstetum ab urna, Egenstetum à dentali, VVormstetum à verme, Buddenstetum à labro, Slanstetum à serpente, VVulferstetum à lupo, Honstetum à gallina nomen acceperunt. Omitto ejus generis infinita, quæ vobis ipsis facile in mentem venire poterunt. Et firmarè conjecturam videri queant nummuli, qui etiam hodie monstrantur, & quorum aliqui penes me sunt, laminæ instar tenues, ut veterum ante aliquot secula nummi solebant, in quibus galea impressa conspicitur, quique ab Helmestadiensibus cusi feruntur: qua de re deinceps etiam quædam monebo. Hinc autem, ut puto,

Helmſteto, ſive Helmeſtadio nomen. Cum enim nonnihil incrementi accepiſſet, & opido quam pago ſimilius jam eſſet, placuit honeſtiore appellatione Helmeſtadium dici. Ita autem Chronici ſui libro primo vocat Dithmarus Merſepurgius, quē laudavi antea, & in infinitis literis ac diplomatis eodem modo ſcriptum reperi. Otto Magnus Imperator in diplomate, quo monaſterio S. Ludgeri decimas finitimorum agrorum largitur, Helmonſtetum appellat. Literæ datæ ſunt anno DCCCCLII. Et tantum de appellatione opidi. Sciendum autem, S. Ludgerum Collegium monachorum, quod hîc excitarat, ſubjeciſſe Abbatibus monaſterij VVerthinenſis in VVeſtvalia, in Comitatu Marcano, ad Ruram fluvium ſiti. Hoc enim una cum fratre germano Hildegrino, Halberſtadenſium Epiſcopo, ex bonis paternis paullo ante fundarat. Atque ita VVerthinenſis abbas utrique præerat Collegio; urbi etiam dominabatur, niſi quod Advocatum ſemper haberet ex illuſtri familia & nobilitate. Hæc dignitas, ut ex antiquiſſimis literis obſervavi, ab initio fuit penes Duces Saxoniæ. Et primo quidem Dux Lotharius, qui poſtea imperavit, & vicinum Regiæ Lothariæ cœnobium condidit, ad annum MCXIX à Luiberto Iſenburgio, & ad annum MCXXXIV à Beringoto VVeſterburgio, abbatibus VVerthinenſibus, advocatus Ludgerianus nominatur. A Ducibus Saxoniæ advocatia tranſiit ad Comites Palatinos Summerſeburgios. Vidi enim literas, in quibus Fridericus II Palatinus anno MCXLV à Lamberto abbate VVerthinenſi, & anno MCXLIV ab abbate VVolframo Kirchbergio eccleſiæ Ludgerianæ advocatus appellatur. Hac familia extincta, Henricus Leo, qui in literis quibusdam Palatinos jam dictos cognatos ſuos nominat, tum arcem Summerſeburgiam occupavit, tum dignitatem advocatiæ Ludgerianæ ſibi ſuiſque vendicavit. Nam ex literis ejus anno MCLXXXII datis diſerte hoc & expreſſe liquet. Erat autem nobilium advocatorum munus princeps, ut eccleſias & monaſteria, & eorundem bona in mundiburdium, ſive tutelam, defenſionemque & patrocinium reciperent. Hanc enim vocis barbaræ interpretationem eſſe, alibi docui: à qua etiam advocati ipſi aliquando mundiburdi, hoc eſt, defenſores dicebantur. Alterum erat, ut oblationes & donationes, à piis hominibus eccleſiis factas, in majorem fidem acceptarent.

Vn-

Vnde illa solennis in literis formula: *Hanc donationem sive traditionem ecclesia, aut præsul, recepit de altari ecclesiæ, per manum sui advocati.* Tertium fuit, ut cognosceret advocatus & jus diceret in caussis criminalibus, super furto, rapinis, stupris, incendiis & id genus delictis, circa quæ occupari homines ecclesiasticos non decebat. In compensationem vero harum molestiarum advocati certos reditus habebant de bonis ecclesiasticis, certa feuda; habebant sportulas, ut vocant, de judiciis, pœnis, bonis damnatorum. Poterant etiam personæ ecclesiasticæ in certis casibus, & de rebus secularibus coram advocato conveniri. Aliquando, ubi ecclesiæ aut monasteria sita erant in territoriis advocatorum, habebant advocati super bona ecclesiastica & in ecclesiæ subditos, jus territorij, collectandi, sequelæ, homagium à subditis exigendi & recipiendi, confiscandi, & plura alia: quæ potestas superior advocatia Iureconsultis vocatur. Atque hinc est, quod jam à tempore Henrici Leonis, quem jus advocatiæ Ludgerianæ sibi suisque dixi vendicasse, successores ejus, Duces Brunsuicenses & Luneburgenses jure hereditario omnia advocatiæ munera in monasterium Ludgerianum & urbem Helmestadium obierunt, omnibus etiam advocatiæ, cumprimis superioris, commodis uti, frui consueverunt: donec præfecturam Senatui opidano oppignorarent, ut infra audietis. Sed revertamur ad Helmestadium. Sine dubio multa, tum de illo, tum de monasterio Ludgeriano olim annotata fuere; ut sensim creverint, & incrementa sumpserint, quæ fuerit utriusque fortuna: sicut earum rerum annales conficere semper monachis usitatum fuit. Verum ista omnia partim temporis injuria interciderunt, partim in totali urbis conflagratione flammis absumpta perierunt. Sed de inflammatione illa mox plura dicemus: sunt interim, quæ ante illam scitu digna accidisse, annotata inveni. Horum unum est, quod Henricus II Imperator augustus, quem Sanctum alij, alij etiam Claudum cognominant, in Italiam contra Arduinum Marchionem, ab Insubribus regem appellatum, copias educturus, festum omnium Sanctorum Helmestadij celebrarit, & exercitum lustrarit. Incidit in annum MIV. Sed & alterum est, quod conflagrationem illam antecessit. Cum monasterium D. Ludgeri ad Orientale urbis Helmestadij latus situm esset, VVolfta-

mus Dynasta Kirchbergius, abbas VVerthinensis & Helmestadiensis cœnobij, anno MCLXXXI ad latus Occidentale, in colliculo urbi fere contiguo, monasterium condidit sacrarum virginum, quod hodie cœnobium Montis D. Mariæ appellatur. Ordinis id est D. Augustini, & Priorissas ab initio habuit, à reformatione Dominas accepit, ut vocant. Fundator obiit tertio à fundatione anno, & in templo à se inchoato terræ mandatus est. De inflammatione, ac tristi ejus combustione res ita habet. Defuncto in Sicilia anno MCXCVII Henrico VI Imperatore, Philippus Sueviæ Dux, Henrici sive filius, seu patruus, Cæsar designatus est. Huic opposuere alij Ottonem Saxoniæ Ducem, Henrici Leonis filium, hoc nomine quartum, id temporis in Anglia viventem. Hoc dissidium toti Germaniæ, cumprimis Saxoniæ, exitiabile fuit. Etenim Ludolfus archiepiscopus Magdeburgius, obscuro loco natus, sed literarum & disciplinarum humaniorum non expers, à Philippo corrumpi se passus, omnibus modis Ottoni adversabatur. Accedebat alia causa, quod nempe metuebat arci & territorio Summersseburgensi. Id enim antecessor ipsius VVichmannus, ab Adela sive Adelheide Alberti ultimi Palatini Summersseburgij filia unica, & tum temporis summa sacerdote Quedlingepurgensi, reclamante Henrico Leone ejusque filiis, sibi compararat, & possidebat. Sic enim persuasus erat, facile futurum Ottoni, si ad Imperium eveheretur, repetere, & in potestatem suam redigere, quæ parenti, Henrico Leoni, per summum nefas ab æmulis erepta fuerant. In quo quidem minime eum opinio fefellit. Arcem enim Summersseburgiam paulo post Henricus Palatinus Rheni, Ottonis frater germanus, occupavit. Quod ut faceret, occasionem ei præbuerat inquietus archiepiscopus, collecto exercitu Brunsuigam, sive ut eam occuparet, seu copias auxilio obsessis missas averteret, summa contentione proficiscens. Sed prævertit eum Palatinus, suasque copias invitis adversariis in urbem deduxit. Dum hæc in Saxonia aguntur, armat se Philippus in Thuringia, & collecto exercitu versus Brunsuigam iter instituit. Erat in castris regiis Ludolfus Magdeburgius Præsul, stipatus multis ex equestri ordine diœcesis suæ. Is ut injurias acceptas, ut putabat, probe vindicaret, toto isto itinere, quæcunque erant Ottonis Cæsaris bona hæreditaria, indigna reli-

religioso homine truculentia, immisericorditer expugnavit, excidit, incendit. Tunc VVarbergum, veteris prosapiæ Baronum arx primaria funditus eversa, Helmestadium direptum & inflammatum est. Coloni in pagis vicinis, magalibus eorum in cineres redactis, alibi hospitium quæsivere. Vnde factum, ut multæ villæ, multique pagi desolati manserint. Incidit clades hæc funesta admodum in annum Christi MCXCIX, cum Helmestadium stetisset annos CCCCXIII, antiquius urbibus vicinis omnibus, Magdeburgo, Goslaria, Halberstadio & Brunsuiga. Vastata tunc sunt omnia, simulque periere antiqua vetustatis priscæ monumenta. Iacuit aliquandiu in ruderibus prostratæ urbis cadaver: verum Antistes VVerthinensis, de subditis suis solicitus, omnem movit lapidem, ut locus in pristinum statum reduceretur. Ea vero in re magnum adjumentum habuit ab Ottone IV Imperatore, ejusq; fratribus Saxoniæ Ducibus. Ampliata tum fuit urbs, & vicinorum pagorum incolæ in eam commigrarunt. Ita plane desolatum mansit VVormstetum, Basdale, Crispenroda, Sedorpium, Strevelingeroda, aliæque villæ vicinæ, quarum nominum adhuc in agris finitimis, & in plateis quibusdam urbis in quas incolæ commigrarunt, supersunt vestigia. Antiquissimæ literæ, post hanc cladem scriptæ, quas quidem videre mihi contigit, adscriptum habent annum MCCXXIIX, in quibus Gerhardus VVerthinensis abbas consuetudines antiquitus usurpatas servari iterum & in posterum retineri concessit. Renovata tunc sunt opificum collegia, uniones vulgo vocant: sic ut lanij confirmationem earum ab abbate jam dicto impetrarint anno MCCXLIV, & triennio post institores, fabri ferrarij, sarcinatores & pelliones. Aliis tamen tardius uniones concessæ, ut pistoribus ab abbate Conrado à Gleichen ad annum MCCCCXIII, carpentariis ad annum MCCCCLXXXIX ab abbate Antonio. Sed revertor, unde digressus fui. Sub abbate Gerardo, quem dixi, concessum est civibus, ut si quis gravatum se à judice crederet, ad Scabinos Magdeburgios ei liceret appellare & litem devolvere. Idem abbas, civium numero augescente, cum pomœria proferrentur, licentiam Senatui dedit, ut templum S. Stephani, quod extra muros erat, mœnibus includeretur. Eam concessionem, quoad templum, ratam

tam habuit Ludolfus Halberstadensium Antistes. Cum vero urbs ita non tantum ampliaretur, sed & muniretur, offendebatur quodammodo VVerthinensis abbas, qui minus munitam urbem mallet; acquievit tamen certis tandem conditionibus, in quibus promittebatur, ut Præsul, quoties VVerthina urbem inviseret, portam unam haberet apertam, civesque adventanti claves in signum subjectionis offerrent, quas abiturus ipsis redderet. Conditionibus utrinque acceptis, muri sunt instaurati, turres ædificatæ plures, & S. Stephani templum mœnibus inclusum. Hoc templo antiquius est alterum, quod S. VValpurgi consecratum: quo tamen tempore id fuerit conditum non inveni. Sub hoc tempus, & quidem anno MCCXXXII, Scabini Helmestadienses monachis Mariæthalensibus, quibus tum præerat Conradus, ejus nominis primus, abbas decimus, privilegium indulserunt, ut, postquam per sanctæ conversationis studia bonum odorem longe lateque spargerent, ac honore simul & favore digni haberentur, quicquid intra terminos urbis donatione vel eruptione acquirerent, sive domos, sive agros, libere susciperent, & possiderent, nihil eorum, quæ jus civile requirit, exsolventes. Vestigia vetustatis in his verbis agnoscitis; transcripsi enim ea ex literis contractus. Emerunt autem monachi mox locum & in eo ædificare cœperunt. Verum angustior is erat, quam vellent, & necessitas forte requirebat, ac proinde de eo ampliando cogitabant. Accidit commodùm, ut VVilhelmus abbas VVerthinensis Helmestadium veniret. Is rogatus à VVasmodo abbate Mariæthalensi, non tantum structuram inchoatam ratam habuit, verum etiam licentiam monachis dedit ædiculas alias coëmendi & loco destinato adjungendi. Fecit præterea potestatem missas ibi legendi, ita tamen, ne inde aliquid detrimenti caperet tam monasterium Ludgerianum, quam Helmestadij ecclesia parochialis. Confirmavit hæc omnia Dux Brunsvicensis Henricus, & consensit Senatus populusque urbis, quem primo ista re offensum, ad concordiam cum monachis reduxerunt Cæsarius San Ludgerianus & Ioannes Montis Divæ Virginis Præpositi. Elapsis ab hoc tempore annis CCXLIV, ex ergastulo hoc monachorum factum est præsens hoc pietatis omnisque eruditionis

nis domicilium, in quo panegyrin hanc celebramus: optimo Principi fundatori gratificante Casparo Schosgio, abbate Mariævallensi, viro erudito & pio, cujus memoria sit in benedictione. Verum ad alia redeo. Dixi jam ante de S. Ludgeri & Divæ Virginis monasteriis, Helmestadio adjacentibus, præter ea in ipso urbis meditullio condi sub hæc tempora aliud cœpit. Origo ejus & occasio sequens fuit. Habebant ædificium in urbe Commendatores Suplinburgij, id ab ijs emerat Senatus anno MCCLXVII. pro extruendo xenodochio pauperum, & honori S. Spiritus consecrabat. Accidit vero ut ex intervallo viginti circiter annorum, fraterculi quidam, sive monachi in urbem nidificatum venirent ex Porta cæli, cœnobio ad silvam Hercyniam, in agro Stolbergico, qui se Eremitas Augustinianos vocant, & D. Augustinum, falso tamen, familiæ suæ patriarcham constituunt. His Senatus xenodochij sui ædes sub certis conditionibus obtulit, eosque qui antea in eo habitabant in suburbium occidentale secedere jussit, atque ibi de habitatione nova ipsis providit. Consensit in hæc Henricus VVerthinensis Præsul, & porro monachis permisit, ut ædes in monasterij formam exædificarent: qui vicissim se singulis mensibus Missam unam pro animabus omnium Christianorum cantaturos, abbatem insuper omnium bonorum operum suorum participem facturos, pro ævi istius superstitione in se receperunt. Facta & ratihabita omnia anno MCCXC. Biennio ante iis erat Henrico Mirabili, Duci Brunsvicensi, cui ditio Grubenhagiensis in divisione patrimoniali obvenerat, cum fratribus germanis Alberto & VVilhelmo. Henricus urbem Helmestadium sibi adjunxit, & in tutelam recepit, pactusque cum ea fuit, se intra biennium nullis cives exactionibus gravaturum, nec cum fratribus velle pacisci, nisi ipsis simul conditionibus pacis inclusis. Albertus & VVilhelmus hac re offensi, urbem obsidione mox cingunt, venitque ipsis auxilio Sigfridus Hildesiensium Episcopus. Verum cum occupari urbs statim non posset, induciæ ab utraque parte ineuntur, si forte durantibus illis res omnes placide componi posset. Mittuntur itaque Legati in urbem, nihil mali sibi metuentes. Quid fit? excitatur à plebe infima & hominibus seditiosis tumultus, occluduntur portæ, & Legati trucidantur. Ita rem narrat Chronicon Hildesiense MStum.

tam habuit Ludolfus Halberstadensium Antistes. Cum vero urbs ita non tantum ampliaretur, sed & muniretur, offendebatur quodammodo VVerthinensis abbas, qui minus munitam urbem mallet; acquievit tamen certis tandem conditionibus, in quibus promittebatur, ut Præsul, quoties VVerthina urbem inviseret, portam unam haberet apertam, civesque adventanti claves in signum subjectionis offerrent, quas abiturus ipsis redderet. Conditionibus utrinque acceptis, muri sunt instaurati, turres ædificatæ plures, & S. Stephani templum mœnibus inclusum. Hoc templo antiquius est alterum, quod S. VValpurgi consecratum: quo tamen tempore id fuerit conditum non inveni. Sub hoc tempus, & quidem anno MCCXXXII, Scabini Helmestadienses monachis Mariæthalensibus, quibus tum præerat Conradus, ejus nominis primus, abbas decimus, privilegium indulserunt, ut, postquam per sanctæ conversationis studia bonum odorem longe lateque spargerent, ac honore simul & favore digni haberentur, quicquid intra terminos urbis donatione vel eruptione acquirerent, sive domos, sive agros, libere susciperent, & possiderent, nihil eorum, quæ jus civile requirit, exsolventes. Vestigia vetustatis in his verbis agnoscitis; transcripsi enim ea ex literis contractus. Emerunt autem monachi mox locum & in eo ædificare cœperunt. Verum angustior is erat, quam vellent, & necessitas forte requirebat, ac proinde de eo ampliando cogitabant. Accidit commodùm, ut VVilhelmus abbas VVerthinensis Helmestadium veniret. Is rogatus à VVasmodo abbate Mariæthalensi, non tantum structuram inchoatam ratam habuit, verum etiam licentiam monachis dedit ædiculas alias coëmendi & loco destinato adjungendi. Fecit præterea potestatem missas ibi legendi, ita tamen, ne inde aliquid detrimenti caperet tam monasterium Ludgerianum, quam Helmestadij ecclesia parochialis. Confirmavit hæc omnia Dux Brunsvicensis Henricus, & consensit Senatus populusque urbis, quem primo ista re offensum, ad concordiam cum monachis reduxerunt Cæsarius San Ludgerianus & Ioannes Montis Divæ Virginis Præpositi. Elapsis ab hoc tempore annis CCXLIV, ex ergastulo hoc monachorum factum est præsens hoc pietatis omnisque eruditionis

nis domicilium, in quo panegyrin hanc celebramus: optimo Principi fundatori gratificante Casparo Schosgio, abbate Mariævallensi, viro erudito & pio, cujus memoria sit in benedictione. Verum ad alia redeo. Dixi jam ante de S. Ludgeri & Divæ Virginis monasteriis, Helmestadio adjacentibus, præter ea in ipso urbis meditullio condi sub hæc tempora aliud cœpit. Origo ejus & occasio sequens fuit. Habebant ædificium in urbe Commendatores Suplinburgij, id ab ijs emerat Senatus anno MCCLXVII. pro extruendo xenodochio pauperum, & honori S.Spiritus consecrabat. Accidit vero ut ex intervallo viginti circiter annorum, fraterculi quidam, sive monachi in urbem nidificatum venirent ex Porta cæli, cœnobio ad silvam Hercyniam, in agro Stolbergico, qui se Eremitas Augustinianos vocant, & D. Augustinum, falso tamen, familiæ suæ patriarcham constituunt. His Senatus xenodochij sui ædes sub certis conditionibus obtulit, eosque qui antea in eo habitabant in suburbium occidentale secedere jussit, atque ibi de habitatione nova ipsis providit. Consensit in hæc Henricus VVerthinensis Præsul, & porro monachis permisit, ut ædes in monasterij formam exædificarent: qui vicissim se singulis mensibus Missam unam pro animabus omnium Christianorum cantaturos, abbatem insuper omnium bonorum operum suorum participem facturos, pro ævi istius superstitione in se receperunt. Facta & ratihabita omnia anno MCCXC. Biennio ante lis erat Henrico Mirabili, Duci Brunsvicensi, cui ditio Grubenhagiensis in divisione patrimoniali obvenerat, cum fratribus germanis Alberto & VVilhelmo. Henricus urbem Helmestadium sibi adjunxit, & in tutelam recepit, pactusque cum ea fuit, se intra biennium nullis cives exactionibus gravaturum, nec cum fratribus velle pacisci, nisi ipsis simul conditionibus pacis inclusis. Albertus & VVilhelmus hac re offensi, urbem obsidione mox cingunt, venitque ipsis auxilio Sigfridus Hildesiensium Episcopus. Verum cum occupari urbs statim non posset, induciæ ab utraque parte ineuntur, si forte durantibus illis res omnes placide componi posset. Mittuntur itaque Legati in urbem, nihil mali sibi metuentes. Quid fit? excitatur à plebe infima & hominibus seditiosis tumultus, occluduntur portæ, & Legati trucidantur. Ita rem narrat Chronicon Hildesiense MStum.

tam habuit Ludolfus Halberstadensium Antistes. Cum vero urbs ita non tantum ampliaretur, sed & muniretur, offendebatur quodammodo VVerthinensis abbas, qui minus munitam urbem mallet; acquievit tamen certis tandem conditionibus, in quibus promittebatur, ut Præsul, quoties VVerthina urbem inviseret, portam unam haberet apertam, civesque adventanti claves in signum subjectionis offerrent, quas abiturus ipsis redderet. Conditionibus utrinque acceptis, muri sunt instaurati, turres ædificatæ plures, & S. Stephani templum mœnibus inclusum. Hoc templo antiquius est alterum, quod S. VValpurgi consecratum: quo tamen tempore id fuerit conditum non inveni. Sub hoc tempus, & quidem anno MCCXXXII, Scabini Helmestadienses monachis Mariæthalensibus, quibus tum præerat Conradus, ejus nominis primus, abbas decimus, privilegium indulserunt, ut, postquam per sanctæ conversationis studia bonum odorem longe lateque spargerent, ac honore simul & favore digni haberentur, quicquid intra terminos urbis donatione vel emptione acquirerent, sive domos, sive agros, libere susciperent, & possiderent, nihil eorum, quæ jus civile requirit, exsolventes. Vestigia vetustatis in his verbis agnoscitis; transcripsi enim ea ex literis contractus. Emerunt autem monachi mox locum & in eo ædificare cœperunt. Verum angustior is erat, quam vellent, & necessitas forte requirebat, ac proinde de eo ampliando cogitabant. Accidit commodùm, ut VVilhelmus abbas VVerthinensis Helmestadium veniret. Is rogatus à VVasmodo abbate Mariæthalensi, non tantum structuram inchoatam ratam habuit, verum etiam licentiam monachis dedit ædiculas alias coëmendi & loco destinato adjungendi. Fecit præterea potestatem missas ibi legendi, ita tamen, ne inde aliquid detrimenti caperet tam monasterium Ludgerianum, quam Helmestadij ecclesia parochialis. Confirmavit hæc omnia Dux Brunsvicensis Henricus, & consensit Senatus populusque urbis, quem primo ista re offensum, ad concordiam cum monachis reduxerunt Cæsarius San Ludgerianus & Ioannes Montis Divæ Virginis Præpositi. Elapsis ab hoc tempore annis CCXLIV, ex ergastulo hoc monachorum factum est præsens hoc pietatis omnisque eruditio-

nis

nis domicilium, in quo panegyrin hanc celebramus: optimo Principi fundatori gratificante Casparo Schosgio, abbate Mariævallensi, viro erudito & pio, cujus memoria sit in benedictione. Verum ad alia redeo. Dixi jam ante de S. Ludgeri & Divæ Virginis monasteriis, Helmestadio adjacentibus, præter ea in ipso urbis meditullio condi sub hæc tempora aliud cœpit. Origo ejus & occasio sequens fuit. Habebant ædificium in urbe Commendatores Suplinburgij, id ab ijs emerat Senatus anno MCCLXVII. pro extruendo xenodochio pauperum, & honori S. Spiritus consecrabat. Accidit vero ut ex intervallo viginti circiter annorum, fraterculi quidam, sive monachi in urbem nidificatum venirent ex Porta cæli, cœnobio ad silvam Hercyniam, in agro Stolbergico, qui se Eremitas Augustinianos vocant, & D. Augustinum, falso tamen, familiæ suæ patriarcham constituunt. His Senatus xenodochij sui ædes sub certis conditionibus obtulit, eosque qui antea in eo habitabant in suburbium occidentale secedere jussit, atque ibi de habitatione nova ipsis providit. Consensit in hæc Henricus VVerthinensis Præsul, & porro monachis permisit, ut ædes in monasterij formam exædificarent: qui vicissim se singulis mensibus Missam unam pro animabus omnium Christianorum cantaturos, abbatem insuper omnium bonorum operum suorum participem facturos, pro ævi istius superstitione in se receperunt. Facta & ratihabita omnia anno MCCXC. Biennio ante iis erat Henrico Mirabili, Duci Brunsvicensi, cui ditio Grubenhagiensis in divisione patrimoniali obvenerat, cum fratribus germanis Alberto & VVilhelmo. Henricus urbem Helmestadium sibi adjunxit, & in tutelam recepit, pactusque cum ea fuit, se intra biennium nullis cives exactionibus gravaturum, nec cum fratribus velle pacisci, nisi ipsis simul conditionibus pacis inclusis. Albertus & VVilhelmus hac re offensi, urbem obsidione mox cingunt, venitque ipsis auxilio Sigfridus Hildesiensium Episcopus. Verum cum occupari urbs statim non posset, induciæ ab utraque parte ineuntur, si forte durantibus illis res omnes placide componi posset. Mittuntur itaque Legati in urbem, nihil mali sibi metuentes. Quid fit? excitatur à plebe infima & hominibus seditiosis tumultus, occluduntur portæ, & Legati trucidantur. Ita rem narrat Chronicon Hildesiense MStum.

 In

tam habuit Ludolfus Halberstadensium Antistes. Cum vero urbs ita non tantum ampliaretur, sed & muniretur, offendebatur quodammodo VVerthinensis abbas, qui minus munitam urbem mallet; acquievit tamen certis tandem conditionibus, in quibus promittebatur, ut Præsul, quoties VVerthina urbem inviseret, portam unam haberet apertam, civesque adventanti claves in signum subjectionis offerrent, quas abiturus ipsis redderet. Conditionibus utrinque acceptis, muri sunt instaurati, turres ædificatæ plures, & S. Stephani templum mœnibus inclusum. Hoc templo antiquius est alterum, quod S. VValpurgi consecratum: quo tamen tempore id fuerit conditum non inveni. Sub hoc tempus, & quidem anno MCCXXXII, Scabini Helmestadienses monachis Mariæthalensibus, quibus tum præerat Conradus, ejus nominis primus, abbas decimus, privilegium indulserunt, ut, postquam per sanctæ conversationis studia bonum odorem longe lateque spargerent, ac honore simul & favore digni haberentur, quicquid intra terminos urbis donatione vel eruptione acquirerent, sive domos, sive agros, libere susciperent, & possiderent, nihil eorum, quæ jus civile requirit, exsolventes. Vestigia vetustatis in his verbis agnoscitis; transcripsi enim ea ex literis contractus. Emerunt autem monachi mox locum & in eo ædificare cœperunt. Verum angustior is erat, quam vellent, & necessitas forte requirebat, ac proinde de eo ampliando cogitabant. Accidit commodùm, ut VVilhelmus abbas VVerthinensis Helmestadium veniret. Is rogatus à VVasmodo abbate Mariæthalensi, non tantum structuram inchoatam ratam habuit, verum etiam licentiam monachis dedit ædiculas alias coëmendi & loco destinato adjungendi. Fecit præterea potestatem missas ibi legendi, ita tamen, ne inde aliquid detrimenti caperet tam monasterium Ludgerianum, quam Helmestadij ecclesia parochialis. Confirmavit hæc omnia Dux Brunsvicensis Henricus, & consensit Senatus populusque urbis, quem primo ista re offensum, ad concordiam cum monachis reduxerunt Cæsarius San Ludgerianus & Ioannes Montis Divæ Virginis Præpositi. Elapsis ab hoc tempore annis CCXLIV, ex ergastulo hoc monachorum factum est præsens hoc pietatis omnisque eruditio-

nis

nis domicilium, in quo panegyrin hanc celebramus: optimo Principi fundatori gratificante Casparo Schofgio, abbate Mariævallensi, viro erudito & pio, cujus memoria sit in benedictione. Verum ad alia redeo. Dixi jam ante de S. Ludgeri & Divæ Virginis monasteriis, Helmestadio adjacentibus, præter ea in ipso urbis meditullio condi sub hæc tempora aliud cœpit. Origo ejus & occasio sequens fuit. Habebant ædificium in urbe Commendatores Suplinburgij, id ab ijs emerat Senatus anno MCCLXVII. pro extruendo xenodochio pauperum, & honori S. Spiritus consecrabat. Accidit vero ut ex intervallo viginti circiter annorum, fraterculi quidam, sive monachi in urbem nidificatum venirent ex Porta cæli, cœnobio ad silvam Hercyniam, in agro Stolbergico, qui se Eremitas Augustinianos vocant, & D. Augustinum, falso tamen, familiæ suæ patriarcham constituunt. His Senatus xenodochij sui ædes sub certis conditionibus obtulit, eosque qui antea in eo habitabant in suburbium occidentale secedere jussit, atque ibi de habitatione nova ipsis providit. Consensit in hæc Henricus VVerthinensis Præsul, & porro monachis permisit, ut ædes in monasterij formam exædificarent: qui vicissim se singulis mensibus Missam unam pro animabus omnium Christianorum cantaturos, abbatem insuper omnium bonorum operum suorum participem facturos, pro ævi istius superstitione in se receperunt. Facta & ratihabita omnia anno MCCXC. Biennio ante lis erat Henrico Mirabili, Duci Brunsvicensi, cui ditio Grubenhagiensis in divisione patrimoniali obvenerat, cum fratribus germanis Alberto & VVilhelmo. Henricus urbem Helmestadium sibi adjunxit, & in tutelam recepit, pactusque cum ea fuit, se intra biennium nullis cives exactionibus gravaturum, nec cum fratribus velle pacisci, nisi ipsis simul conditionibus pacis inclusis. Albertus & VVilhelmus hac re offensi, urbem obsidione mox cingunt, venitque ipsis auxilio Sigfridus Hildesiensium Episcopus. Verum cum occupari urbs statim non posset, induciæ ab utraque parte ineuntur, si forte durantibus illis res omnes placide componi posset. Mittuntur itaque Legati in urbem, nihil mali sibi metuentes. Quid fit? excitatur à plebe infima & hominibus seditiosis tumultus, occluduntur portæ, & Legati trucidantur. Ita rem narrat Chronicon Hildesiense MStum.

nis domicilium, in quo panegyrin hanc celebramus: optimo Principi fundatori gratificante Casparo Schofgio, abbate Mariævallensi, viro erudito & pio, cujus memoria sit in benedictione. Verum ad alia redeo. Dixi jam ante de S. Ludgeri & Divæ Virginis monasteriis, Helmestadio adjacentibus, præter ea in ipso urbis meditullio condi sub hæc tempora aliud cœpit. Origo ejus & occasio sequens fuit. Habebant ædificium in urbe Commendatores Suplinburgij, id ab ijs emerat Senatus anno MCCLXVII. pro extruendo xenodochio pauperum, & honori S. Spiritus consecrabat. Accidit vero ut ex intervallo viginti circiter annorum, fraterculi quidam, sive monachi in urbem nidificatum venirent ex Porta cæli, cœnobio ad silvam Hercyniam, in agro Stolbergico, qui se Eremitas Augustinianos vocant, & D. Augustinum, falso tamen, familiæ suæ patriarcham constituunt. His Senatus xenodochij sui ædes sub certis conditionibus obtulit, eosque qui antea in eo habitabant in suburbium occidentale secedere jussit, atque ibi de habitatione nova ipsis providit. Consensit in hæc Henricus VVerthinensis Præsul, & porro monachis permisit, ut ædes in monasterij formam exædificarent: qui vicissim se singulis mensibus Missam unam pro animabus omnium Christianorum cantaturos, abbatem insuper omnium bonorum operum suorum participem facturos, pro ævi istius superstitione in se receperunt. Facta & ratihabita omnia anno MCCXC. Biennio ante lis erat Henrico Mirabili, Duci Brunsvicensi, cui ditio Grubenhagiensis in divisione patrimoniali obvenerat, cum fratribus germanis Alberto & VVilhelmo. Henricus urbem Helmestadium sibi adjunxit, & in tutelam recepit, pactusque cum ea fuit, se intra biennium nullis cives exactionibus gravaturum, nec cum fratribus velle pacisci, nisi ipsis simul conditionibus pacis inclusis. Albertus & VVilhelmus hac re offensi, urbem obsidione mox cingunt, venitque ipsis auxilio Sigfridus Hildesiensium Episcopus. Verum cum occupari urbs statim non posset, induciæ ab utraque parte ineuntur, si forte durantibus illis res omnes placide componi posset. Mittuntur itaque Legati in urbem, nihil mali sibi metuentes. Quid fit? excitatur à plebe infima & hominibus seditiosis tumultus, occluduntur portæ, & Legati trucidantur. Ita rem narrat Chronicon Hildesiense MStum.

In Catalogo quodam abbatum VVerthinensium additur Ottonem VVarbergium, id temporis abbatem VVerthinensem, ejus nominis secundum, una cum aliis ex nobilitate quibusdam in tumultu illo occisum & in monasterio San-Ludgeriano sepultum. Pessime ob facinus illud audivere Helmestadienses, nec minus Henricus Mirabilis, qui eos tutabatur. Ac licet Imperator omnes ab armis desistere sub pœna banni juberet, non acquievit tamen Henricus, sed continuis ex arce sua Herlingsberga plurimum subinde damni fratribus intulit, donec hi tandem, Principibus aliis in auxilium vocatis, eam vi occupare, & funditus delere cogerentur. Helmestadium vero banno Imperij feriit Imperator, à quo tamen eam mox idem ad intercessionem abbatis VVerthinensis absolvit, & in gratiam recepit per Ottonem Anhaldinum Principem. Factum id anno MCCXC. Anno insequenti; cum porro omnia inter partes componerentur, Ericus Archiepiscopus Magdeburgius; Sigfridus Hildesiensis antistes, Otto Marchio Brandenburgius, Albertus & VVilhelmus Brunsuicensium Duces, & Otto Comes Ascaniensis; interveniente juramento Helmestadienses in juratam pacem, quam diu ea duret, receperunt. Iam tranquilla omnia videbantur, cum hostem inopinatum invenirent Helmestadienses, ex nobili agri Brunsuicensis familia, Ioannem Obergium. Is nescio unde offensus; pro more ejus temporis urbi diffidens, hostem se ipsorum est professus, & multa hostiliter in cives perpetravit. Verum interposuit auctoritatem suam Albertus Dux Brunsvigius, novosque motus in herba suppressit. Factum id anno ordientis seculi decimi quarti primo, qui erat Christi MCCCI. Sexennio abhinc elapso emit Senatus ab Alberto jam dicto suburbium urbis Occidentale, quod Novum forum diximus; cum omni jurisdictione, quam Princeps in eo habuit. Dixi autem jam ante; Senatum à se conditum in urbe xenodochium concessisse fratribus Eremitis Augustinianis, eos vero qui ante in eo habitarant, migrare jussos in suburbium. Suburbio vero jam in Senatus jurisdictionem recepto, petiit hic à Nicolao Præposito & Conventu Montis D. Virginis, quibus jurisdictio ecclesiastica in suburbium competebat, oblatis XL marcis argenti puri, quæ faciunt CCCCXX florenos Rhenanos, ut sibi liceret in eo ædificare Capellam, ut vocant, & altare.

tare in honorem D. Georgij, sub hac tamen conditione, ut Præpositus de sacris in ea celebrandis teneretur, & sanis ægrotisque in xenodochio sacramenta, quoties opus foret, curaret administrari. In hæc omnia consensit VVilhelmus abbas VVerthinensis, & acciderunt anno MCCCXXII. Donarant paullo ante quædam xenodochio huic Albertus & mox Otto Brunsvicensium Duces, & Bertramus à Veltheim miles, & ab oneribus civilibus liberum pronunciarant ipsi suburbij Scabini. Cumque ex intervallo in hostili insultu quopiam xenodochium incenderetur, Burchardus Halberstadiensium Præsul dierum XL inducias, pro loci reædificatione benefactoribus omnibus elargitus est. Factum id anno MCCCXLII, similique liberalitate post annos aliquot successor ipsius Albertus Episcopus erga xenodochium obæratum usus fuit. Hoc tempore gravissimus urbem casus concussit, parumque abfuit, quin plane everterit. Mali initium originem habuit à lanariis seu pannificibus, qui litem movebant mercatoribus, primariis urbis civibus. Modestiores hi, petebant, si quid controversiæ esset, cognosceretur id à judice ordinario. Reclamabant pannifices, tam audacter, quam stolide dicentes: Cum domi sit, nequaquam alibi jus quærendum. Neque hoc contenti, cum sibi opifices conjunxissent omnes, claves portarum invito, & suum jus asserenti Senatui per vim extorserunt: moxque sequente Paschatos festo novos Consules & Senatores, extrusis prioribus constituerunt. Verbis explicari non potest, quanta tum hic fuerit ἀνεξία, & ex ea ἀπεξία, bonis oppressis, malis triumphantibus. Tanta tamque effrenis improborum fuit audacia, ut jactarent, etiamsi Princeps Brunsvicensis, negocij istius caussa, tam perniciosi, quam inauditi, adventaret, non admissuros se ipsum nisi certis conditionibus intervenientibus: quas nisi acciperet, facile inventuros se Dominum, qui mitius imperaret, & cui commodius parerent. Rei fama divulgata VVerthinensis abbas cum Duce Brunsvigio, loci advocato, urbem inopinato & armata manu ingressus est, populoque convocato jussi sunt à rebellibus & seditiosis secedere, quotquot pacem amarent & justitiæ studerent. Paruere saniores & potiores. Dux ipse ex equestri ordine judicem constituit, ac tumultus pestilentis & nefarij auctores publice reos agit. Quatuor ex seditiosis capi-

tis damnati in foro gladio cæsi sunt: nonnulli fuga sibi consuluere, quorum bona publicata; ipsi infamia notati sunt. Incidit hoc in annum MCCCXL. Sedato hoc tumultu, cum efflorescere indies magis magisque urbs cerneretur, dici non potest, quantum nunc hujus, nunc illius ecclesiastici ordinis fraterculi ad eam confluerent, & domicilium sibi quærerent: ad quæ connivebant abbates, nec novos hospites offendere volebant. Senatus vero, cum jampridem eorum satis magnus in urbe numerus esset, & quicquid illi sibi acquirerent & coëmerent, aut ipsis in spem æternæ retributionis (quæ superstitio tum maxime vigebat) donaretur, oneribus publicis sustentandis eximi subtrahique videret, rem publicam non parum detrimenti capere & porro capturam, prudenter conjiciebat. Advocatos igitur suos adierunt, Duces Brunsvicenses, & rem ipsis aperiunt: ex quibus primus DuxMagnus, Pius sive Sangerhusius dictus, dum in tutelam urbem recipit, decreto sancit, ne qui in posterum vel Canonici vel monachi, cujuscunque sint ordinis, præter eos qui id temporis in urbe erant, sedem in ipsa figant, aut nidificent. Factum id anno MCCCXLV. Confirmavit idem MagnusTorquatus, sive Catenatus anno MCCCLXX, OttoDux anno MCCCLXXIX, & porro Fridericus & VVilhelmus fratres ad annum MCCCCLXXIII, omnes Brunsvicenses & Luneburgenses Duces: quorum duo posteriores Helmestadiensibus promiserunt, si feudorũ aliquid Principibus aperiretur, quod sibi illi retinere nollent, sed aliis rursus in feudum concedere, eos præ omnibus aliis Senatus ea in re civiumq; rationem habituros. Sed redimus, unde digressi fuimus. Anno MCCCXLIII Brunsvicenses & Helmestadienses fœdus iniere cum nobilibus agri Brunsvigij sibi vicinis, eo fini, ut si quis ex fœderatis fuerit læsus; omnes pro eo juri se offerant, & rẽ si fieri possit componant, si obtinere vero id nequeant, omnes simul læso summis viribus, ac re consilioq; adsistant. Altero ab hinc anno Senatui Helmestadiensi primum pro certa pecuniæ summa à Magno Brunsvigio Duce oppignorata est suprema urbis præfectura, quæ Advocatorum hactenus erat. Factum idem porro annis subsequentibus à Friderico, Bernardo, Henrico Ducibus Brunsuigiis: Senatu libenter subinde summam pignoris augente, ne reluere illam curarent Principes. Vnde & hodie præfectura illa penes Sena-

tum.

tum manet. Eodem tempore fere, civibus Magdeburgiis lis erat cum nobilitate Archiepiscopæ. Illi fœdere sibi jungebant urbes vicinas Goslariam, Brunsvigam, Quedlinburgam, Halberstadium, Ascherslebium & Halas Saxonum. Dissidium duravit triennio, donec tandem mediantibus Brunsvicensibus, componeretur, omnesque inter se in gratiam redirent. Anno 1358 Ioannes Abbas VVerthinensis ad instantiam senatus, ne cives depauperarentur, abrogavit consuetudinem illam, quâ postulabatur ab exteris, qui uxores ex urbe Helmstadio duxerant, ut nullo unquam id tempore in posterum alicui liceat. Confirmavit id statim Dux Magnus, & biennio post Henricus Abbas, Ioannis successor. Quum vero subinde essent, qui contradicerent, ratum idem habuit Martinus Papa ad annum 1421, & denum Fridericus Imp. Augustus, qui non hoc tantum, sed simul omnia urbis privilegia, quæ ab abbatibus VVerthinensibus vel habuerint, vel habeant, ad annum 1458 confirmavit. Sed revertor ad priora. Anno 1364 Senatus Magdeburgius in literis ad Helmestadienses vehementer incusat Brunsvicenses infidelitatis, quam in octo punctis, quæ recensent, ipsis ostenderint, & ob quæ Magdeburgij passi fuerint damnum 4658 marcarum, rogantque ut Helmst. cognoscant & judicent. Ex intervallo aliquot annorum Ernestus Halberstadiensium Episcopus etiam Schœningenses coram Helmest. incusat, quod damnum sibi dederint 300 marcarum, judiciumque Helmst. requirit. Initium seculi decimi quinti turbulentum admodum fuit, passimque omnia per rapinas & latrocinia acta fuêre. Itaque mox anno 1406 Ludolfus VVarbergius, Henricus & Iohannes Veltheimij, Rudolfus Garssebuttelius, fœdus cum Helmstad. icerunt contra homines malos, ut verba habent literarum, sive quemcunque, qui uni aut alteri molestus esse voluerit. Biennio post hostem Helmstad. habuere Henricum ab Alvenschleben, qui tamen tandem compositionem ipse quæsivit, & civibus ablata restituit. Anno 1420 hostis ipsis fuit Henricus Holtbergius, qui tamen non suo sed Eggerti ab Havensche, Præpositi Hildesiensis nomine hostilitatem exercuit. Quid vero Holtbergio factum, non inveni. Eggertus post paulo ab Episcopo Hildes. Ioanne, cujus vitam dissolutam jussu capituli liberius reprehenderat, Sturvvaldij in carcere trucidatus est. Elapso qua-

quadriennio hostem urbis se professus est Steppe à Mander, sed composuit litem Burchardus Marenholtius. Hostes post triennium mox invenerunt Erenbrechtum & Martinum à Seggerde; sed & hoc litigium sedavit senatus Magdeburgius. Anno 1430 Archiepiscopus Magdeburgicus Guntherus scribit ad Helmstadienses, & quæritur de Senatu Magdeb. quod in sua jurisdictione & in areâ templi cathedralis ædificent, tanquam locis, in quibus nullum ipsis jus esset, ædificando, modisque pluribus aliis incommodent. Vult autem id scire Helmstad. & juri se submissurum contestatur. Quod si vero Magdeb. acquiescere nolint, & ipse irritatus proinde in ipsos aliquid tentet, rogat ut Helmstad. quieti esse velint, nec Magdeb. adesse. Anno 1451 Helmst. fœderi se adsociant, quod inter se icerunt Brunsuic. Magdeb. Goslar. Halberstad. & Quedlinburg. & septennio post idem faciunt cum Goslar. Magdeb. Brunsuic. Halberst. Hallens. Ascaniens. Quedling. Hildesh. Gotting. Stendel. Saltzwedel/ Tangermund. Hannov. Einbecc. Hamel. & Northeim. Anno 1455 dissidium inter Magdeburgenses & Nobiles quosdam Luneburgenses, propter nobilium illorum rapinas & deprædationes ortum, in urbe Helmestadio, per Albertum Abbatem Mariævallensem, tanquam compromissarium, sopitum est. Anno 1463 Abbas VVerthinensis oppignorat Helmst. monetam & Iudæos: at Iudæorum ex intervallo Helmstad. pertæsi, abbati Diderico 500 aureos Rhenan. offerunt, ut iis acceptis post elapsum triennium Iudæos excesse juberet, tùm ex urbe, tum ex utroque suburbio, idque in perpetuum. Anno 1469 Civitates Hanseaticæ Lubeccæ adunatæ scribunt ad Helmestad. notumque ipsis faciunt, quanta acquisierint majores sui privilegia pro mercatoribus & in commune bonum, rogantque, ut ipsi etiam suo loco operam dare velint, ut sarta tecta omnia conserventur. Literæ datæ sunt 1469. Quadriennio abhinc elapso Huno Bartenschlebius hostiliter & sine clarigatione ullâ cum collectâ manu pecora Helmstad. abegit, qui raptores insecuti septem capiunt, inter quos clericus quidam fuit, & ex ministerialibus, ut vocabantur, unus, quos statim in furore illo omnes suspendunt. Sub hæc tempora & subinde ab aliis etiam infestabantur Helmstad. qui hostes se ipsis declarant, ut anno 1474 Hen-

Henricus Velthemius Guntzelij filius, Harbeccæ habitans, anno insequenti VVernerus & Iohannes Schuleburgij. Anno 1483 lis ipsis erat cum Abbate suo Conrado à Gleichen, sed illam composuit Henricus Dux Brunsvicensis. Anno 1486 die Bartholomæi abigebantur Helmstad. pecora ante tres portas, quæ censebantur 1600 fl. Rhen. Fiebat id à Comitibus Honsteiniis & VVunstorpiis, discedentibus è castris Episcopi Magdeb. & Halberstad. qui Halberstadium obsidebat, sciente, ut putabatur, Episcopo. Insequebantur abactores Helmstad. & forte omnia recepissent: verum persuasi, ut redirent, & prius circa templum S. Stephani processionem instituerent, assequi raptores non potuere. Ex intervallo cum Henrico Brunsvic. Duce Comitibus illis vicissim pecora abigebant, sed parvo cum fructu eorum, qui sua perdiderant. Eodem anno 1486 & Monasterium & urbs Helmestad. hostem habuit Ottonem à Badendieck. Postremo addam nunc aliquid, de insigni ista mutatione, quæ incidit in annum conditæ hujus urbis septingentesimum: quâ mutatione urbs antiquissima, jure antiquo gaudens, nullisque oneribus gravata, liberrima penè, sed insolescens, in potestatem alienam pervenit; suo quodam fato, ut creditum fuit, admodum ancipiti, verùm, ut ostendit eventus, verè exoptato & fructuoso. Occasio hæc fuit: Antonius VVerthinensis antistes ab Imper. Friderico III ad comitia Imperij Francofurti ad Mœnum indicta evocabatur. Verùm sumptus ad iter hoc necessarij non erant in promptu. Helmestadienses rogati, ut principi suo operâ & ope subvenirent, paullo inconsultius utrumque denegarunt. Ægerrimè tulit Abbas repulsam, atque è vestigio in Saxoniam profectus de urbe alienandâ cogitare cœpit. Memorant annales primum adiisse Groningam & episcopo Halberstadensi Gebhardo Hoimio urbem obtulisse, qui cum sciscitaretur, cur urbem non exiguam ita præcipiti consilio divendere vellet, respondit Abbas: *Helmestadenses nolle amplius monachorum esse filios.* Episcopus homo facetus non ineptè subjecit; *ergo etiam sacrificorum filij esse recusabunt.* Sic re infectâ illinc discedens abbas VVolffenbutelum se contulit, ubi emptorem invenit avidissimum VVilhelmum Iuniorem Brunsuicensem Ducem, hactenus urbis advocatum, sive præfectum & tutorem. Huic certo pretio vendidit urbem unà cum curiâ

(Vide chron. Riddag. p. 81.)

riâ

riâ sive aulâ Abbatis, quæ deinceps Mynsingeris cessit, præterea omnes clientelas sive feuda, quæ ad monasterium S. Ludgerianum antiquitus spectabant, reservatâ tantùm sibi ac successoribus beneficiis Ecclesiasticis ac jure patronatus. Annus tum agebatur à Christo nato millesimus, quadringentesimus, nonagesimus: qui, ut memini, urbis conditæ erat septingentesimus. Ingressus est urbem princeps postridie Pantaleonis, promissáque veterum privilegiorum conservatione juramentum fidelitatis ab oppidanis recepit. Et tum facti sunt Ducum filij, dictumq; ipsis est, ut cochlearia culinæ ex insignibus delerent, & galeam pro iis & leonem usurparent, & in monetâ procuderent. Crantzius in Metropoli hæc commemorans suo more, utpote principibus parum æquus & homo de scholâ Politicarum rerum non satis gnarus, ineptè hæc addit: *Pœnituit oppidanos mutasse dominum: sed quando ranæ regem contempsere ignavum, accepere pro illo ciconiam, quæ regit in virgâ ferreâ subjectos.* Superbè satis Crantzius, dicam impiè! Non potuit pœnitere oppidanos, neque etiamnum pœnitet præsentis status: nam, si quis rem perpendit, is necesse habet fateatur singulari providentiâ Dei factam esse hanc venditionem. Quî enim urbs hæc in istis tumultibus bellicis, qui subsecuti sunt tuta esse potuisset, nisi potentem istum dominum defensorem habuisset? Objecta fuisset petulantiæ & libidini quorumvis grassatorum destituta defensore, qui procul aberat, ipse imbecillis. Non dicam nunc de ingenti & incomparabili beneficio quod hisce nostris temporibus accepit, cum id ipsum proximè factum sit: utinam eo rectè utatur, Deique omnipotentis benedictionem gratâ mente agnoscat, ac prædicet. Sed redeo ad alia. Anno 1520 domus Carmelitarum in platea Beginarũ erecta est, uti dilucidè ostendit sequens inscriptio:

Stirpis Olympiacæ sesqui millesimus annus,
Bisq; duo cursus lustra dedere suos:
Erigitur speciosa domus, quam candida sacri
Carmeli soboles vatifer ordo struit.
Huc Tua Johannes Gennep, tua docte Georgi
Parta refers Drosen, pulcrius herclè nihil.

Et:

Et tantum de Helmestadio hujus inclytæ Iuliæ nostræ hospitio non incommodo. Plura mihi essent ad manus. Sed tempus non patitur me prolixiorem esse: neque deerit vobis occasio ista coagmentandi, ut cognoscatis omnia.

IODOCO GOGREVIO BILFELDENSI IOANNI BECMANNO SPROCKHOVELDENSI
Novis Doctoribus 1582.

EN erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem,
Virtutes, moresque bonos, titulosque faventes,
Et stabilem famam, nomenque perennius ære.
Dignos laude viros mors invidiosior æquo
Nequicquam violat, sed cœli conscia virtus
AEternas in luce moras largitur, & atri
Funeris expertes venturis inserit annis.
Fortunati ambo, quorum virtutis amore
Incaluere animi: quos non de tramite pulsos
Stravit humi luxus, luxuque potentior omni
Prodiga segnities, jussis excussit habenis.
Sed probitas, & sancta fides, candorq; venustus,
Vitaq; labe carens, metuens nec ab hoste notari,
Extulit ad summos, ut res ostendit, honores.
Ergo age promeritas non inscia texere laudes,
Tristitiam tege, Musa tuam, vultuq; sereno
Ad delubra veni: solennes dicere pompas
Et decet & fas est, fors non temerarius autor,
Immemor invidiæ, tenues non respuet ausus:
Crescentemq; nova decorabit laude Poëtam.
Sat Musis meruisse legi: nihil amplius illis
Secula naturam ferri referentia spondent.
Qui patienda tenet, tolerantius omnia perfert.
Quisquis es hic nostris hospes peregrinus in oris,
Atque oculis, rerum ignarus, circum omnia lustras,
Disce age, quam vario currant momenta tenore,
Quantum ævi spaciosa queat mutare vetustas.
Hæc nemora, hos colles, & cinctam mœnibus urbem,

Armipotens Mavors, & nobilis ægide Pallas
Incoluit quondam, bellique fideliter usum
Edocuit cives; cuncti se scire fatentur.
Sanguineis postes clypeis, spoliisq; superbi
Fulgebant, victis detractaq; ab hostibus arma,
Fornice sub templi passim suspensa nitebant.
Quin etiam Mavors, si fama est integra, bello
Lassatus, *galeam* & clypei septemplicis orbem,
Detulit huc condens: ut quondam regia Iuno
Arma sua, & currus Tyria servabat in urbe.
Nostra nec urbs alia deducit origine nomen.
At fuit infelix status ejus, & omnia pessum
Ire videbantur, recto & contraria ferri.
Pax fidei, veriq; tenax; mala bellua bellum,
Vertit, & evertit justos pietatis honores.
His animadversis, cithara præclarus eburna
Cui Claros, & Tenedos, Pataræaq; regia servit,
Indoluit Phœbus, raptoq; invidit honori.
AEmula sunt etiam divorum pectora, quondam
Iuppiter in Trojam, pro Troja stabat Apollo.
Noluit ipse Iovi concedere Terminus alto.
Et quia barbaries, nec non fanaticus error
Leucoreos fontes, ripasq; fluentis Elistri:
Atq; lacus Nicri, vetitis temeraverat ausis.
Suasit Apollo fugam, notasq; relinquere sedes.
Quum mox unanimes nymfæ, Dryadesq; Napææq;
Vndiq; conveniunt, animis opibusq; paratæ,
In quascunq; velit rursus deducere sedes.
Omnia tentanti potior sententia visa est,
Palladis hospitium, torviq; palatia Martis,
Ni vetet augurium, fatis intrare secundis.
Vt scriptura Dei dignatur nomine reges,
Pectora sic gestant fatorum conscia, noruntq;
Omnia, quæ fuerint, quæ post ventura trahantur.
Agnovit longe adventum, cœptusq; Deorum,
Iulius Heroum soboles, flos aureus orbis,
Gnaviter & cessas educit ad æthera moles.

Quid

Quid memorem census collataq; jura? quid actos
Omnibus è terris præstantes arte Magistros?
Saxoniæ interea magnas it fama per urbes,
Advenisse diem, quo duri regia Martis
Excipiat Musas, devotaq; pectora Musis.
Ingeminant Nymphæ plausus, & Naiades udæ,
Muscosiq; lacus, respondent omnia silvæ.
Sidera quin illa fulserunt ignea luce,
Conscia fortunæ melioris: spica tenellæ
Virginis in medij lucebat cuspide cœli:
Cum Iove torta subit rubicundi cauda LEONIS:
Ad Boream Veneri comes it Libra, Pegasus alam
Explicat, atq; ortus molitur cum Iove faustos.
At Procyon nitidæ comitatur cornua Lunæ.
Nec mora: crinito faciles cum principe Musæ,
Invadunt urbem, rebusq; virisq; superbam.
Ex illo fluere, & retro sublapsa referri
Barbaries, flexi mores, stabilita venustas.
Vix positæ sumptu sedes, venere frequentes
Egregij juvenes, præclaræ laudis egentes.
Et nunc Leucoreas illustris *Iuliæ* nymfas,
(Sic placuit Phœbo collatos propter honores
Principis excelsi de nomine sumere nomen,)
Naiades & Rheni, natasq; binominis Istri
Provocat, & Solymæ & doctis contendit Athenis.
Vix sextus plenis effluxit mensibus annus,
Interea quoties teneræ data laurea pubi
Longa referre mora est: vidi & vidisse fatebor,
Insignes virtute viros, seu jura professos,
Seu medicas artes delusa morte superbas,
Sive sacram Sophiam patefactaq; dogmata cœlo,
Dulciter ambitæ venisse ad præmia laudis.
Nunc quoq; purpureæ dulci pro tegmine mitræ,
Exigui numero juvenes, lectissima corda,
Adsunt, optatæq; petunt insignia palmæ.
Felices animæ, potuit quæ maxima virtus
Esse, fuit, studiis jam non indebita vestris

 Posci-

Poscitis, hoc virtus meruit, meruere labores.
Quare agite, ut lætas percellant gaudia mentes
Altius, hos ritus, & quæ solennia præses
HORSTIVS, ingenij quem dives acumen, & artis
Copia, Nestoreæq; decens facundia linguæ
Evehit ad superos; cathedra sublimis ab alta
Expediet, vigili mecum perpendite mente
Signorumq; notas obscuraq; discite sensa.
Principio Cathedram, suggestaq; sancta severæ
Scandite justiciæ, jam vobis facta docendi
Copia, solerti quicquid mens impigra nixu
Hactenus addidicit, patefactis ordine rivis
Effluat, & latos fœcundet pinguiter agros.
Clausa manu dextra tractare VOLVMINA; recte
Qui sua perdidicit, percepta docere laborat,
Ferre homines nihil attonitus, penitusq; repostos
Promit honoratos de fundo divite fructus.
Ne tamen ignarum stultis affectibus error
Devius abducat, non cognita strenuus haurit,
Nocturnaq; manu libros versatq; diurna.
Nec pudeat Tyrio fulgentem murice MITRAM
Aureolis gestare comis; hoc, sana vetustas,
Indice, doctores vili discernere vulgo
Suevit, & oblatæ committere munia spartæ.
Dumq; datur capiti, capitum fulcire salutem
Admonet, insontes tegere, & damnare protervos.
Atq; ut cara suo sociatur sponsa marito,
Sic vobis datur alma Themis, ne differat ardor
Vester, ab illius desumite moribus usum.
ANNVLVS id monstrat, roseis porrectaq; malis
OSCVLA. quid gemmis? quid claro purius auro?
Suavius aut labris adamatæ virginis? esto
Par amor in vobis, retinendæ curaq; pacis:
Par animi facies, non ulli subjuga labi.
Sic erit, ut doctas qui nutrit & adjuvat artes,
Promeritis reddatur honos, opulentaq; merces
Otia tranquillæ pariat gratissima vitæ.

FINIS.

ORATIO
de origine, dignitate & officio
CANCELLARIORUM
ACADEMICORUM,
Anno M. DC. XII. XVII. Kalend. Quintilis,
habita in illustri Iulia

ab

HENRICO MEIBOMIO,
Poëtâ & Historico:

Cum quintùm Procancellarius

V. CL.mo CORNELIO MARTINO,
Facultatis Artium & Sapientiæ
DECANO,

Potestatem faceret tribuendi insignia Magisterij
& Doctura Philosophicæ
X V.
honestis & doctis viris.

Eruditione, virtute, & fide præstanti viro,

THEODORO BLOCCIO,

Serenissimi Brunsuicensium Ducis Secretario, amico meo.

PLurium nunc annorum est familiaritas & necessitudo nostra, BLOCCI suavissime, nata in hoc litteratorum Gymnasio Iulio, in quo ego jam annos triginta duos publicè doceo: tu ibidem studia, alibi feliciter cœpta, continuare, & finire quodammodo voluisti. Dedimus autem utrinque hactenus operam, ut conjunctio illa animorum nostrorum mutuis indies officiis confirmaretur, adeoque incrementi aliquid acciperet. In quâ honestâ contentione, ne inferior te videar, imò ut aliis quanti à me fias cognitum faciam, hanc meam oratiunculam tuo nomini inscriptam dias in luminis oras extrudere volui. Placuit cùm recitaretur: neq; ab uno interea, sed à multis efflagitata fuit: quin tu igitur eam, quippe quæ ab amico proficiscatur, approbaturus sis, nihil equidem dubitabo. Habe igitur hoc amoris mei erga te pignus, quantumq; potes meis laboribus & studiis fave ac commoda. Vale. Dabam Helmæstadij Kalend. April. Anno 1615.

Tui studiosiss.

Henricus Meibomius.

ORA.

ORATIO
De Origine & officio Cancellariorum Academicorum.

MAgnifice Dn. Prorector, nobilissimi hospites, reverendi, clarissimi, consultissimi excellentissimique viri, Patres academici, professores solertissimi, collegæ & amici honorandi, vosque juvenes ingenui, lectissimi, ornatissimi; Anni sunt hodie plus minus octingenti triginta, cùm *Karolus*, ejus nominis primus, Occidentis Imperator, bello Saxonico, diuturno illo & gravi, quodque inter Francos & Saxones, æquali animorum contentione, fortunâ dispari, eventu auspicato, gestum est, feliciter & ex animi sententiâ confecto, in florentissimis hisce utriusque Saxoniæ, Cis & Trans-Veseranæ, provinciis, Christianismum plantare cœpit.

Quanquam enim multò antè ejus in Saxoniâ fundamenta jacta fuissent per *Ægistum*, qui ex septuaginta discipulis Christi fuisse, & cum *Mariano* Diacono à Saxonibus, quibus Evangelium de filio Dei annunciabat, capite truncatus, & Bardevici sepulturæ traditus scribitur: pertinaciâ tamen & obstinatione gentis barbaræ, religionem, uti volebant, novitiam, planèque rationi contrariam aversantis, continuis etiam atrocibusque vicinorum populorum, suæ non minus Idolomaniæ & superstitioni inhærentium, impressionibus factum est, ut religiosa ista sementis in herbâ, quod dicitur, suffocata fuerit. Nec *Evvaldis* duobus, ex sanguine Saxonico in Angliâ natis, quorum alter Nigri, alter Albi, propter capillorum colorem, cognomen habuit, ea fuit felicitas, ut apud transmarinos populares doctrinam Christi propagare possent: cæsi enim sunt ambo in agro Hoiensi non procul à Visurgi: humati Coloniæ Agrippinæ.

Notus præterea Divi *Bonifacÿ* itidem Saxo-britanni Apostolatus: sed qui intra Frisiorum, Thuringorumque fines sese continens in Saxonibus parum, aut nihil, potuerit. Reservabant nimirum

rum fata Karolo, quem dixi, Francici generis principi pientissimo, incomparabilem hanc gloriam, ut Saxonum gentem, tentatam pluribus, domitam nulli, omnisque externi juris & imperij impatientem, non bellis, (quoniã frustra id esset,) sed humanitate, mansuetudine, beneficentiâ & liberalitate, ad lene placidumque Christi redemtoris jugum adduceret. In quo negocio, æque pio ac glorioso, eum sane se exhibuit, ut cum præstantissimis veritatis Euangelicæ vindicibus, ac militantis Ecclesiæ nutritiis liberalissimis, Constantino, ac Theodosio, addo etiam Iosaphato & Ezechiâ comparari possit.

Etenim cùm pro heroicâ incredibilique sapientiâ suâ facilè prospiceret, religionem Christianam, nec rite rectèque doceri, neque feliciter fideliterque propagari posse, nisi scholæ docentium ac discentium magno numero passim, & in totâ regione instituerentur, annuisque proventibus, unde honestè se alerent, donarentur: utrumque negocium magnâ solicitudine ac largitate procuravit, expedivit. Instituit per porrectam latamque provinciam ecclesias, ut vetustas locuta est, *Cathedrales*: in quibus ex cathedrâ verbum Dei, ac proximè & secundùm illud artes liberales linguæque primariæ, Hebræa, videlicet, Græca & Latina, in ipsâ cruce filij Dei sanctificatæ, assiduè & sine intermissione ab idoneis magistris proponerentur. Addidit *Canonicos*, hoc est, canonicæ scripturæ interpretes, non paucos: quibus omnibus præfecit certos inspectores, tùm laborum moderatores, tùm morum censores. Erant hi *Præpositus, Decanus, Scholasticus, Cantor*, aliique: singuli munere aliquo peculiari honoratoque illustres, apud omnes auctoritate venerabiles. Omnibus hisce eminentior universo collegio præerat *Episcopus*, & doctrinâ, & vitæ sanctimoniâ præ aliis insignis.

Secundum istas cathedrales ecclesias idem Imperator instituit *monasteria*, sive *cœnobia*: quæ tum temporis nihil erant aliud, quàm phrontisteria, lauræ & asceteria, ut veteres nominarunt: videlicet loca sacra, in quibus præter continua pietatis exercitia, juventus veram de Deo doctrinam, simulque artes & linguas necessarias quotidie addisceret, seque ad operam communi patriæ utiliter navandam paratiorem promtioremque redderet.

Hac

Hac ratione optimus sapientissimusque Heros veræ fidei propagationi, regnique Christi amplificationi rectè consuli persuasum habebat: neque opinione suâ falsus est. Per hæc enim media abolitus paullatim paganismus: emollita gens hactenùs intractabilis & effera: barbarie sublatâ introducta humanitas: & quæ rei caput instarque omnium est, stabilita confirmataque vera & sincera religio.

Verùm cùm in rebus humanis nihil sit firmum ac perpetuum, omniaque fatis in peius ruant, & retrò sublapsa ferantur, etiam hoc admodum sapiens maturumque pientissimi Imperatoris institutum, pari studio honestâque æmulatione ab aliis Deum verè & ex animo timentibus Regibus, Principibus ac Dynastis continuatum, à primitivâ origine pessimè degeneravit. Etenim, ut de Episcopis nihil nunc dicam, Canonici, quos dixi, immodicâ piorum magistratuum largitate supra modum locupletati, officium docendi, visitandi, commentandique, cui se seriò adstrinxerant, primùm tanquam humile nimis negligere, ac fastidire: deinde velut abjectum sordidumque palàm aversari cœperunt, solis contenti horis canonicis: quarum paullo pòst pertæsi vicarios & chorales sibi surrogarunt. Nec dispar de monachis, Benedictinis præsertim (siquidem hi penè soli regnum tenere visi) eventus repetitur. Vnde factum, ut religionem invaserit teterrimum chaos superstitionum & corruptelarum: litteras & artes detestanda & profligata barbaries: linguæ Hebræa & Græca conticuerint planè: Latina supra modum fidemque sordidata fuerit, polluta & inquinata.

Actum igitur erat de religione: actum de litterarum studiis, linguis, disciplinis. Mendicantes quidem monachi, (quamvis doctrinæ cœlestis interitum fatalem susque deque haberent,) scholis institutis ad studia, qualiacunque ea essent, retinenda & conservanda longè post animum intendebant: sed quòd *opera operata*, quæ vocantur, ipsos cotidie distinerent; præterea omnis segnitiei monasticæ origo & fomes Francisci Assisiatis, nudipedum Patriarchæ, Canon, qui talis est; *Nescientes non curent litteras discere*, accederet, eorum etiam conatus infelices nulliusque fuere fructus.

Quia verò nec mundus sine Sole esse, neque Ecclesia sine scholis (cùm alteriùs altera res opem poscat, adeoque inter se amicè

conjurent) consistere, nedum vigere & florere possit: idcirco pij Imperatores, Reges & Principes, rerum istarum intelligentes, de studiis litterarum penè profligatis in Germaniâ retinendis restituendisque regali fastigio heroicisque animis dignam curam susceperunt. *Lotharium* Saxonem Augustum regni brevitas exclusit, etsi juris Romani restitutionem, tam cathedræ, quàm dicasteria ei se debere hactenus crediderint. *Friderico Barbarossæ*, principi magnanimo & intelligenti, Pontificum Romanorum furiæ plusquam immanes, pacem, ejusque fructum, litterarum videlicet patrocinium & promotionem inviderunt. *Fridericus Secundus*, primi nepos, excelso providoque animo, quod pernecessarium maximè arbitratus est, feliciter effectum dedit. Primam enim scholam universalem, sive academiam in Germaniâ instituit Viennæ ad Danubium: & quidem exemplo Karoli magni: qui in Galliis Parisiensem: in Italiâ Ticinensem condidit academiam; Bononiensem collapsam instauravit.

Facto ad eum modum feliciter initio, litteræ earumque cultores alibi etiam invenere hospitia, patronos & nutritores. Nam Viennensem scholam excepere Pragensis in antiquâ Bojorum patria: Heidelbergensis ad Nicrum: Coloniensis in Vbiis ad Rhenum: Erfordiensis in Thuringiâ. De reliquis nihil dicam: cùm tempus id non patiatur, nec in vobis sit, qui hæc ignoret, vel aliunde commodiùs scire non possit.

Hisce verò scholis regiis, quas à Platonis officinâ litterariâ constanter Academias appellamus, proximè & secundùm *Rectorem*, summum & augustum totius litterati cœtus caput, datus tum est inspector, ἱεροδιώκτης & censor perpetuus: cujus munus erat, dare operam, ne contra leges & statuta vel minimum committeretur; sed omnia secundum regulam Paullinam εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν decenter & ordine peragerentur. Dicebatur ille *Cancellarius*, vocabulo, nec nupero, nec tamen admodum veteri: quod primus, nisi fallor, usurpavit Flavius Vopiscus in vitâ Carini Imper. De vocis ipsius exilitate, rei amplitudinem nequaquam exprimente, exstat epistola excellentissimi Iurisconsulti & Antecessoris Ioannis Oldendorpij, ad quam lectorem remitto.

Verùm quia munus illud academicum, de quo dixi, erat per-

ardu-

arduum invidiæque obnoxium, Pontifice Romano, cujus tum absoluta erat potestas, sanciente, commendatum est personis Ecclesiasticis, iisque in aliquo eminentiori magisque conspicuo dignitatis ac honoris fastigio constitutis. Sic Coloniensi academiæ datus est Cancellarius Episcopus Cyrenensis, suffraganeus sive Vicarius ecclesiasticus Vbiorum archiantistitis: Heidelbergensis accepit Cancellarium Præpositum VVormatiensem: Tubingensis itidem Præpositum collegij ejus loci: VVitebergensis Præceptorem domus Pretinensis S. Antonij prope Lichtenbergam ad Albim. Reliquæ ut plurimùm Episcopos habuere Cancellarios: Lipsensis Mersepurgensem: Rostochiana Suerinensem: Griphsvvaldensis Caminensem: Francofordiana Lebusiensem: Ingolstadiana Eichstadensem: Basiliensis ejus loci Antistitem.

Cumque paullò antè, imperante Lothario Saxone, vel circa ipsum tempus institutarum in Germaniâ Academiarum, maturo & prudenti consilio introductus esset mos tribuendi publica exploratæ eruditionis vitæque cognitæ testimonia, puta gradus Doctoræ, Magisterij & Baccalaureatus, idque in omnibus facultatibus, Theologicâ, Iuridicâ, Medicâ & Philosophicâ, Cancellarij Academici officium cumprimis hoc erat, providere & operam dare, ne amplissimi isti honores ac dignitates hominibus traderentur indignis, atq; per eam sive negligentẽ incuriam, sive temerariã audaciã homines inepti, rudes ac stolidi, docendi caussâ in cathedras publicas prosilirent. Vnde non licebat Decanis sive promotoribus, memoratos illos honorũ gradus, ceu virtutis & doctrinæ auctoramenta, Candidatis, quamvis privatim publicèq; rigorosè examinatis, solenniter impertiri & tribuere: nisi Cancellarij, de singulorũ natalibus, vitâ anteactâ, moribusq;, & maturâ eruditione sufficienter edocti, auctoritas accederet & consensus, isq; palàm declaratus, auditusque. Quæ res, ut ordinis Scholastici dignitatẽ & existimationẽ mirificè auxit, ita fructu emolumentoq; neutiquã caruit.

Illustrem hanc Iuliam Academiam cùm ante annos sex & triginta Divus *Iulius*, Brunsvicensium & Lunæburgensium Dux serenissimus (impetratis priùs, à Cæsareâ Majestate, Maximiliano secundo, privilegiis amplissimis: ab ordinibus Ducatus hujus ad alendos professores censu dotali peramplo) solemnibus ceremoniis

pompaque illustri in hanc urbem introduxisset, traditoque Prorectori designato diplomate Augustali ac donationum litteris, plenè confirmasset, munus sive officium Cancellarij sibi suisque posteris ac successoribus integrum reservavit. Norat optimus, rerumque gerendarum scientissimus Princeps, quid ante annos circiter quadraginta apud Suevos in illustrissimorum *VVirtenbergensium* Ducum (unde ei materna origo) academiâ Tubingensi evenisset. Quæ cùm Pontificiis superstitionibus profligatis veram de Deo fidem professa esset, Cancellarium suum, quem Præpositum ejus loci esse diximus, religioni à majoribus acceptæ pertinaciter inhærentem, offendit gravissimè. Qui urbe excedens furibundus collegiis profitentium facultatem optimarum artium & disciplinarum, potestatem, ut meritis conferrent honores & concederent titulos dignitatum scholasticarum, indulgere obstinatè recusabat. Nec patiebatur se mitigari, quamvis præcipui ad eum ex Academiâ missi, & agerent negocium cum reverentiâ personæ ipsius debitâ humanissimè, & nihil proficientes testati de jure Academiæ discederent. Prætendebatur autem in negando mutatio status Ecclesiastici & Politici, quem sine Romani Pontificis permissione & veniâ approbare adjuvareque sibi minimè licere ille affirmabat. Consulti super hoc negocio eruditi quique per Germaniam, & inter hos Philippus Melanthon, cujus tum temporis ea per universam Germaniam erat auctoritas, ut omnes Scholæ οἰκουμενικὸν διδάσκαλον agnoscerent. Qui quid responderit consulueritque, docet ejus de hoc negocio Epistola ad Tubingenses, quæ exstat: docet narratio historica Ioachimi Camerarij de vitâ Melanthonis.

Commendavit autem Divus Iulius fundator novæ Academiæ (quam Cæsareâ majestate clementissimè approbante de suo nomine *Iuliam* appellari voluit) munus Cancellarij Academici filio primogenito Henrico-Iulio, designato Episcopo Halberstadensi: ut, qui de ejusdem magni Imperatoris prolixâ voluntate fasces Scholasticos, sive Rectoratum, primus meruisset, is officium hoc, altero non inferiùs, sed æque splendidum augustumque, pari dexteritate fideque administraret.

Quâ verò cum laude clementiæ, humanitatis ac beneficentiæ

hanc

hanc suam spartam, tanquam felix subsecuturæ gubernationis tyrocinium, ejus Excelsitas obierit, testes plæriqüe nostrûm esse possumus.

Vidimus optimum Principem annum ætatis duodecimum complentem, postridie Introductionis Academiæ patriæ, Facultatis Philosophicæ: biennio post Collegij Theologici, Decanis spectabilibus habitis elegantibus ac cœlesti illo, annisq; suis velociore ingenio dignis, orationibus, Candidatis honores petitos conferendi potestatem publicè concessisse: atque hæc vivo conscioque parente illustrissimo. Post cujus beatum ex hac vitâ in cœlestem aulam excessum, cùm moles gubernationis amplissimæ regionis ad ipsius Excelsitatem devoluta esset, quoties de hujusmodi promotionibus (sic enim vulgò loquimur) Scholasticis (quarum elapsis *triginta sex* annis in superioribus tribus facultatibus *duodequadraginta*: in Philosophicâ reliquarum basi *triginta septem*, Deo optimo maximo labores nostros felicitante, celebravimus) Excelsitas ejus per litteras submisse debitâque cum reverentiâ edocta fuit, divinum istum Principem panegyres nostras Iulias singulari clementiâ, pronoque favore & respectu planè propitio, dignatum prosecutumque grato animo meminimus, prædicamus. μεγάλη χάρις αὐτῷ.

Ad præsentem hunc actum quod attinet, cùm per rescriptum aulicum vices Magnificentissimi hujus Cancellarij, Domini Henrici-Iulij, Episcopi Halberstadensis, Ducis Brunsvicensis & Lunæburgensis, nutritoris & Euergetæ nostri clementissimi, hodie mihi demandatæ sint, tuque vir spectabilis, clarissime & præstantissime, Decane ac promotor dignissime, compater & collega plurimum colende, meam opem & operam in hoc honestissimo tuo candidatorumque tuorum negocio communi nomine implores; equidem non video cur vobis refrager, cur quod petitis abnegem. Novi horum, quos nobis nunc sistis, Candidatorum vitam & mores: eruditionem, quâ pollent, in utroque examine, tam publico, quàm privato, cum collegis exploravi, omnique favore ac benevolentiâ dignam censui. Multus esse non debeo, neque volo; hoc saltim dico: gratulari me Academiæ: prædicare benedictionem divinam: gaudere mihi ex animo. De tuâ etiam, spectabilis & clarissime,

me vir, in toto hoc negocio fide & integritate, si opus esset, testimonium perhibere possem sanè luculentum.

Pro eâ igitur auctoritate, quâ indultu Cæsareo & Ducali in præsentiâ fungor, tibi spectabilis Dn. Decane, promotor dignissime, potestatem facio hisce quindecim honestissimis doctissimisq; viris tribuendi gradum & insignia Magisterij ac Doctur æ in artibus & Philosophiâ: conferendi etiam omnia & singula privilegia, indulta ac immunitates, quas sacer ordo noster ab augustissimis Cæsaribus, regibus potentissimis, summisque principibus virtute & meritis suis obtinuit.

Filius Dei & Mariæ unigenitus, Christus Iesus, coæterni Patris sapientia & interpres, qui anno ætatis suæ duodecimo in templo Hierosolymitano, ἐν μέσῳ διδασκάλων ἀκούων αὐτῶν καὶ ἐπερωτῶν αὐτούς, in medio magistrorum, eos audiens & interrogans, omnibus acumen ejus & interrogationes stupentibus, conspici: atque hoc modo ordinem, tam docentium, quàm discentium, laboresque scholasticos & exercitia universa, sanctificare non dedignatus est: hactenus etiam contra perniciosos Diaboli, ejusque satellitum, hominum fanaticorum & agrestium, violentas fraudulentasque molitiones, Academias & scholas bene constitutas, clementi suâ tutelâ ac patrocinio conservavit, atque etiamnum conservat hodie: ille idem hanc Sareptam Iuliam, Spiritus sancti officinam, omniumque virtutum ac doctrinarum palæstram, clementissimè tueatur ac defendat: serenissimum etiam Nutritium nostrum, cum regiâ conjuge, liberisque generosissimis, benignè protegat: pacem & tranquillitatem beatissimis hisce Saxoniæ inferioris regionibus misericorditer indulgeat: labores & conatus nostros ita feliciter, regat ac fortunet, ut nunquam non ipsi grata, Ecclesiæ verò & Reipublicæ grata dicamus & salutaria.

DIXI.

Μόνῳ θεῷ δόξα.

LIBRI SEPTIMI

Continuationis Hiſtoriæ Slavicæ:

Arnoldi Lubecenſis capita ultima
ex MSto edita

ab

HENRICO MEIBOMIO.

LIBRI SEPTIMI

Continuationis Historiæ Slavicæ hactenus desiderata quatuor ultima capita, quibus universum Arnoldi opus absolvitur perficiturque.

CAPVT XIIX.

SEquenti anno indicta est curia in Aldenburg, quæ alio nomine Plisne nuncupatur, ubi etiam ingens patrimonium Imperator possedit Comitis Rabodonis cum castro Leisnick & Colditz, quod Fridericus Imperator quingentis marcis à Comite memorato comparavit. Illuc convenerunt Misnenses & Cisnenses, Poloni quoque Bojemi & Vngari, ibique multis negociis determinatis & pace juratâ, quæ in omnibus curiis firmata est, Dominus Rex faciem suam convertit Brunsvvich, ubi festum Pentecostes solemniter celebravit: ad quod Rex amicos tantum familiares adesse voluit, Archiepiscopum, videlicet, Magdeburgensem, Halverstadensem electum, Hildensemensem Episcopum, Merseburgensem Episcopum, Corbejensem abbatem, VVertinensem abbatem. Aderat quoque totus festivus Dux Bernhardus, Landgravius, Palatinus Comes Rheni, Misnensis marchio, Conradus marchio, VVilhelmus Dux Luneburgensis, Marchio de Brandenborg: Comitum verò non erat numerus: militum plurima multitudo: quibus omnibus honestissimè & abundantissimè de impensâ regiâ administratum est. In sancto verò die Missâ inchoatâ, dominus archiepiscopus Magdeburgensis Misnensem marchionem pro notâ excommunicationis divinis interesse noluit. Quem cum Dominus Rex à suo proposito nullo modo revocare potuisset, Marchionis consulens verecundiæ cum ipso ecclesiam exivit. Sequenti verò die consilio Principum, satisfactione â Marchione promissâ, controversia illa sopita est, unde versus,

Nec

Nec peccasse puto dum misceo seria ludo:

quia

Non satis est pulchra esse poëmata, dulcia sunto.

Cùm igitur omnium lætitia abundaret, Bernhardus Dux intuitus Leonem fusilem, qui à Duce Henrico ibi sublimatus est, ait: quousque hiatum vertis ad Orientem? Desine, nam habes quod voluisti, convertere nunc ad Aquilonem. His verbis omnes in risum convertit, non tamen sine admiratione multorum, qui hoc dictum altius intelligebant.

CAPVT XIX.

Finitâ autem festivitate abiit Rex Goslariam & ordinatis ibi quibusdam negociis, processit VValkenrede: ibi invenit Abbatem de Morimunde, cum aliis quinquaginta abbatibus sui ordinis, qui eum omnes suæ fraternitatis socium & orationis fecerunt, & sic Regem secuti sunt ab ipso largiter procurati usque Herbipolim, ubi cum maximâ solemnitate susceptus est dominicâ, *Domine in tuâ misericordiâ*, cum hymnis & laudibus Dei. Cantus autem hic erat: *Advenisti desiderabilis.* Aderant ibi legati Domini Apostolici, Hugo Ostiensis Cardinalis & Episcopus, Leo Sabinensis Cardinalis & Episcopus, cum maximâ copiâ Prælatorum & Principum, Sacerdotum & clericorum, inter quos erant archiepiscopus Moguntinus Siffridus, Coloniensis Thidericus, Treverensis Iohannes, Salceburgensis Everhardus, Argentinus Henricus, Augustensis Siffridus, Constantiensis VVernerus, de Frisinge Episcopus Otto, Pataviensis Managoldus, Ratisbonensis Henricus, Basiliensis Ludolfus, Hildensemensis Hartbertus, Verdensis Iso, Halverstadensis Fridericus, Havelbergensis Sibotho, Abbas Cono Elevvangensis, Abbas Vuldensis, Herseveldensis, Corbiensis, Prumiensis, VVirceburgensis. Hos sequuntur nomina Regum sive Principum: Odaggerus Rex Boëmiæ, Marchio de Mereren, Luppoldus Dux Austriæ, Dux Saxoniæ Bernhardus, Lodevvicus Dux Bavariæ, Dux Bertholdus de Ceringe, Dux de Lutringe, Dux Brabantiæ, Marchio Misnensis, Conradus Marchio de Landesberge, Marchio Adelbertus de Brandenborg & alij quam plures. Ordinatis igitur multis negociis & firmatâ pace, sicut in omnibus curiis su-

prædictis, Dominus Rex pro speciali negotio assumptis tantùm Cardinalibus, Prælatis & Principibus, Sacerdotibus cum litteratis & Legisperitis, de legitimandâ ei filiâ Philippi Regis sic omnibus generaliter exorsus est: Rogamus vos omnes in Domino, primò Cardinales, qui de auctoritate, sive consilio, Domini Apostolici adestis, summos etiam Archiepiscopos, Episcopos, Abbates & alios, quos Ecclesiasticus ordo diversis gradibus distinguit: excellentiam quoque Regum, Ducum, Principum, ut verba nostra attendatis. Deus cœli post multas adversitates, cum beneplacito omnium Regnum nobis donavit, ita ut non immeritò cum gratiarum actione ei dicere possimus, *lapidem quem reprobaverunt ædificantes hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Quod cùm luce clarius constet omnibus, & optio nobis non desit, de illustrissimis fœminis, quas habet orbis Romanus, è quibus sponsam, sive conjugem, eligere possimus, tamen quia tam celebris conventus pendet de arbitrio filiæ Philippi Ducis Sueviæ, quam nostram consanguineam nemo dubitat, vestro nos submittimus arbitrio sive consilio, ut juxta salutem animarum vestrarum sincerè deliberetis, omni scrupulo postposito favoris sive timoris, quid nobis super hoc sit faciendum. Si enim sex millibus annorum victuri essemus, magis omni tempore cœlibem eligeremus ducere vitam, quàm cum animæ periculo sortiri uxorem. Nemo gloriam, generositatem, divitias, castra, hujus virginis attendat: quæ omnia saluti animæ æquiparari non possunt. Hæc enim omnia nobiscum sunt. Si verò ipsa castra trecenta quinquaginta quatuor, distribuantur sororibus, quas hæc contingit hereditas, parum est quod restat. Nunc igitur, ut dictum est, super hoc deliberetis, ut congruum nobis responsum reddatis. Omnibus igitur ad colloquium locum dantibus, Rex ait fratri Henrico Palatino, qui à dextris ejus erat: Volumus, ut cedas, ne quem tua præsentia de ullâ suspicione terreat. Factâ igitur longâ deliberatione, tandem ad Dominum Regem reversi sunt. Posuerant autem verba in ore Luppoldi Ducis Austriæ, viri facundissimi & litterati, qui sic coram Rege locutus est: Domine Rex, placet ut audiatis responsum Cardinalium & Principum? Ad hæc Rex, audio. Et ille, noverit sublimitas vestra, quòd iste tam celebris conventus

Cardi-

Cardinalium auctoritatem Domini Papæ præferentium, summorum Prælatorum & Principum, & omnium litteratorum, omnino vobis decrevit expedire, pro bono pacis & statu Romani orbis, ut virginem, de quâ mentio habetur, uxorem ducatis: hoc addentes, ut omnis auferatur trepidatio, duas congregationes monachorum præclaras liberrimè construatis. Nos quoq; vobis non deerimus facultates & eleemosynas largè erogando: Sacerdotes etiam sive alij inferioris ordinis in Missis & orationibus subveniendo. Ad hæc Rex: nos consilium sanum & bonum tantæ auctoritatis non refragantes vestris acquiescimus dictis: igitur vocetur puella. Quæ cùm à Pontificibus sive Principibus gloriosè adducta fuisset, Rex consurgens de throno suo eam cum inclinatione recepit. Quâ reinclinante, proferens annulum eam coram omnibus subarravit & in osculo recepit, & ipsam inter Cardinales, quorum cathedra è regione coram facie Regis erat, residere præcipiens, sic omnibus ait: Ecce Reginam habetis, ipsam ut decet honorate, ordinatis etiam legatis honestissimis honestissimè eam unà cum sorore usque Brunsuich deduci præcepit. Ipse verò in terrâ remansit & peragratis illis partibus de consecratione Imperiali tractare cœpit.

CAPUT XX.

IGitur post festum beati Iohannis Baptistæ curiam indixit celebrem in civitate Augustâ, ubi convenerunt omnes illius terræ Principes, cum quibus habuit mysterium consilij sui, ut ipsis cooperantibus honorificè & cum gloriâ Teutonicorum Imperialem perciperet benedictionem. Ad quod negocium deputati sunt plurimi, tam Prælati, quàm Principes, seu omnes, qui Regalia teneant, archiepiscopus Trevirensis, Magdeburgensis, Herbipolensis, Argentinus, Spirensis, qui & Cancellarius, VVormatiensis, Basileensis, Constantiensis, Pataviensis, Episcopus Chuore, de Augustâ, de Eistеth, de Praga, de Olmoth: Abbates de Augiâ, de S. Gallo, de Kempte, de VVisseburg, de Selse, de Prume, de Efpternâ. Quibus adjuncti sunt principes, Dux Bavariæ, Dux Lutringiæ, Dux Ceringiæ, Dux de Karinthiâ, Dux de Mereten, Marchiones & Co-

 mites

mites plurimi. Cæteri, qui remanserunt, thesauris innumeris in ipsâ profectione Regi subservierunt. Sicque circa assumptionem Beatæ virginis Alpium juga scandere cæpit, relictaque civitate, quæ ex aquæ nomine naturaliter Insbrugge dicitur, prosperè tenuit Brixiam, ubi Athâsis fluvius occurrit, per cujus devexum descendens venit Tarentum. Quo relicto venit ad transitum arctum montibus præclusum, qui Veronensium Clusa dicitur, ubi castrum est firmissimum, quod ex longâ antiquitate urbs Hildebrandi dicitur. Illuc robur erat fortium propter amplitudinem ipsius castri, qui contra Veronenses vverram diutinam habentes eos non parum infestabant. Adveniente igitur Rege, ipsum castrum ei offerunt, per quod plurimum toti terræ fuerat dominatus. Veronenses tamen adhuc ipsos castellanos infestare non timebant, sicque offensam Regis incurrerunt. Postea tamen, datis multis millibus marcarum in gratiam Regis recepti sunt. Dominus igitur Rex procedens receptus est à Mantuanis & Cremonensibus, unde Poëta:

Mantua ve miseræ nimium vicina Cremonæ!

Verùm post transitum Padi, Parmonenses & Pontremulenses Regem cum gaudio susceperunt. Neque defuerunt Mediolanenses, Genuenses, Lucenses, cum aliis civitatibus, civitates suas tripudiando offerentes, & gazis innumeris & muneribus eum honorantes. Vbi cum per tempus stetisset, & in civitatibus illis multa ordinasset, transitâ civitate magnâ, quæ linguâ eorum Senis vocatur, ubi per dies aliquot steterat, venit ad civitatem ubi passa est beata Christina, quæ de nomine ejus stagnum S. Christinæ vocatur. Inde procedens cum omni comitatu suo venit Biternis, ubi cum magnâ solemnitate & multo comitatu, tam cleri, quàm populi, occurrit ei Dominus Apostolicus Innocentius. Quanto autem gaudio & cordis exsultatione se mutuò receperint, ex multis complexibus & osculis, vel etiam profusis eorum lacrymis, quas abundantia lætitiæ produxerat, præsentis scripti depromere nequit inopia.

CAPVT XXI.

IGitur eâ feriâ sextâ, quæ fuit post festum beati Michaëlis, quod tunc feriâ tertiâ celebratum est, venit Rex ad limina beati Petri cum

cum magnâ devotione, adorare sanctos Dei Apostolos, simul etiam urbem Regiam omnibus modis honorare. Habuit enim in comitatu suo sex millia loricarum, exceptis balistariis & innumerâ militiâ Prælatorum & Principum. Dominicâ igitur die, ut dictum est, post festum Michaëlis, cùm processio fieret ad atrium beati Petri, facta pressura nimia advenientium & occursantium ad gradus monasterij beati Petri, & omnis via negabatur processioni, sed larga manus Regis cum maximâ copiâ spargebat argenteos, & tandem vix obtinebatur ascensus. Nec defuerunt ministri cum lanceis & fustibus reprimere tumultus. Sicque in Dominicâ, *Da pacem Domine*, Dominus Imperator cùm magnâ pace & tranquillitate & jucunditate consecratur & coronatur, omnibus magnificè lætantibus & cantantibus: *Fiat pax in virtute tuâ.* Et quia ipse summo studio semper paci studebat, speramus ipsum officium pacis & unitatis Ecclesiæ Dei, quæ diu concussa fuit, à Deo obtinere solatium. Finito officio Dominus Papa Imperatorem devotè vocat ad convivium: quem Dominus Imperator precibus instantissimis obtinet venire secum. Cùm igitur ventum fuisset ad equos, Imperator non immemor Apostolicæ reverentiæ, quæ exhibenda est ipsorum Vicario fideli & reverendo Papæ Innocentio, strepam ipsius devotè apprehendit. Sicque ad locum convivij venitur, ubi de Imperatoris magnificentiâ simul dives in unum & pauper largè procuratur. Nec prætereundum, quòd VValdemarus Bremensis electus, pauper & exsul, per intercessores, quos obtinere potuit, vel per seipsum, limina Apostolicæ pietatis, quæ claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit, & septuagies septies errata dimittere consuevit, omni solicitudine & devotione pulsare non cessavit, omnem reatum inobedientiæ pœnitens, cum omni satisfactione emendare promittens. Verum quia idem casus multipliciter erat perplexus, nihil super his fuit determinatum, nisi ut in pontificialibus celebraret, non tamen in Bremensi ecclesiâ.

SATISFACTIO AVCTORIS.

VEniam legentium peto, ne quis præsumptionis vel temeritatis arguere me velit, quia ista dictaverim, sciens quòd multi gesta

Regum vel Pontificum scripserint: sed sicut ab initio dictum est, non temeritate, sed caritate, ista prosecutus sum, volens continuare hoc dictamen operi Helmoldi sacerdotis, qui de statu terræ nostræ, & de regibus sive Principibus multa præmiserat: præcipuè verò de vocatione vel subactione Slavorum, quæ per nobilem Ducem Henricum facta est, memoriæ fidelium intendo perennare. Neque enim ista oblivioni tradenda puto, cùm omnes oculatâ fide perspiciant gloriam ecclesiarum, devotionem fidelium, fidei & religionis incrementum, in hisce Borealibus regionibus, ubi sedes erat Sathanæ: nunc vero flatus Austri, videlicet Spiritus sancti gratia, quæ fugato Aquilone, perflatis hortis fidelium innumera virtutum florere facit aromata. Nec offendat quenquam, si secundum ordinem historiæ, modo læta sive prospera, vel etiam ponam adversa: quia ista oportuit in notitiam venire, & illa non admittere. Deus enim quandoque ad salutem suorum fidelium, quibus omnia cooperantur in bonum, nunc permittit prospera, nunc flagella. Si vero aliquid occurrerit, non ex toto suo ordine prosecutum, ipsum deputet assertori, non dictatori: hoc ipsum tacutum, endationi fidelium devotus relinquo, multum gaudens, quod de bono principio lætum finem teneo: pro quo sit laus & gloria Christo. Amen.

EXPLICIT.

BENEVOLO LECTORI.

Præterquam quod ſub initium operis in numero pariter & inſcriptione paginarum nonnihil turbatum ſit, etiam per incuriam operarum σφάλματα *quædam irrepſerunt. Ita pag. 157, l.23, legendum eſt* Eilard: *p.234, l.14,* vias: *p.528, l.28,* συνοσίνα: *p.5 2, l.16,* ne dicam impie. *Qualia hinc inde plura lectori occurrent, ab ipſomet tamen facile emendanda. Illud tantum adhuc monendum eſt, imagines quaſdam minus artificioſe eſſe expreſſas quam in priori editione erat factum. Quod cumprimis accidit pag. 304 imaginibus Hermanni Billingi & Hildegardis. Nam & longe rudiores ſunt, & Hildegardis etiam juſto major. Idem dicendum de ſigillo Ottonis IV pag. 419, in quo inſuper litteræ quædam,* ταυ *præcipue, non ſunt antiqua figura effictæ.*